ARISTOTELIS De Generatione, & Interitu

LIBER PRIMVS,

A Flaminio Nobilio in Latinam LINGVAM CONVERSVS,

ET SIMPLICI PRIMVM VERBORVM Explanatione, deinde Quæstionibus copiosissimis ad finem cuiusq; Capitis appositis illustratus.





Ad Cosmum Medicem Floren. SENENSIVMQVE DVCEM

ET FRANCISCVM EIVS FILIVM Principem.



CAVTVM EST PRIVILEGIO AMPLISSIMI FLORENTINORVM ac Senensium Ducis, ne quis hunc Librum iniussu Autoris intra decennium impunè imprimat, aut alibi impressum vendat.







LVCÆ APVD VINCENTIVM BVSDRACVM

M D LXVII.

 AD LECTORES. 





NTER cæteros Physiologiæ Aristotelicæ libros hi, qui de ortu, & interitu inscribuntur, rerum copia, & vtilitatē maximè insignes sunt. Explicatur enim in his ratio omnis oriendi, intereundi, noua accipiendi accidentia, quæ altē ratio dicitur, crescendi, & decrescendi, efficiendi, patiendi, ad mistionem veniendi; vis, & potestas primarum qualitatum, id est caloris, frigoris, humoris, siccitatis, ortusq; secundarum, vt duriciei, mollitudinis, aliarumq; huiusmodi, in conspectu ponitur; causæq; huius perennis, & continuatæ singularium rerum successionis, qua species ipsæ conseruantur incolumes, patefiunt. Quibus quidem rebus non modò totam contineri physiologiam, sed medicinam etiam maximè egere, quis, nisi in scientiis sit plumbeus, planè non videat? Quamobrem Galenus, qui Medicus, qui Philosophus? cum de temperamentis, de medicamentorum facultatibus, ac de valetudine ipsa, & morbo agit, pleraq; his ferè libris refert accepta. Verum magnæ, pergratæq; vtilitati summa orationis breuitas, & obscuritas est adiuncta: Illosq; ex Græcis vnus tantùm Philoponus est interpretatus: ex Latinis, dum omnia barbaries occuparat, sanè multi; his autem satis eruditis temporibus, cum ex Medicea Familia, quasi lux quædam bonis artibus effulsit, præter Suessanum, cuius video scripta à Doctis non valdè carè æstimari, quod sciam, nullus. Quocirca operæpretium nos facturos putauimus, si in iis interpretandis omnem curam atq; studium adhiberemus; ac si minus ingenium, & scientiæ copiam, diligentiam certè, & facilitatem nostris hominibus probaremus. Cui quidem facilitati dum seruio, omnesq; illius parandæ vias (neglecta persæpè Latini sermonis castitate, nè nostris hominibus nouæ quasi linguæ addiscendæ laborem imponerem) sedulo indago; noua interpretationis forma nescio quo pacto deprompta mihi est; quæ tamen à summorum virorum imitatione non longè abest. Verba primùm cuiusq; capitis, quàm diligentissimè potuimus, ac pœnè sigillatim explanauimus, ac dicendi genera ex similium locorum obseruatione notauimus; illudq; egimus, vt Aristotelis sententiam nudam, atq; simplicem ante oculos omnium poneremus; nec vlla rerum, quas aliunde importaremus, varietate eam quasi confundi, & perturbari voluimus. Percæptis autem sententiis, verbisq; enodatis, ad finem cuiusq; capitis propositionum, ac sententiarum, quæ in illo capite pronunciatæ essent, veritatem per se ipsam contemplati sumus; exorientes quæstiones explicauimus; si quid ad easdem res pertinens ab aliis bonis autoribus allatum esset, in eundem locum

conduximus. Similis pœne in aliquibus libris explicandis Boëtii ratio est. In prima enim editione verba tantum, & sententiam Aristotelis exponit; in secunda fusius & copiosius agit; multaq; reuocata primo in dubium postea constituit, ac stabilit. Hoc inter nos atq; illum interest, quod apud illum prima, & secunda editio separatis voluminibus continentur, atq; in secunda ad verba & sententiam Aristotelis explicandam rursus etiam se confert. Nos, quæ ad sententiam percipiendam pertinent, semel absoluimus, continuoq; rerum traditarum contemplationem subiicimus, quod multo expeditius, atq; etiam iucundius putauimus. Auerroes sæpe hanc fere rationem sequutus est. Primo enim verba diligenter expendit, elicitq; sententiam; deinde digressionibus appositis multa speculatur; quod sæpe etiam Simplicius obseruauit. Nos, nisi fallimur, Auerroe multo pleniores, Simplicio distinctiores erimus. Ex Latinis multi in eundem librum a se primum simpliciter explanatum Quæstionum volumen postea dederunt. Nos non tantum Quæstiones proponemus (quamuis inscripserim quæstiones ex maiore scilicet parte, atq; Alexandrum imitatus) Sed etiam multarum Aristotelis propositionum, quas primum simpliciter interpretati erimus, vim, & veritatem considerabimus, idq; ad cuiusq; capitis finem re quodammodo recente, ne longius expectatione penderetis. Possem etiam de ea conuertendi ratione, quam sequutus sum, multa dicere; sed eam malo existimatione vestra, quam oratione mea comprobari. Omnino Petri Victorii summi & singularis viri ratio illa, quam in libro Aristotelis de Poëtica, & Demetrii de Interpretatione adhibuit, mihi semper summopere placuit, neq; ab ea nunc mihi putaui discedendum. Hos autem labores nostros cum tribus fere ab hinc annis Cosmo Medici Florentinorum, & Senensium Duci, & Francisco eius filio Principi dono dedissem, nunc potestate ab iisdem facta, cum diutius id multis postulantibus deberi posse minime videretur, primum vobis humanissimi Lectores librum damus, daturi etiam secundum, cum mihi rursus per anniuersarias ferias Impressori operam nauare licuerit. Vestrum autem iudicium erit, putetis ne hunc librum libenter accipiendo, incitandam diligentiam nostram, an aspernando retardandam.



Cosmo Medici Florentinorum
SENENSIVMQVE DVCI,
ET FRANCISCO EIVS FILIO PRINCIPI,

FLAMINIVS NOBILIVS S. D.



VÆSTIONES Logicas in tuo Cosme Dux clarissimo nomine diuulgatas, Libros de vera & falsa voluptate, ac de honore, ad eam ferè Philosophiæ partem, quæ vitam moresq; hominum format, referendos, tibi Francisce Princeps inscriptos; sequentur hi in Libros Aristotelis de ortu, & interitu Commentarij, ad illam alteram Philosophiæ partem, quæ in naturæ obscuritate versatur, pertinentes: qui vtriusque vestrum communes erunt. Libet enim gaudium illud, quod de vestra ista nuper inita administrandi Imperij societate cogitando quotidie capio, vos etiam vnà alloquendo, non tantum vobis testari, sed etiam commemorando augere. Habet enim hoc voluptas, quæ magna sit: vt si vniuersa intus contineatur, & comprimatur, mole sua ita quasi occupet, & grauet animum, vt illius sensum hebetem reddat: Sin aliquam sui partem vocibus, & literis commendatam erumpat, ac promat: multò iam quàm antea explicatior dulcius perfundere, & oblectare nos queat: ac simul, quòd sui imaginem foras expresserit, seq; quodammodo propagarit, conduplicetur. Ac sanè cùm reliqua tua Cosme facta ad laudem insignia, atq; singularia, ad populorũ tuorum vtilitatem salutaria semper fuerunt: tum nullum hoc postremo præclarius, aut melius, nullum, ex quo nos, quibus tua gloria omnium humanarum rerum antiquissima est, maiorem haurire voluptatem deberemus, fieri potuisse intelligo. Illud enim præstitisti, vt optimum, id est tui similem relinqueres successorem. Neq; ego id propterea dico, quòd tuo, Francisce, incredibili ingenio, egregiæ ad virtutem indoli, optimæ à primis ætatis tuæ temporibus in te instituendo adhibitæ disciplinæ, multarum, maximarumq; rerum vsui non plurimùm confidendum esset: Sed illud contendo, antea nos omnia summa de te sperare debuisse, nunc pro certo, quasi ea, quæ oculis cernimus, putare posse. Magna enim vis consuetudinis in omnem partem est: quinimo, vt verius dixerim, omnia in ea sunt, parumq; vel sapientissima præcepta prosunt, nisi ad rem conferantur. Nam quemadmodum si quis ab optimo gubernatore præceptis nauigandi instructus ad nauis clauum regendum continuò accedat, non mediocre naufragij faciendi periculum adeat: quòd aut iactatus procellà præceptoris sui monita obliuiscatur, aut ante fluctibus obruatur, quàm, quid faciundum sit, deliberare potuit: ita in administrando regno crediderim varijs negociorum quasi vndis circumstrepentibus, rebusq; multis præter opinionem euenientibus non felicissimè ab eo posse cursum teneri, qui vel præceptorum plenissimus, vsu, & experientia se non corroborarit

borarit. At graue est in gubernando imperio periculum facere; ubi si quid male ab eo, qui rudis ac imperitus est, fieri contigerit, ne dicam à te fugerit, magnae interdum consequantur calamitates. Huic, meo quidem iudicio, maximae difficultati pulcherrimè à te Cosme obuiam itum est, cum filio Reipub. icae gubernacula tradidisti, nunquàm tamen despiciens, nunquàm ab illo oculos dimouens tuos. Ita enim ille gubernandi usum nullo periculo sibi comparabit; cum tu praestò adsis omnium ventorum, atq; tempestatum moderator egregius. Assuetus autem optimè administrandae Reip. expertusq;, quantum in uirtutis actionibus obeundis, quantum in hominibus iuuandis, quantum in populis suae fidei creditis tuendis, & ornandis, solidi, germaniq; gaudij insit, cum te tua diuina virtus dissolutissam naturae lege compagibus corporis in coelum vocauerit, verendum credo erit, ne nouam aliquam viuendi rationem ineat, illa repudiata, quam optimam, iucundissimam, securitatis plenissimam nouerit? Ego verò ne fieri quidem posse censeo. Rectè.n. à veteribus dictum est, consuetudinem esse quasi alteram naturam; quòd aequè ac natura stabile, ac diuturnum quiddam sit: ac vix, aut ne vix quidem commutari queat. Ergo, si boni Principis illa sunt praeclarissima opera censenda, quae Reip. sunt utilissima (nam ut Medico valetudo, Imperatori victoria, ità Principi ciuium suorum salus, & incolumitas proposita esse debet) nullum, ut antea dixi, hoc tuo postremo facto cogitari praeclarius potest: cum pro te Cosmum alterum substituisti populis tuis: quo munere ne ipsi quidem à Dijs immortalib. quicquàm maius ausi essent optare. Quamobrem cum ego ita sim affectus animo, ut ex nulla alia re maior ad illum affluat, atq; illabatur voluptas, quàm ex accessione laudum dignitatisq; vestrae: nihil mihi profectò antiquius fuit, quàm, ut vobis ambobus hos libros quasi consecrando, simul vtrunque quàm primum uenerarer, & colerem. Vobis autem, qui pro vetere iam vestra consuetudine non tam processui, quàm industriae in optimis artibus adhibitae fauetis, nec tàm muneris pondus, quàm voluntatis propensionem spectatis, quin hic meus cultus, qualis, qualis sit, ab optimo certè animo, summaq; erga vos pietate profectus, iucundus accidat, planè non dubito. Quòd si mihi vita suppetet, pauloq; firmiore valetudine me uti Deo mieo placuerit; vi desiderij, quo vobis non inutilem operam nauandi totus ardeo, fretus audeo polliceri, fore aliquando, cum inter caeteras insignes laudes vestras, atq; inter caetera in studiosos collata beneficia, quòd clarissimos Doctores maximis propositis praemijs undiq; semper Cosme accieueris, quòd Lelium Taurellium sapientissimum hominem, ac planè diuinum, & Philippum Meliorium, quo nemo probior, prudentior, omnibus artibus, quibus humanitatis ratio continetur, eruditior nunquàm fuit, Academiae praefeceris, quòd Philippo ex hac in meliorem vitam profecto Antonium filium effigiem oris eius, imaginem virtutis, ingenij, humanitatis in eius locum suffeceris: quòdq; nullam omnino de scholasticis benè merendi remiseris occasionem: neq; tu à Patris vestigijs tibi Francisce discedendum duxeris: benignitatem quoq; in me, & liberalitatem homines commendabunt: quòdq; vestro quasi numine adiutus locos obscurissimos in Philosophia illustrarim, vobis agendas esse gratias existimabunt.

INDEX QVÆSTIONVM.


Quæstiones in septimum Caput. 77.

Quæstiones in octauum Caput. 87.

Quæstiones in nonum Caput. 90.

Quæstiones in decimum Caput. 95.

Occasione autem ita ferente multas alias magni ponderis quæstiones explicauimus; quarum Indices marginibus apposuimus. Errata autem æquus Lector facilè per se & cognoscet, & ignoscet. Multa enim tùm ob inexpugnabilem quandam necessitatem, tùm ob characterum, præcipuè in Græcis dictionibus, inopiam commissa esse non ignoramus.



De Argumento, siue, ut nostri LOQVVNTVR, SVBIECTO LIBRORVM De Generatione, & Interitu. Cap. I.



E Capitibus his, quæ à Græcis Interpretibus proponi solent, nos tria tantum hoc tempore tractanda duximus: Vnum de Aristotelis consilio, quod tantundem est, ac si quæras, quod nam sit horum librorum argumentum, & subiectum, ità enim nostri loquuntur: Alterum de distributione huius tractationis in duos libros: Tertiū de inscriptione. Ad primum autem primo loco aggredientes, facturi operæpretium videmur, si principiò totius philosophiæ naturalis subiectum constituerimus. Eo enim constituto, facilius singulorum librorum, qui ad illam pertinent, subiectum constiuemus

Quæ sit Etymologia istius vocis Subiectum.

Opinio cōmunis

Subiectum in omnibus scientiis poni tanquàm notum, vulgò putatur; Vocari enim subiectū, quòd tanquàm concessum subiiciatur. Quamobrem cœlum, elementa, mista ex elementis corpora, quæ philosophiæ naturali subiiciuntur, quin sint atque in hac rerum vniuersitate contineantur, nemo dubitauerit. Quod si multæ inter grauissimos viros de scientiarum subiectis existere sæpenumero controuersiæ solent, istud propterea euenire inquiunt, quòd aliud est dubitare, An corpus naturale sit, aliud, An habeat omnes veri subiecti conditiones. Illud nullus naturalis philosophus in quæstionem vocauerit, hoc fortasse multi; ac tamen de eo disputantes potius Logici, quàm naturalis philosophi fungi officio videbuntur.

Opinio propria.

Ego vt non pertinaciter negarim veram esse istam etymologiam, & reliqua, quæ à nostris afferuntur, ità crediderim verius aliquid posse afferri. Puto enim dici subiectum quasi obiectum, & propositum nobis ad contemplandum; qua notione ea, quæ sub sensum cadunt, eique obiiciuntur, & offeruntur ad sentiendum, vt calor visui, sonus auditui, subiecta persæpè vocantur ab Aristotele, vt secundo libro de anima cxxxvi. & clxiiii. & ii. horum librorum vii. Ita etiam in artibus appellatur subiectum non quod quasi concessum ponitur, sed, quod artifici offertur, & proponitur ad elaborandum, ac perpoliendum, quod initio primi Rhet. innuit Arist. In eodem autem extremo libro illud vocatur subiectum, quod cuique maximè propositum est, vt auaro questus, ambitioso honos: obseruauit id eruditiss. Victorius.

Quib. verbis ab Arist. exponatur natura subiecti. pri. post. tex. 43.

Subiectum ità definiri primo post. xliii. omnes ferè nostri existimarunt, quod habet principia, partes, & affectiones, atque ità nunc vulgò in Gymnasiis dicitur; sed perspicuè falluntur, nihil enim eiusmodi sonant verba Aristotelis. Omnino qui Græcè intelligunt, hoc pacto esse locum illum explanandum facilè cognoscunt. Dixerat Aristoteles vnam scientiam esse, quæ habet vnum genus subiectum. Poterat autem quæri, qua ratione diiudicari posset, an esset vnum genus subiectum. Propterea, vt huic exorienti quæstioni occurreret, addit illa omnia esse eiusdem generis subiecti, quæcunque ex primis componuntur, & quæcunque sunt partes, aut per se affectiones harum, scilicet partium; ità enim ego verto vocem illam *αὐτῶν*, tùm quòd aptior sit sententia, tùm quòd videam Aristotelem ità dicere primo Meteor. cap. primo. ***Adhuc autem quæcunque species terra, & partes, & affectiones partium.***

Aduer. Latinos.

Attento autem Lectori ex verbis eo loco proximè sequentibus perspicuum erit, nomine primorum significari primas ipsas propositiones, aut, vt nostri inquiunt, principia complexa, quæ tamen in aliam scientiam non conueniunt, quales sunt propriæ definitiones, & hypotheses, vt in Geometria, lineam esse longitudinē sine latitudine; à puncto ad punctum licere lineam ducere. Componuntur ex istis primis omnia theoremata; Ex illis enim demonstrantur. Demonstrationem autem esse compositionem quandam, satis constat. Ergò omnia theoremata ex iisdem ducta principiis in eodem subiecto genere versantur, nec solum quæ proximè ex illis primis demonstrantur, sed etiam, ***partes***, id est magis specialia theoremata, quorum subiectum est pars subiecti superioris theorematis, ***& affectiones harum partiū***, id est propriæ conditiones istorum subiectorum magis specialium. Ità in philosophia naturali, exempli causa, principia ista ponuntur, ex nihilo nihil fieri; Et ex quolibet non fieri quodlibet, sed contrarium ex contrario. Ex his principiis demonstratur illud Theorema Omne corpus naturale generari interuentu materiæ, formæ, priuationis. Istius generalis theorematis hæ partes, & species sunt, eodē modo generari animalia, eodē plantas. Nam animalia, & plātæ sunt partes corporis naturalis, quibus deinde partib. propriæ tribuuntur affectiones. Ergo, & partes, & affectiones partium, licet non proximè demonstrentur ex illis primis,

quomodo ad illa tandem tanquàm ad capita, & fontes omnis demonstratio refertur, in eodem genere continentur, atque ad eandem scientiam pertinent; omninoq; subiectum genus statui huiusmodi debet, quod omnia comprehendat, quæcunque in illa scientia, cui subiicitur, pertractantur. Ex proprietate igitur principiorum, quæ in aliam scientiam non conueniant, pendet subiecti generis vnitas; ex vnitate generis subiecti pendet vnitas scientiæ: Vnde autem diiudicetur principiorum proprietas, alia quæstio, atque alio tempore explicanda.

De subiecto totius philosophiæ naturalis.

Physiologia igitur si vna scientia censenda sit, vnicum genus habeat oportet, in quo omnia illius theoremata versentur. Vnum autem erit genus subiectum, si omnia, quæ ad illud pertinent, ex iisdem propriis principiis deducentur. Videmus autem nos ex huiusmodi hypothesibus, motum esse, ex nihilo nihil fieri, principia esse contraria, ex definitione materiæ, ex definitione naturæ, atque aliis similibus principiis omnia theoremata, quæ naturalia dicimus vel proximè, vel aliquo interiecto intermedio demonstrari; quamobrem omnia etiã in eodem genere versari intelligentur, atque vnam scientiam constituent. Hoc genus his vocibus commode putò exprimi posse, quod naturà aliquo modo constat. Naturà autem constans non ità angustè accipio vt Aristoteles in illa propositione, Omnium naturà constantium est certa ratio magnitudinis, de qua propositione suo loco multà dicentur, sed amplè, ac fusè, vt significat quicquid aliquo pacto rationem motus includit, siue causa sit, siue subiectum motus, siue motus ipse, aut similis motui, atque ex eadem natura exoriens affectio. Hoc modo ipsemet Aristoteles accepit initio librorum de cœlo. Nam cum dixisset, scientiam de natura maximam ferè partem versari in corporibus, addebat illa verba. *Natura enim constantium hæc quidem sunt corpora, & magnitudines, hæc autem corpus habent, & magnitudinem, hæc verò principia eorum, quæ habent, sunt*: Ex quibus verbis accuratus lector facilè colliget id, quod naturà constat, statui tanquàm commune genus subiectum; cuius species sint corpora, & principia corporum. Adiungere autem licet, & ipsas affectiones corporum, tanquàm species eiusdem communis subiecti, quod tùm ex eo loco, tùm ex initio tertii libri de cœlo latis patet, vbi eodem ferè vsus loquendi modo distribuit id, quod naturà constat in substantias, atque actiones, & affectiones ipsas. Non est autem absurdum principia incomplexa, quæ nunc intelligimus, esse tùm species subiecti communis, tùm etiam causas aliarum specierum; quotiescunque illud subiectum est analogum. Ità cum alias de subiecto primæ philosophiæ disputaremus, ostendimus Deum optimum maximum, & speciem entis, & causam esse, vt in animali cor, & pars, & principium ab Aristotele ponitur. Omnino cum in scientiis subiectum genus, quantum ego possum iudicare, illud dicatur, quod comprehendit omnia, quæ proponuntur ad contemplandum; in scientia autem naturali, & principia, & orta ex principiis, & affectiones proponantur ad contemplandum, omnia ista vnum genus constituent, nempè, quicquid natura aliquo pacto constat; quamuis non negarim, quoniam maiorem partem in corporibus hæc scientia versatur, vt iisdem locis ab Aristotele dicitur, idcirco non tota errasse via qui corpus naturale esse subiectũ voluerũt.

Quomodo differt subiectum totius naturalis philosophiæ à subiectis partium.

Sit igitur subiectum quicquid naturà constat, in vniuersa quidem physiologia tùm generatim, tùm speciatim; in partibus autem physiologiæ (quà in re doctus homo mirabiliter est lapsus) non vtroque modo, sed alterutro, id est aut generatim aut speciatim. Nam in aliqua quidem generatim tantum, in aliqua autem speciatim. In viii. igitur libris de naturali auscultatione agitur de comunibus principiis, & communibus affectionibus corporum naturalium; in cæteris verò libris de corporibus speciatim, atque habentibus corpora, ac de propriis principiis & affectionibus illorum.

An corpus naturale in vniuersum debuerit definiri.

Verum quoniam corpora omnia naturalia in hoc communi genere conueniunt, nimirum corpore; ac de genere prius, quàm de speciebus agendum esse nemo dubitat; quæres fortasse vbi nam de corpore naturali generatim, atque vniuersè actum sit. Latini putauerunt præstari id in viii. primis libris. Sed mirum videtur, cur nunquàm in iis corpus definiatur. Græci sanè vbique vna voce affirmant in illis libris de principiis tantum agi, & consequentibus principia; quod etiam nunc à Philopono in præfatione habeтis. Auerr. autem secundo phy. com. tertio, & in eadem sententia videtur fuisse, & illud præterea addidisse, de corpore primum agi in libris de cœlo; idcircoque ad initiũ illorum corpus definiri: esse enim magnitudinem trifariam diuiduam. Quod tamen, vt mea fert opinio, non verissimè dicitur.

Opinio Auerrois.

Aduersus Auer.

Primum alieno loco videbitur illa definitio posita. Nam cum in viii. libris de principiis corporis sit disputatum, ibidem quoque per eadem principia definiendum corpus erat, quando quidem corpus nihil aliud est, quàm res concreta ex materia, & forma; minimè autem ad libros de cœlo isthæc trahi definitio debebat, vbi nihil aliud de corpore vniuersè affertur, sed statim ad cœlum deuenitur.

Deinde

Deinde in iii. phy. probatur corpus naturale esse finitum, in vi. esse diuiduum, multæq; item aliæ affectiones in illis viii. libris passim de corpore ostenduntur. Subiecti autem cognitio necessariò præit affectionum cognitionem. Quæstio enim quid res sit prior est quæstione, quale quid sit. Ergò definitum multò ante oportuit corpus, quàm ad libros de cœlo perueniretur. Postremò allata ad initium librorum de cœlo definitio ad corpus sine dubio pertinet, quod in quantitatis, non quod in substantiæ genere continetur. Nulla enim in ea definitione exprimitur substantia, sed tantum magnitudo, & quantitas. At corpus naturale substantia est, & quidem ex substantiis constans ex materia inquam, & forma. Omnes ferè hic scrupulus malè habuit. Multa legi, multos audiui: Neminem reperii in hoc luto non hærentem, neminem sibi, nedum aliis satisfacientem. Ego meam opinionem in medium proferre non verebor, quæ mihi animum implet; eos autem, qui hæc legent, excitabit saltem ad rem diligentius considerandam.

Opinio propria.

Summum præcipuè studium adhibuit Aristoteles in definitionibus formarum afferendis, siue de substantiis, siue de accidentibus esset illi sermo institutus; quoniam composita ipsa, quòd sint hoc aliquid, quòdque certam speciem habeant, formæ potissimum referunt acceptum, & percæpta formæ vi, continuò illorum essentia intelligitur. Hinc non animalis, sed animæ vides afferri definitionem; non misti corporis, sed mistionis; non colorati, sapidi, odorati, putris; sed coloris, saporis, odoris, putredinis. Eadem igitur ratione definitionem naturæ accuratè tractauit Aristoteles. Ea enim constituta, qui nescire se dicat, quid corpus naturale sit, is plumbeus planè sit es istimandus; præsertim cum materiæ essentia in primo libro iam esset definitione explicata, & quantum in Physicis erat expectandum, quid esset forma, esset ostensum. Cognita enim materia & forma, & naturæ vi, necessariò cognoscitur corpus naturale, quod nihil aliud est quàm forma in materia, idcircoque naturam habet. Quarè essentia corporis naturalis vniuersis duobus Prioribus libris explicatur, vnde quis illius definitionem facilè coocinnare poterit, significante tamen eam nobis Aristotele. Nam dum secundo libro tex. sexto, & vndecimo ostendit, quid sit illud quod habet naturam, satis etiam declarauit, quomodo definiendum corpus naturale esset. Ac sanè diligentem Lectorem postulat Aristoteles, persæpeque satis illi est res innuisse. Sic tertio Ethicorum cap. nono integram fortitudinis definitionem non afferebat, sed ita dicebat: *Ex his constare potest quid sit fortitudo*: Galenus etiam quarto de pulsuum differentiis cap. secundo admonebat non semper esse expectandas istas expressas definitiones, sed satis esse, si rerum natura copiose tractetur, diligenterque euoluatur. Aristoteles autem primo post. xxv. illud etiam admonuit despici interdum subiectum in scientiis, id est ad illud stabiliendum, aut definiendum nullam operam sumi. Quod tum de subiecto primæ philosophiæ. 1. de ente, tùm de illo communi subiecto, quod nos in philosophia naturali posuimus, ac vocauimus natura constans, euenit. Ergo in primis libris vbi de principiis agitur, agitur etiam de corpore, quod ex illis principiis constat, neque id negarunt Græci, licet de principiis potius, quàm de corpore agi dixerint; quoniam cum cognitis principiis componentibus continuò, vt diximus, compositum ex illis cognoscatur, longior sermo de principiis fit, quàm de corpore. Initio autem librorum de cœlo definitur corpus mathematicum, quà tamen est affectio corporis naturalis, atque ideo definitur, vt definitio illa nobis vsui sit ad mundi perfectionem affirmandam. Longius fortasse, quàm par erat in hac dubitatione collecta digressi sumus, sed lectores oraros volumus vt longitudinem cum vtilitate compensent; nunc ad institutum reuertamur.

De duplici Analogo.

Aduersus Latinos.

Subiectum illud genus, quod nos in vniuersa physiologia statuimus, Synonymum profectò non est, sed analogum. Non defuerunt autem grauissimi viri, qui latinos reprehenderunt duplex analogum statuentes; alterum, quod vocant attributionis; vt salubre, alterum, quod proportionis, vt materia, quæ proportione quadam inferiorem hanc, & superiorem illam significat: Ita enim isti disputant omne analogum habere semper aliquam speciem, cui primò attribuatur, & ex ea fundatur in alias. Semper enim proportio, & similitudo ex aliqua una re ad alias ducitur, vt pedem lecti, pedem montis nominamus ob proportionem, & similitudinem, quam cum pede animalis habet. Ita globus cœlestis vocatur materia ob similitudinem, quam cum hac inferiore materia gerit, & cœlum corpus naturale vocamus ob eandem similitudinem. Nam tametsi cœlum potius tanquam principium statuendum esset, vnde reliqua vocarentur naturalia, tamen quoniam (vt animaduertebat Auer. ii. Met. com. vltimo quam sententiam explicat Zimara in Tabulis) hæc inferiora nobis sunt notiora, idcirco illis primum naturæ nomen accommodamus, deinde proportione quadam ad cœlestia transferimus. Ita in prima Philosophia beatas mentes substantias nominamus ob si-

militudinē quæ illis cum inferiorib. intercedit; cum tamen contra se res habeat, vt idcirco hæ substantiæ sint, quòd illas imitentur. Cæterum siue rem ipsam, siue nostram cognitionem spectes, semper in quocunque analogo contendunt aliquid primo appellari tale, vnde postea cætera talia nominentur; Itaque omne analogum esse attributionis. Ego autem (mitto voces; scio enim non aptissime dici analogum proportionis) sed sententiam ipsam minimè arbitror repudiandam. Nam & Arist. primo Ethic. cap. vi. & Græci eius interpretes in Cathegoriis duplex æquiuocum à consilio, quod nostris analogum est, agnoscunt, alterum attributionis.i. vt Aristoteles loquitur, ab vno, & ad vnum, alterum verò ex proportione ductum. Ac licet quod ad nomen pertinet, semper vni speciei primò sit attributum, deinde cæteris accommodatum, tamen in analogo attributionis res ita se habet, vt prima specie sublata, cæteræ non solum nomen, sed etiam illud quod significatur nomine, amittant. Sublata enim sanitate animalis pharmaca, & sudores, neq; vocarentur, neq; amplius essent sana. In analogo autem proportionis minimè istud perpetuum est. Nam pes montis licet ita dictus sit ob proportionē, quam habet cum pede animalis, non tñ si animal è medio auferatur, desinet esse illud, quod eo nomine significatur, idest infima pars montis; Ac nihil etiam impediret, quominus nomen semel vsurpatum retinere posset; scimus.n. nomina interdum magis vsurpari in illa re, ad quam sunt translata, quàm in ea, in quam propriè conuenirent; vt idem sanitatis nomen apud Latinos Autores potius in animi robore, quàm in bono corporis habitu vsurpatur.

Defensio Latinorum.

Illud igitur, quod natura constans dicimus, erit analogum proportionis. Adest enim quædam naturæ similitudo inter corpora æterna, & caduca, vnde commune quoddam subiectum genus conflare potuerunt; atque vtraque tamen suam peculiarem naturam, & conditionem obtinent, ita vt minimè eodem modo se habeant quo illa, quæ ab vno, & ad vnum dicimus.

Quale analogum sit subiectū physiologiæ.

Ergo in viii. libris de naturali auscultatione agitur de principiis rerum naturalium, ac de consequentibus ista principia vniuerse, ibidemque simul etiam de corpore naturali agitur, in cæteris autem libris de principiis propriis, & propriis affectionibus specialium corporum inter quæ primum locum obtinet corpus cœleste, sequuntur elementa, mox mista inanima, demum animata.

Quod si quæras cur in tractandis principiis antea de inferioribus, quàm de superioribus sit actum (quod patet primo phy. lxviii. vbi scribitur actum esse de principiis rerum, quæ generantur, & intereunt) in tractandis autem specialibus corporibus prius de superiore, quàm de inferioribus; animaduertas, monebo, superiora illa principia cognosci, vt antea diximus, à nobis non potuisse, nisi per proportionem quandam cum his inferioribus. Idcirco viii. phy. istam proportionem esse ostensam, quod etiam copiosius præstitit Auer. in libro de substantia orbis. Intellectis autem iam, & perceptis vtrisque principiis, possumus postea rerū ordinem seruantes ab eius corporis tractatione initiū facere, quod suapte natura primum est, quodque cæterorum est causa, & quasi forma. Hoc autem cœlum esse nemo est, qui dubitet. Cætera.n. continet, & gubernat. Omnino sæpe mutare ordinem necessarium est. In Mathematicis, quæ certissimæ scientiæ sunt, vulgoque ex nobis, & simpliciter notis componi perhibentur, videmus prius definiri circulum, quàm figuras angulis præditas, & tamen antea tractantur theoremata ad triangulas, & quadrangulas figuras pertinentia, quàm ad circulum. Illud enim fit in tribus primis libris Euclidis, hoc in quarto.

Cur prius actum sit de principiis rerum inferiorū, quàm superiorū, contra aūt prius de corporibus superiorib. quàm de inferioribus.

Sed iam accedendum est ad explicandum peculiare Aristotelis consilium in his libris, qui nunc nobis ad interpretandum sunt propositi. Vocari hos ab Arist. libros de elementis satis perspicuum est ii. de anima cxvii. & in lib. de sensu cap. de sapore. Cæterum cum de iisdē elementis agatur etiam in duobus postremis libris de cœlo, diligenter, quo pacto istæ rationes tractandi distinguantur, est attendendū. Arist. ii. phy. lxxi. quantum ad res quæ mouent, aut mouentur pertinet, tres tractationes ponebat. Primā de rebus, quæ mouēt, sed nullo pacto mouentur; alterā de rebus mobilibus æternis; tertiā de rebus mobilib. caducis. Prima tractatio primi philosophi est, reliquæ duæ ad Physiologiā pertinent. Ergo cū percepta principiorū & principia cōmuniter consequentium natura, & vi, ad ipsa corpora naturalia speciatim contēplanda deueniendum sit, eandem distinctionē tenebimus, vt prima quidem tractatio sit de rebus mobilibus æternis, id est de cœlo, eaq; ab Arist. duobus primis libris absoluitur. Secunda aūt de mobilib. caducis; eaq; iii. lib. de cœlo instituta cæteros omnes philosophiæ naturalis libros comprehendit. Hæc eadem distinctio aliis quibusdam verbis exponi potest, vt primā quidem tractationem dicamus pertinere ad corpora, quæ secundum locum duntaxat mo-

De subiecto librorum de generatione.

uentur, secundam aut ad corpora, quæ cæteris etiam motibus agitantur, quo etiam pacto substantiæ naturales ab Arist. distribuuntur viii. Met. xii. De cœlo igitur, quin in duobus primis libris, qui de cœlo inscribuntur agatur, nemo dubitat. Cum aut cæteri omnes Physici libri ad corpora caduca pertinere debeant, primo quidem loco de elementis agendum ratio suadet, quãdo hæc prima sunt corpora caduca, & initia, causæq; reliquorũ: quare non immerito in duobus postremis libris de cœlo, & in his, qui de generatione inscribuntur, de elementis istis est disputatum, quod omnium Græcorum est. Alexander quidem initio Meteor. dicebat, quæ in libris de cœlo inchoata erant, absolui in libris de generatione; idque hoc loco Auer. confirmat. Olympiodorus nedum in his, sed in meteorologicis etiam agi de elementis censuit quatenus immutantur, & alterantur, ità vt non verè vnam mistionis formã extundãt, sed varias tantũ quasdam imagines, & qualitates accipiant. Sed vt hoc nunc omittamus, illud sanè constat idem ferè subiici his libris, atque duobus postremis de cœlo, quare ab Arist. initio Meteororũ coniunctè ponũtur, quæ in vtroq; tractantur loco. *Præterea autem de rectè dispositis, secundum superiorem lationem astris, ac de elementis corporeis, quot, & quæ, & de ea, quæ inuicem fit generatione, & interitu communi dictum est antea.* In iii. igitur libro de cœlo, cum illas opiniones, quæ generationem statuebant compositionem quandam ex magnitudinibus indiuiduis, quod mirabiliter nobis viam veritatis inuestigandæ obstruerent, confutasset, ad elementorum tractationem aggrediens tex. xxx. inquit, *Considerandum esse, quænam sint talium corporum elementa, & quam ob causam sunt, deinde his constitutis, & quot, & qualia.* Addebat autem Auerroes quasdam ex istis propositis quæstionibus in iis de cœlo libris pertractari, quasdam autem in his de generatione, & interitu; cum in suo codice illa etiam particula adesset, *& quorum sunt*, quæ à nostro abest. Ita autem allata verba explanentur, alicui enim exhibere negotium possent. Agendum est, *quænam sint taliũ corporum elementa*, id est quæ nam inter huiusmodi corpora, quæ generantur, & intereunt, elementa censeri debeant *& propter quid sint*, causam scilicet aperientes, cur ista debeant censeri elementa, *Deinde quot, & qualia*, quæstio quot sint, ad quæstionem generis, nisi fallor, referri debet: idem enim significat, quot elementa sint, ac si diceremus, quot rebus elementi nomen tanquàm genus attribuatur; quæstio autem qualia sint ad quæstionem definitionis sine dubio refertur. Idem enim dictu est qualia sint, & quid sint, vt Alexan. initio Meteor. ex Arist. aliique sæpè interpretes, & Galenus ipse notauit. Scimus enim differentiam, à qua rei tota vis, & essentia pendet, qualitatem solere nominari. Quod autem pollicitus est Arist. etiam præstat. Nam primò quidem ex elementi definitione ostendit ignem, aërem, aquam, & terram inter corpora elementi nomine digna esse; quod est sequentium quæstionum quasi fundamentum; deinde ad numerum, & qualitatem inuestigandam pergit. Quod igitur ad numerum pertinet, primum excludit extrema, probat enim neque infinita, neque vnum duntaxat esse elementum. Deinde cum iam sequeretur plura esse, atq; finita, considerandum tex. lii. proponebat; vtrum sempiterna essent, an caduca: ho c.n. ostenso manifestum fore aiebat, & quot, & qualia sint. Similem quandam rationem sequutus est in primo phy. Nam cum quæreret de principiorum numero, primum aduersus Parmenidem disputauit non esse vnum, deinde aduersus Anaxagoram non esse infinita. Deinde cum exclusis extremis certus illorum numerus statuendus esset, posuit principia esse contraria; qua quidem re probè explicata, & numerus, & qualitas simul est constituta. Eodem igitur pacto, si nunc elementa ostenderit caduca esse, putat vtranque quæstionem, de numero inquam, & qualitate elementorum facilius explicatum iri. Ostendit igitur generari elementa, & ex se vicissim generari, non autem per secretionem, aut congregationem; neque omnino figuræ mutatione, neque dissolutione in superficies, demumque differentias elementorum à figuris non esse ducendas demonstrat; Quamobrem dicebat Auerr. com. lvi. librum tertium de cœlo anteire libros de generatione, quoniam in illo falsæ veterum opiniones refelluntur, In his autem vera oriendi, & intereundi ratio affertur. Idem autem innuerat com. xlii.

Ordo ab Aristot. in elementorum tractatione adhibitus.

Explanatio xxx. tex. iii. de cœlo.

Ad finem autem illius tertii addit Aristoteles differentias elementorum esse ducendas ab affectionibus, ab operibus, à facultatibus, hæc enim ea esse quæ in omnibus rebus naturalibus cognoscere cupiamus, Interpretabatur Auerroes *ab affectionibus*, à primis qualitatibus, calore, frigore, humore, siccitate, *à facultatibus*, à formis, quas ipse virtutes vocat, quod sanè notandum est ob quosdam, qui virtutes in rebus naturalibus à formis distinxerunt, & putarunt esse accidentia, *Opera* autem putat adiecta, tanquàm illa, quæ differentias veras & formas consequuntur nobisque declarant. Alexander autem referente Simplicio multas illorum verborum attulit explanationes, quarum quæ mihi magis probatur, illa est, vt affectionum nomine primas qualitates intelligamus, quæ in tertia specie qualita-

Explanatio vlt. tex. iii. de cœlo.

tis continentur, id est calorem, frigus, humorem siccitatem; opera autem illa sint, quæ ab istis qualitatibus proficiscuntur; facultates postremò leuitas, & grauitas, quarum postremo loco mentio facta est, quod ab illis continuò sibi ordiendum putat Aristoteles. Solet enim quæ postremo loco proponit, ea primo loco ad explicandum aggredi. Ergo vniuersus quartus liber in his maximè propriis elementorum differentiis tractandis positus est, quæ ad secundum qualitatis genus referri debent; atque ostenditur vnum ex istis primis corporibus esse summè, & simpliciter leue, aliud summè, & simpliciter graue, duo verò interiecta intermedia, partim grauia, partim leuia; quamobrem simul qualitas, & numerus ipsorum est constitutus. In his autem libris de Generatione, cum aliam istorum corporum differentiam, quæ ab affectionibus ducitur, tractare vellet, declarandum antea sibi putauit (quod tertio Libro de cœlo leuiter attigerat) quæ nam esset vera generationis natura, & alterationis, quoniam per primas qualitates elementa generantur, & alterantur; ita vt primus horum librorum iaciat quasi fundamenta, quibus in secundo ad elementorum differentias statuendas vti possimus. Admirabilis est igitur ordo, qui ab Aristotele seruatur: tertio libro de cœlo ea explicantur, quibus nō explicatis ad elementorum differentias inueniendas aspirare nun possumus. Deinde cum duplices sese offerrent differentiæ, aliæ, quæ à facultatibus, aliæ, quæ ab affectionibus ducerentur; facultates antea tractandas sibi existimauit, quòd isthæc tractatio multo coniunctior esset iis, quæ de cœlo dicta erant; cuius coniunctionis habendam esse rationem docuit nos Aristoteles, secundo de partibus animalium cap. nono. Nam per grauitatem, & leuitatem ad propria feruntur loca, suasque constituunt vniuersitates, ex quibus vnà cum cœlo tanquàm primariis partibus mundus componitur; ita vt istæ qualitates sint etiā priores naturà cæteris qualitatibus, quæ elementis insunt. In his autem libris cæteras ab affectionibus ductas differentias persequi in animo habens, putauit antea illa esse declaranda, quæ ad eam rem mirificè faciebant, naturam scilicet generationis, alterationis, efficiendi, patiendi, tangendi, mistionis. Quare si finem spectes, quò isthæc omnia referuntur, dices consilium Aristotelis in his libris esse de elementis agere, quatenus primis qualitatibus patibilibus prædita sunt. Verum dubitabis. Facultates illæ, de quibus iiii. de cœlo actum est, motum pariunt, qui est ad locum, generatio autem de qua hic agitur, est prior motu, qui ad locum; nam hic ad accidens, illa ad substantiam ducit; ergo hi libri ante quartum de cœlo collocandi erant. Præterea cur hic de accretione agitur, si elementa sunt nobis proposita ad contemplandum? quando quidem accretio ad elementa non pertinet, sed animatorum propria est. Dissoluuntur hi nodi non difficulter. Primus quidem ea ratione, quòd prius essentiam rerum quærimus, quàm modum oriendi, & occidendi; ex quo tractās Aristoteles animalia, antea de sensu, & memoria, atque huiusmodi rebus ad illorum essentiam pertinentibus egit, quàm de eorundem generatione. Cum igitur elementorum essentia illis facultatibus significetur, & contineatur; idcirco de illis optimè agere potuit, antequàm veram oriendi, & occidendi rationem explicaret. Quòd si in tertio libro nonnulla de generatione sunt dicta, eò spectabant omnia illa, vt falsæ opiniones exploderentur, numerusq; & motus etiam rectus elementorum constituerentur, quod in quarto est actum. Verum sedanda est controuersia quædam inter Philoponum, & Auerroem. Philoponus inquit ex iis, quæ dicentur in secundo horum librorum, qui nobis in præsenti propositi sunt, cognosci quot, & quæ elementa sint. Auerroes autem inquit, numerum esse constitutum in libris de cœlo, quod Aristoteli maximè congruere videtur, qui initio meteor ita dicebat. *Adhuc autem de rectè dispositis secundum superam lationem astris; & de elementis corporeis quot, & qualia, ac de ea, quæ inuicem, Generatione, & Interitu communi, dictum est antea*; quasi ante quàm de generatione sit actum, quot & qualia elementa sint, constituerit. Non est dubitandum quin Auerroes rectè dixerit. Nam Aristoteles ex iis, quæ attulit secundo libro de cœlo xviii. & xix. & iiii. lib. xxxvii & xxxviii. sine dubio numerum elementorum stabiliuit, declarandoque facultates illorum, etiam qualia essent, ostendit. Nec tamen idcirco reprehendendus Philoponus. Nam in his libris tractatur qualitas, & natura elementorum, cum de illorum qualitatibus patibilibus disseratur; ex ista autem tractatione magis elucet, & confirmatur ipsorum numerus. Sic dicebat Arist. iii. libro Ethic. cum ostensum fuisset, quæ nam virtutes essent, fore etiam, vt quot essent, intelligeretur. Patet igitur inter libros de cœlo, & hos maximam esse coniunctionem. Nam in illorum postremis duobus de elementis agitur constituendo numerum, & qualitates, ac facultates istas per quas feruntur ad locum, ita vt hanc vniuersitatem compleant. In his eadem elementa tractantur declarando patibiles ipsorum qualitates, & rationem, quâ ad mistionem veniunt; itaque verè elementa, & causæ sunt, vt docebat Auerr. iii. de cœlo com. primo. Procreantur enim ab illis mista corpora.

Dubitationes de ordine, & subiecto horum Librorum sublatæ.

Cur antea de graui, & leui, quàm de generatione sit actum.

Controuersia inter Philoponū, & Auerroem sedata.

Istis

Istis autem qualitatibus constitutis fit etiam vt numerus ipsorum certior, & firmior sit. Ideo Aristoteles coniunxit epilogum illorum librorum cum proœmio horum. Epilogus quidem ita se habet. *De graui igitur, & leui, & iis, quæ in his eueniunt, constitutum sit nobis hoc modo* Proœmium autem ita. *De generatione autem, & interitu eorum, quæ naturâ generantur, & intereunt, similiter in omnibus*, quasi hoc sibi velit. Ex quo iam de qualitatibus elementorum, per quas ad propria loca feruntur, satis egimus; reliquum est vt agamus de eorundem patibilibus qualitatibus, per quas generantur, & intereunt, efficiunt, patiuntur, miscentur. Et quoniam hæc rectè intelligi nequeunt, nisi antea generationis, alterationis, effectionis, perpessionis, mistionis naturam probè cognitam habeamus, idcirco de generatione statim, atque alteratione, & aliis huiusmodi rebus agendum est.

Quod autem ad accretionem pertinet, illa quidem elementis non conuenit, sed tamen ob seriem ipsam, & connexionem rerum, cuius antea diximus magnam esse vim, factum est, vt cum de aliis motationibus actum esset, de accretione etiam agi deberet. Ita sexto Ethic. cum ob virtutes morales necessariò de prudentia differendum esset, ob coniunctionem factū est, vt de cæteris quoque virtutibus ad intelligentiam non ad mores pertinentibus disputaret. Simili ferè pacto cum primo magnorum moral. cap xxxiii. dubitasset num rectè de sapientia egisset, respondebat Aristoteles id fuisse in causa, quòd cum de his loquimur, quæ in anima sunt, de omnibus dicamus oportet. Ex iis quæ diximus, satis nisi fallor patefactum est consilium Aristotelis in his libris. Agendum enim illi est de elementis, quà patibilibus qualitatibus affecta oriuntur, occidunt, alterant, alterantur, miscentur.

Cur de accretione in hoc libro agatur.

Summa Consilii Arist. in his lib.

Cur hæc tractatio in duos libros sit distributa. Cap. 2.

Duobus autem libris hæc tractatio (quod erat secundum caput de iis, quæ initio proposuimus) continetur. Nam in primo quasi fundamenta iaciuntur; explicaturque generationis, interitus, alterationis, tangendi, efficiendi, patiendi, mistionis natura, & vis omnis; in secundo autem isthæc accommodantur elementis, & propriæ ipsorum qualitates ostenduntur. Nec est, quod dubites, cur si de omnibus mutationum generibus iii. & quinto phy. actum est, nunc de iisdem agatur. Nam ibi actum de illis est tenuiter, atque vt species motus erant; nunc integrè, & ad præsens institutum accommodatè agetur.

Cur sæpius de iisdem motibus.

De inscriptione. Cap. 3.

Restat tertium caput de inscriptione. Multiplex est Aristotelica inscribendi ratio. Interdum inscriptionem apponit indicantem omnia quæcunque in illo volumine continentur, vt in libris de Anima, de Rhetorica, de Poëtica. Interdum præcipuam, aut maiorem partem indicare satis habet, vt fortè in libris de cœlo, in meteorologicis: interdū locum demonstrat, in quo collocari tractatio illa debet, vt in iis, quæ post naturalia inscripsit. Nonnunquàm excitat auditoris attentionem; qualis inscriptio illa, de naturali auditione. Præsenti inscriptione præcipua pars horum librorum significatur. Nam cum de elementis agendum sit, quà subiiciuntur reliquis præter lationem mutationibus, præcipua autem mutatio sit generatio, & interitus; de hac voluit libros inscribere; quod notauit etiam Auerroes in paraphrasi. Libet referre Galeni verba, quæ magnus ille vir primo de elementis scripsit, cum rationem redderet, quamobrem suum librum Hippocrates de elementis, vt Asclepiades, non inscripsisset. *Nihil, inquit, refert. Videmus enim veteres ferè omnes libros suos de natura inscripsisse, vt Melissum, Parmenidem, Empedoclem, Alcmeonem, Gorgiam, Prodicum, cæterosq; omnes. Quin etiam Aristoteles in libris de cœlo, & in libris de generatione, & interitu, agit de elementis, item Chrysippus in libro de substantia: ac neuter tamen suos libros de elementis inscripsit. Non est sanè vocabulis ipsis omnino insistendum, sed vis potius sermonis perpendenda est*, nonnullaq; in hanc sententiam adiungit, quæ attendere operepretium erit. Habetis consilium Aristotelis in his libris, scitis quid agatur in primo, quid in secundo; Rationem inscriptionis tenetis; quare ipsum iam Aristotelem potestis audire.

Arist. de Generatione & interitu

LIBER PRIMVS.

Cap. primum. Tex. com. pri.

DE Generatione autem, & interitu eorum, quæ natura generantur, & intereunt, similiter in omnibus, causæq; distinguendæ sunt, & rationes ipsarum.

SImplex Proœmium est, in quo seruatur vnica illa conditio omnium Proœmiorum tertio Rhet. Cap. xiiii. exposita, vt Autoris explicetur consilium, atque institutum. Cohæret autem epilogo, vt in præfatione diximus, librorum de cœlo, quod significat dictio illa, *autem*, quasi ita coniunctè sit legendum. *De graui quidem igitur, & leui, & iis, quæ ipsis accidunt, hoc modo statutum nobis sit*. Hic fuit epilogus librorum de cœlo. *De generatione autem, & interitu eorum, quæ natura generantur, & intereunt, similiter in omnibus* Nunc scilicet statuendum nobis est: quare ita possumus argumentari. Ei qui egit de graui, & leui, & ipsorum accidentibus, si ordinem seruare velit, protinus de generatione, & interitu, ac de accretione, & alteratione agendum est: nos iam de graui, & leui ipsorumque accidentibus egimus, ergo protinus, si ordinem seruare velimus, vt certè volumus, de generatione, & interitu, de accretione, & alteratione nobis agendum est. Maioris autem propositionis, in qua huius argumentationis tota vis consistit, necessitatem satis in præfatione demonstrauimus. Cautè autem proponit, *quæ natura generantur*. Multa enim geruntur consilio, vt amicitiæ, & inimicitiæ, multa arte, vt Domus, & nauis, quæ nobis hoc tempore non sunt proposita ad contemplandum, sed ea tantum, quæ natura oriuntur, & intereunt. Cautè etiam illud addit, *similiter in omnibus*, id est vniuersè, & generatim, qua conueniunt omnia in vno quodam communi modo oriendi, & intereundi. De specialibus enim, & propriis cuiusq; speciei modis in sequentibus libris est agendum, in meteorologicis quidem de generatione pluuiæ, cometarum, iridis, huiusmodique rerum, quæ in sublimi loco fiunt, in reliquis autem de generatione, & interitu plantarum, & animalium. *Causæque distinguendæ sunt, & rationes ipsarum*. Ei, qui non historiam sed scientiam profitetur, de causis rerum, quas pertractat, agendum est, nos non historiam, sed scientiam profitemur, ergo de causis istarum rerum, quas pertractamus, agendum nobis est. Quas autem horum verborum, *causæ, & rationes*, interpretationes affert Philoponus, mihi non probantur. Si enim illius modo interpretaremur, pertinerent ad explicandum consilium Aristotelis in sequentibus post hunc libris. Id autem absurdum esset, & inepte hoc loco positum, cum nondum plenè eius in præsenti libro expositum consilium est; quare alia verba addit, vt audietis, ad illud patefaciendum. Sic igitur nos interpretemur, *causæque distinguendæ*, id est, ostendendum quatuor causas ad rerum naturalium generationem, & interitum concurrere, materiam, formam, efficiens, finem, *& rationes ipsarum*, distinguendæ atque explicandæ diligenter sunt rationes, & modi ipsarum causarum, quibus rationibus, & modis ad procreandum accedunt. Alia enim materiæ ratio est, alia efficientis, alia reliquarum causarum. Notat Philoponus non posse hoc loco isthæc duo nomina, *causæ, & rationes*, idem significare, quòd coniunctio illa τε sit addita; dictum enim est τάς τε αἰτίας διαιρετέον καὶ τοὺς λόγους αὐτῶν; quasi illæ duæ particulæ τε & καὶ vim quandam distinguendi habeant, quemadmodum in latina lingua si diceremus, diuidendæ sunt, & causæ, & rationes ipsarum, diuersum quiddam esse causas à rationibus statim intelligeremus; quamquam fortasse illud, τε, significare potest coniunctionem eorum, quæ nunc dicuntur, cum superioribus quomodo, & nos conuertimus; sicque argumentum Philoponi non satis firmum esset. Satius tamen omnino videtur vocibus illis diuersum sensum tribuere. Occurrit etiam alia interpretatio, si legamus *Rationes ipsorum*, id est eorum, quæ natura generantur, & intereunt, non autem, *Ipsarum*, vt antea dicebamus, quod facilè vox Græca αὐτῶν patitur. Nam voce illa, *causæ*, efficientem, & materiam intelligere poterimus, quas infrà proprias generationis causas statui audietis, voce autem illa *Rationes* formam, & finem in quibus præcipuè rei

tam

ſam factæ eſſentia, & ratio conſiſtit. Quare primo phy. lxix. forma vocatur abſolutè ratio, finem autem à forma vix differre notauit ſæpè Ariſt.

Notandum eſt in his verbis eſſe atticiſmum. *De generatione autem, & interitu eorum, quæ naturâ generantur, & intereunt ſimiliter in omnibus*. Addenda enim ſunt ſimilia quædam verba, *Statuendum poſthac eſt*. Eſt autem hic atticiſmus Ariſt. familiaris, quod notauit Alex. in libro de Senſu, & Senſili ad initium tertii capitis, & quinto Metaph. com xii.

Præterea autem de Accretione, & alteratione, quid vtrunque.

Pergit explicare, vt dicebamus, ſcopum, & argumentum huius tractationis. Non enim tantum de generatione & interitu agendum eſt, illorumque cauſis, verum etiam de reliquis mutationibus, quæ rebus naturalibus infra Lunam poſitis conueniunt; tales ſine dubio ſunt accretio, & alteratio; & quamuis accretio non omnibus illis conueniat; tamen quando diuerſum à generatione, & alteratione genus motationis eſt, multiſq; omnino, ſi minus omnibus rerum inferiorum ſpeciebus ineſt, iiſdem profectò libris tractari debuit, quibus reliqua mutationis genera tractabantur.

Adde, vt notat Philoponus, & alterationis, & accretionis cognitionem ad generationem propriè dictam cognoſcendam facere, præcipuè autem cognitionem alterationis; quod perſpicuè indicant verba proxime ſequentia.

Et vtrum exiſtimandum ſit eandem eſſe naturam alterationis, & generationis, an diuerſam, quemadmodum & nominibus diſtincta ſunt.

Quaſi dicat eam etiam ob cauſam diligenter de alteratione agendum eſſe, vt generationis natura benè intelligatur. Nam ſiue idem reapſe ſint, nominibus tantum diuerſa, ſiue differentia nominum indicet diuerſas etiam eſſe res; certè alterum alterius cognitione eget. Idcircò primo Top. quæſtio de eodem ac diuerſo ad quæſtionem definitionis refertur. Ergo de alteratione duplici de cauſa eſt agendum, tum per ſe, quòd eſt naturalis mutationis genus, tum gratiâ generationis, quæ benè intelligi nequit, non percepta alterationis natura.

Notat breuiter Philoponus generationem eſſe mutationem, quæ ad ſubſtantiam pertineat ex non ente in ens, alterationem verò mutationem ad id, quod iam formam ac ſpeciem habet, pertinentem, in aliquo accidentium illi; quare generatio aliud facit; alteratio autem ἀλλοῖον, id eſt quod immodo immutatum. Sic Telemachus apud Homerum vocat patrem ſuum à Minerua in accidentibus mutatum non ἄλλον, id eſt alium, ſed ἀλλοῖον, quaſi leuiter immutatum, & alteratum. Verſus autem, qui & nunc à Philo. & ab Ammonio in quinque voces Porphyrii cap. de differentia affertur, ità habet ἀλλοῖός μοι ξεῖνε φάνης νέον ἠὲ πάροιθεν.

Antiquorum igitur hi quidem eam, quæ ſimplex generatio vocatur, alterationem etiam dicunt: illi verò diuerſum quiddam alterationem et generationem.

Ad quæſtionem poſtremò loco poſitam primum aggrediens (eius enim explicatio gradus quidam erat ad reliquas explicandas, ac ſanè ſolet Ariſtoteles ad id, quod vltimo loco proponit, primum aggredi) Veterum philoſophorum ſententias narrat, antiquum ſcilicet ſuum inſtitutum tenens, falſas aliorum opiniones ex animis hominum prius euellendi, quàm ſuam veritatis plenam inferat. Sic diligentes Agricolæ prius agrum noxiis ſtirpibus perpurgant, quàm illi bona ſemina commendent. Quamuis autem eum generationem dicimus, eam, quæ ſimplex, id eſt propriè, & abſolutè generatio eſt, intelligi æquum ſit (quemadmodum Simplicius ſecundo phy. com. xxxvi. cum cauſæ profertur nomen cauſam propriam debere intelligi contendit) tamen vt rem clarius exprimat, initio propoſitæ diſputationis voluit accuratè notare, de qua generatione intelligat; idcircoque addit, *eam, quæ ſimplex generatio vocatur*, id eſt propriè, & abſolutè. Nam & alteratio eſt generatio quædam, verum non ſimpliciter, ſed cum adiunctione quadam. Cum enim corpus aliquod ex nigredine in candorem alteratur, non dicimus abſolutè corpus fieri, ſed adiungimus corpus fieri candidum cæterum hæc infrà copioſius. Nunc qui ſint vtriuſque recitatæ ſententiæ autores, operæpretium eſt audire.

Quicunque enim omne quicquid est, vnum quiddam esse dicunt, & omnia ex vno generant, hi quidem generationem esse alterationem dicant necesse est, & quod propriè generatur, alterari.

Pauci fortè ex veteribus hæc verba pronuntiarant, generationem esse alterationem. Verũ Aristoteles non tàm quid dicant, quàm quid suis principiis congruenter dicere debeant, attendit. Cum igitur multi ex veteribus vnicum omnium rerum principium ponerent, vt Tales, qui aquam, vt Anaximenes, & Diogenes, qui aërem, his necessariò confitendum fuisse docet, generationem simpliciter dictam, de qua iam notauimus intelligi, non differre ab alteratione. Id autem ab illis hoc argumento extorquemus: generatio, in qua non fit mutatio substantiæ, sed tantum accidentium, est idem atque alteratio; omnis rerum naturalium generatio apud eos, qui vnicum principium ponunt, est huiusmodi vt nulla fiat mutatio substantiæ, sed tm̃ accidentiũ; ergo omnis rerum naturalium generatio apud istos erit idem atq; alteratio. Maior propositio ex iam allata alterationis definitione patet; mutatio enim in accidentibus est alteratio: videtur autem nunc sub alteratione, & eam, quæ in quantitate, & eam, quæ in loco mutationem comprehendere, quatenus & istæ sunt mutationes in accidentib. Minoris autem veritas inde patet, quòd ipsi, qui vnicum principium, id est vnicum subiectũ omnium rerum ponebant; hoc vnum esse etiam rerum substantiam censebant; formas autem accidentia. Ex quo dictum est primo phy. vii. eandem esse quæstionem de numero principiorum, atque de numero entium. Nam qui plura principia statuunt, plura etiam putant esse entia secundum substantiam, id est tot esse diuersas rerum substantias, quot principia sunt. Qui autem vnicum principium ponunt, vnicam etiam ponunt omnium rerum esse substantiam, Idcircòque omnia esse vnum secundum substantiam Idem repetitur ii. phy. vii. vbi materiam esse naturam probatur. Inquit enim Aristoteles eo loco, quod quisque putauit esse principium siue vnum, siue plura, id, & tot putasse esse vniuersam substantiam, cætera verò affectiones, atque habitus Idem nunc euidenter significatur. Nam cum dixisset, *quicunq; omne quicquid est, vnum esse dicunt*, id explanans, ait, *& omnia ex vno generant*, quasi omnia vnum sint de illorum sententia, eò quod subiectum vnum sit; hocque subiectum sit vniuersa rerum substantia. Ergo, si vnicum principium est, idque est vniuersa rerum substantia, nec potest ipsum in sua substantia mutari, certè mutatio in accidentibus tantum existet. Non potest autem illud principium in sua substantia mutari, quoniam si mutaretur, non esset primum principium, sed posterius illo, circa quod immutabile persistens facta mutatio esset, omninoque & nos materiam primam eadem de causa mutari secundum substantiam nolumus. Possumus igitur ità argumentari ad minoris confirmationem. Si fieret mutatio in substantia, fieret mutatio in principio, nam illi non aliam esse rerum substantiam, quàm principium volunt; sed in principio mutatio fieri nequit, quoniam principium immutabile sit oportet (non enim aut ex se, aut ex alio fiet, ne aut se ipso, aut illo alio sit posterius) ergo in substantia mutatio non fit. Sequitur igitur fieri in accidentibus, quæ iam alteratio est. Quæ ad huius loci interpretationem affert Philoponus, à nostris non discrepant, sed nisi fallor, longè obscurius sunt tradita; *Et quod propriè generatur alterari*. Significantius exprimit, quod sibi languidius dixisse videbatur. Necesse, inquit, est qui vnicum principium statuunt, generationem cum alteratione confundant, generationem, inquam, propriè dictam, ita vt propriè aliquid generari nihil aliud sit, quàm alterari. Ità dum istam sententiam recenset, vnà quoque illius patefacit absurditatem.

Quicunque verò materiem plura vno ponunt vt Empedocles, & Anaxagoras, & Leucippus, hi alterum.

Secundæ sententiæ, quæ generationem ab alteratione distinguebat, autores nunc affert eosdem scilicet, qui non vnum sed plura subiecta ponebant; Inquit autem non qui plura principia, sed qui plura subiecta, & materias, quoniam tota ratio distinguendi generationem ab alteratione apud veteres in ipsa materia consistit. Audistis enim iam qui vnicum subiectum ponerent, vnicam etiam rerum vniuersarum substantiam posuisse, quare generationem ab alteratione non potuisse distinguere. Qui autem plura subiecta inducunt, plures etiam rerum substantias statuent; quare si sapienter hanc rem tractare velint, generationem ab alteratione distinguere debebunt, vt generationem, atque interitum vocent princi-

piorum

piorum congregationem, ac diremptum; alterationem verò mutatione ordinis, & situs in iisdem principiis tueantur. Exemplo res illustretur. Empedocles quatuor principia posuit, illa scilicet quæ vocantur elementa ignem, aërem, aquam, terram. Anaxagoras, vt audietis, infinita homogenea, & vniusmodi; Leucippus, ac Democritus infinita corpora indiuidua figuris inter se differentia; Accipiamus nunc istam Democriti opinionem. Concurrant, & congregenter plura corpora indiuidua, orietur aliquid; dirimantur, & dissoluantur; idem interibit; manentibus iisdem corpusculis eorum tamen ordo, ac situs varietur, & quæ erant posteriora, collocentur in fronte, quæ inferiora, superiorem locum teneant; iam non orietur, aut interibit, sed alterabitur. Quod in Leucippi, & Democriti sententia ostendimus, non difficile est in Empedoclis etiã atque Anaxagoræ sententia ostendere. Possent igitur omnes isti alterationem à generatione distinguere, atque omnino necessariò deberent; non tamen omnes distinguunt, ob negligentiam scilicet errantes.

Anaxagoras sanè propriam vocem ignorauit, dicens, generari, atq́ interire idem esse, atq́ alterari; multa autem elementa ponens, sicut & alij.

Miratur quodammodo de Anaxagora Aristoteles, qui plura elementa cum poneret, sicut, & alii iam memorati, id est infinita homogenea, idcircoq́ue horum congregationẽ vocare generationem deberet, dissolutionem interitum, ipse tamen congregationem, & dissolutionem, alterationem vocarit. ***Sic propriam vocem ignorauit***, id est, vt Latini interpretãtur, non se audiuit, nec cognouit, quid sibi congruenter suis principiis dicendum esset, aut ignorauit propriam vocem generationis, & alterationis, dum illas temere confundit, ac quod dicere deberet propriè oriri, inquit alterari, cuius secundæ interpretationis meminit ex Alexandro Simplicius i. phy. com. xxx. Hanc verò interpretationem, qui græcè intelligunt, ac tenent, quæ sit vis illius vocis οἰκεῖον, magis probabunt. Ac fortè erant hæc ipsiusmet Anaxagoræ verba, generari esse idem, atque alterari; quod videtur colligi ex pri. phy. xxxiii. Illud non obliuiscamur alterationis vocabulum amplè sumi, vt omnem in accidentib. mutationẽ significat. Nam vt præclarè ostendebat Auerr. xii. Met. xviii. generatio ab Anaxagora quasi motus quidam localis inducebatur. Erat enim rerum latentium eductio.

Empedocles enim corporea quidem quatuor, omnia autem cum mouentibus sex numero.

Quasi dicat melius intelligetur, quod posuimus, si quomodo iam memorati viri plura principia inducerent, ostenderimus. Empedocles igitur principia corporea quatuor esse statuit, nempè illa, quæ vocantur elementa. Vox autem illa ***corporea*** significat materialia, ac patibilia; pati enim proprium corporum est, & hæc Empedocles pro subiecto ponebat, efficientes autem causas faciebat incorporeas; ***Omnia autem cum mouentibus***: adnumeratis scilicet mouentibus, & efficientibus causis, lite & amicitia resultant sex numero. Vocem illam γὰρ ita interpretati sumus, vt idem valeat atque οὖν quod apud Aristotelem esse vsitatum notat Alex. in vii. metaph. com. x.

Anaxagoras autem infinita, & Leucippus, & Democritus; hic ea quæ sunt homogenea, elementa ponit, vt os, & carnem, & medullam, & aliorum omnium, quorum pars synonyma est.

Vox illa, ***hic***, non refertur ad proximè memoratum Democritum, sed ad Anaxagoram more Aristoteli vsitato. Sic secundo phy. xlix. ***Eorum quæ fiunt, alia fiunt gratia huius, alia non fiunt, & horum alia fiunt consilio, alia sine consilio***, Vbi vox illa, ***horum***, non ad secundum ac proximum, sed ad primum, ac remotius diuisionis membrum refertur. Anaxagoras igitur, cum ex qualibet re quamlibet ferè gigni animaduerteret, putauit res omnes esse conflatas ex innumerabilibus partibus cuiusque rei homogeneæ. Homogenea autem illa dicitur, cuius pars est synonyma toti, id est idem nomen, eandemq́ue definitionem habet, atque totum, vt caro est homogenea, quoniam pars carnis, caro est, item neruus, quia pars nerui neruus est. Heterogenea autem, & multiformis illa, cuius pars non est synonyma toti, vt

brachium. Ita igitur rem se habere putabat Anaxagoras, vt in osse exempli causa, quod vulgo scilicet dicitur os, sint innumerabiles partes non solum sinceri ossis, sed etiam carnis, ossis, nerui, medullæ, & in ea quæ vulgo dicitur medulla, innumerabiles partes carnis, ossis nerui: differre autem vnam rem ab altera, eoquòd in vna essent plures partes carnis, vnde tota res caro vocaretur, in altera plures partes ossis, vnde totum corpus os diceretur. Hanc opinionem præclarè Lucretius primo libro his verbis expressit.

Nunc & Anaxagoræ scrutemur ὁμοιομέρειαν,
Quam Græci memorant, nec nostra dicere lingua
Concedit nobis patrij sermonis egestas:
Sed tamen ipsam rem facilè est exponere verbis.
Principio rerum, quam dicit ὁμοιομέρειαν,
Ossa videlicet è pauxillis, atq; minutis
Visceribus viscus gigni, sanguenq; creari
Sanguinis inter se multis coeuntibu' guttis. Deinde.
Cætera consimili fingit ratione, putatq;. Paulopost.
Id quod Anaxagoras sibi sumit, vt omnibus omnes
Res putet immistas rebus latitare: sed illud
Apparere vnum, cuius sint plurima mista,
Et magis in promptu, primaq; in fronte locata. Reliqua apud ipsum legantur.

Democritus autem, & Leucippus ex corporibus indiuiduis reliqua componi dicunt; hæc autem infinita, & multitudine esse, & formis; ipsa autem inter se ipsa differre his, ex quibus sunt, & situ & ordine horum.

Democritus, & Leucippus indiuidua quædam corpuscula statuunt elementa omnium rerum; quæ quidem numero sint infinità, & infinitis etiam formis, & figuris prædita; *Ipsa autem inter se ipsa*, Rursus ista vox, *Ipsa*, referri debet non ad corpuscula, de quibus proximè loquutus erat, sed ad illud remotius verbum *Reliqua*, id est effecta, & corpora composita. Ipsa igitur corpora composita differre inquiunt tribus modis figurà, ordine, situ; figurà, vt ignem à terra, quòd ille ex rotundis, hæc ex cubicis atomis fortasse constet; Ordine si duo ex easdem figuras habentibus atomis sint constituta, verùm in vno, exempli causa; sphæricæ atomi teneant priores partes; cubicæ occupent posteriores, contra in altero cubicæ priores, sphericæ posteriores: sic dictio *Roma* differt à dictione *Amor* solo scalicet ordine literarum. Situ autem, si earundem atomorum diuersa collocatio (ita vt in vna re collocentur rectæ, in altera obliquæ, vel supinæ) varietatem in effectis pariat, quomodo litera N differt à litera Z. Differentia autem, inquit Philoponus, quæ ducitur à figura, in causa est, vt effecta sint omnino altera, ac specie discrepantia; Qoare primam illam à figura ductam differentiam his verbis descripsit Aristoteles *His ex quibus sunt* quasi dicat substantià ipsa.

Contraria autem omnino videntur dicere Anaxagoræ sectatores, & Empedoclis. Hic enim ignem, & aquam, & aërem, & terram dicit elementa quatuor, ac simpliciora esse, quàm carnem, & os, & reliqua huiusmodi ex homogeneis: Illi verò hæc quidem simplicia, & elementa; Terram autem, & ignem, & aërem composita. Nam omniseminarium esse horum.

Nota

Notat tota penè diametro Anaxagoræ sectatores ab Empedoclis dissensisse; qua dissensio ne percæpta, vtriusque sententia plenius intelligetur: hanc autem dissensionem tertio etiã libro de cœlo tex. xxxii. exposuit. Empedocles igitur, & qui eius sententiam adamarunt, quatuor vocata elementa, verè etiam elementa esse censuerunt, ac longè simpliciora, quàm carnem, & os, & reliqua huiusmodi; natura enim principii atque elementi simplicitatem maximè desiderat, Compositum.n. a componentibus tanquàm ab elementis pendet. Anaxagoræ autem sectatores homogenea, vt carnem, os, neruum, esse censuerunt *Simplicia, & elementa*: vides rursus simplex cum elemento coniungi ab Aristotele quoniam à natura etiam coniunguntur *Terram autem, & ignem, & aërem composita*, quasi dicerent falso vocari elementa, verè enim esse composita ex homogeneis, tanquàm ex veris elementis: ommittit autem in istis corporibus recensendis aquam negligentia quadã Aristoteli vsitata, & grauitatem præseferente, de qua Phalereus in libro de interpretatione *Nam omni seminarium esse horum*. Vera inquit elementa ponebant ista homogenea, atque ad istorum vim, ac naturam pertinere dicebant, vt sint semina, & elementa omnium rerum. Possumus autem istas voces *Omniseminarium esse horum* ità etiam interpretari, istorum homogeneorum esse infinitam quandam copiam; quare, supple tu, principia, & elementa esse commodè vocant. Sic enim de atomis Democriticis primo de anima vigesimo scriptum est, atomorum omni seminariom esse apud Democritum totius naturæ elementa: huic autem voci πανσπερμία similis erat illa, qua Empedoclem vsum constat secundo phy. lxxxxiii. ὀυλοφυὴς.

Qui igitur ex vno omnia constituunt, ij generationem, & interitum esse alterationem dicant necesse est: semper enim manere subiectum idem, & vnum: tale vero alterari dicimus.

Expositis diligenter opinionibus veterum colligit illud, quod principio posuerat; & probat apud eos, qui omnia construi volunt ex vno subiecto, quod scilicet sit integra omnium rerum substantia, necessariò generationem, & interitum esse alterationem Probatio est huiusmodi: omnis mutatio in qua subiectum manet *Idem & vnum* (vnum numero, idem substantia) ita prorsus, vt nulla fiat mutatio in substantia, alteratio est; generatio, & interitus apud veteres vnicum subiectum statuentes erat mutatio, in qua subiectum manebat idem, & vnum, idcircoque tota rei substantia stabilis permanebat; ergo generatio, & interitus apud illos erat alteratio. Aristoteles autem primo loco conclusionem affert, deinde minorem propositionem, qui mos illi familiaris est.

Qui autem plura genera faciunt, ij differre alterationem à generatione.

Supple ex superiore periodo *Dicant necesse est*, vocat autem elementa genera, quoniam & genera videntur esse elementa specierum; aut potius cùm inquit *Genera* intelligit subiecta & materias. Distinguuntur enim, qui vnicum subiectum ponunt ab iis, qui plura. Subiectum autem, & materiam vocari genus ob quandam naturæ similitudinem patet secundo de anima lv. ac multo clarius v. Metaph. xxxiii. & x. Metaph. xxiiii. quàmuis Alexander secundo quæstionum naturalium cap. vltimo, & ex Alexandro Auerr. iii Metaph. xliii. & alibi sæpè inter materiam, & genus propriè sumptum multum interesse ostendant: qua de re infrà.

Coeuntibus enim ac dissolutis generatio existit, & interitus. Quamobrem & Empedocles ita inquit, naturam nullius, sed solum mistionem, & fœdus mistorum. Quod igitur sermo est aptus illorum hypothesi ità dicere, manifestum, & quod ità dicunt.

Omnino, inquit, si isti sua principia tueri velint, congregationem illorum esse generationem, ac dissolutionem interitum statuant oportet: alterationem verò quamlibet aliam mutationem, vel in ordine, vel in situ coeuntium. Id sanè Empedocles significauit, cum inquit, *naturam nullius esse*, id est rem nullam compositam habere naturam, & essentiam aliquam propriam, aut veram vnitatem accepisse, *Sed solum mistionem, & fœdus mistorum*, id est

id est, sed naturam cuiusque rei esse ipsam mistionem, & fœdus elementorum, quæ miscentur, mistio autem, & fœdus fit per congregationem; ergo congregatio est generatio. Id.n. quod ducit ad ipsum esse, est generatio, congregatio ducit ad ipsum esse, ergo congregatio est generatio. Maior propositio clara; minor probatur. Quod ducit ad mistionem, & fœdus, ducit ad ipsum esse, congregatio ducit ad mistionem, & fœdus, ergo congregatio ducit ad ipsum esse. Maior inde patet; quod apud Empedoclem ipsum esse rerum, nihil aliud erat, quàm mistio, & fœdus mistorum: Minor autem clara. Misceri enim, & fœdus icere non possunt, nisi congregentur, & coeant. Notant autem Alexander, & Auerroes hæc eadem verba explanantes quinto Metaphy. v, ignorasse Empedoclem veram mistionis naturã nihil enim aliud mistionis nomine significasse, quàm compositionem, & coagmentationem quandam, ideircoque dixisse naturam nullius esse, quòd eorum, quæ simul componebantur, vera non fieret vnio. *Quod igitur sermo est aptus*, Constat igitur veteres istos, & ità dicere debuisse si congruenter suis principiis loqui debebant (generationem scilicet esse congregationem elementorum, interitum verò dissolutionem) & verò etiam dixisse; quod Empedoclis testimonio ostendimus.

Iidem autem alterationem esse aliquid præter generationem dicant oportet; at nefas tamen per ea, quæ ab illis dicuntur.

Iam constituit, quid apud veteres plura principia facientes, generatio esse deberet, nunc ostendit necessariò iisdem alterationem fuisse ponendam; ac diuersam quidem à generatione. Hoc enim ostenso satis constabit rectè à nobis antea dictum esse, cogi istos generationem ab alteratione distinguere. Quamuis autem ad hæc distinguenda cogantur, tamen (vt persæpè homines inscitia labuntur, neque satis ipsi sibi constant) ea verba proferunt, quæ tollere omnino alterationem videantur.

Id autem rectè à nobis dici, non difficile videre. Nam quemadmodum cernimus quiescente substantia mutationem in ipsa penes magnitudinem, quæ accretio, ac diminutio vocatur, ità, & alterationem.

Iam ex superioribus patere potuit, illis necessariò alterationem à generatione distinguendam fuisse; & generationem quidem in congregatione elementorum, alterationem verò in mutatinne ordinis, & situs eorundem ponendam; rectè tamen à nobis dictum esse ex illorum verbis tolli alterationem, ex iis, quæ afferemus patebit. Quod antequàm fiat, verbis illis *Nam quemadmodum cernimus &c.* breuiter in memoriam reuocat, quod sit alteratio, simulq; eam alterius mutationis, quæ accretio, & diminutio dicitur, exemplo confirmat, Est enim isthæc in quantitate mutatio, vt inquit Philoponus, quodammodo notior, & à nullo vnquàm negata, cum alterationem quidem Protagoras negare non erubuerit; qua de re aliàs dicemus. Satis nunc est accretionem, ac diminutionem esse mutationem quantitatis substantia ipsa *quiescente*, id est nullo pacto mutata, alterationem verò mutationem, & conuersionem in qualitate substantia quiescente, istasque mutationes vel oculis ipsis percipi. Sic dictio illa γὰρ idem valebit, ac si dixisset δὲ, quod non esse inusitatum notat Eustratius in ii. Poster. com. 328. & ita vertemus, *Quemadmodum aũt cernimus &c.* Ad significandam verò mutationem oppositam accretioni vtitur Arist. voce φθίσιως, id est tabis quæ propriè viuentis est; quemadmodum etiam in libro de sensu, & sensili cap. iiii. & alibi sæpè, vt significet de ea tantum quantitatis mutatione agi, quæ ad viuentia pertinet.

Ac nihilominus ex his, quæ dicunt plura vno inducentes principia, nefas alterari.

Cum ea sit alterationis natura, quam diximus, atque ita euidens, vt ab illis quoque necessario ponenda esset; tamen ea dicunt, quæ si sint, nihil alterari queat.

Affectiones enim penes quas dicimus hoc accidere, differentiæ elementorum sunt, vt exempli causa calidum, frigidum, album, nigrum, siccum, humidũ, molle, durum, & aliarum vnaquæq;, sicuti etiam inquit Empedocles,

Solem

Solem, quidem album videri, & calidum omnino;
Imbrem verò in omnibus caliginosum, rigidumq́.

Eodem autem modo de reliquis etiam statuit. Quare si ex igne generari aquam fas non est, nec ex aqua terram, neque ex albo nigrum erit vllum, neque ex molli durum. Eadem autem, & de cæteris ratio. Hoc autem erat alteratio.

Quàmuis omnes veteres plura principia inducentes alterationem imprudenter tollant, imprudentissimè tamen Empedocles: ex quo ipsum præter alios refellendum suscipimus. Existimabat enim ipse affectiones (in quibus sanè consistat oportet alteratio, si quidem alicubi consistit) esse formas proprias elementorum; ex quo dicebat, *Solem* esse album, & calidum, *omnino*, tota natura atque substantia: intellige autem tu nomine solis ignem, nam cœlestia Emp. statuebat ignea: ac posita est poëtice pars pro toto, nimirum Sol pro vniuerso igne, *Imbrem verò in omnibus caliginosum rigidumque*, id est aquam vniuersè esse nigram, & frigidam; poëticis enim figuris vtitur: censebat igitur istas qualitates, & formas elementorũ esse: existimabat præterea, atque asserebat, elementa non mutari, neque fieri ex se mutuò, sed alia ex his. Quibus positis tolli alterationem ità probamus. Si ex calido non fit frigidum neque ex albo nigrum, neque ex molli durum, neque ex alia huiusmodi affectione fit alia affectio, certè non est alteratio. Sed apud Empedoclem ex calido non fit frigidum, neque ex albo nigrum, neque ex molli durum, neque ex alia huiusmodi affectione alia affectio; ergo apud Empedoclem non est alteratio. Connexum clarum. Nihil enim aliud alteratio est, quam in talibus quibusdam affectionib. mutatio. Assumptũ ex illius dogmatis ita colligimus. Propriæ elementorum formæ non mutantur; calidum, frigidum, album, nigrum, molle, durum, huiusmodiq́ue aliæ affectiones sunt apud Empedoclem propriæ elementorum formæ; ergo nullum ex istis mutari potest. Minor Empedoclis est; atque etiam maior. Nam si elementa non mutantur, vt ipse asserit, neque illorum formæ mutari possunt. Mutatis enim formis ipsa quoque elementa essent mutata. Hæc igitur manifesto Empedoclem condemnãt.

An, & manifestum vnam semper contrarijs esse subijciendam materiam, siue mutetur secundum locum, siue secundum accretionem, & diminutionem, siue secundum alterationem?

Illa dictio apud Aristotelem, quam vertimus, *An*, ferè semper nota est constitutionis, & quasi decreti interpositi. Inquit igitur mirandum non esse, si Empedocles, Anaxagoras, Democritus plura principia inducentes alterationem tueri non poterant, quando omnis mutatio ex contrario in contrarium, siue versetur in loco, quæ dicitur latio, siue in quantitate, quæ dicitur accretio, & diminutio, siue in qualitate, quæ propriè dicitur alteratio, omnis inquam mutatio vnum subiectum postulat, vnaque tantum materies contrariis semper est subiicienda, non plures. Nihil enim esset, quòd contraria inter se pugnarent, si singulum cõtrarium singulum haberet subiectum, & proprium, in quo consisteret. Cur enim calor igneus conetur corrumpere frigus aquæ, si ipse in materia illa, quæ subiecta est frigori, consistere nõ potest? Certè ipse sibi strueret interitum. Nunc autem, quoniam ambo in eodem subiecto versantur, idcirco de illius possessione inter se pugnant. Verum hæc in physicis copiosius sunt explicata. firmius autem de vnico subiecto sanciens Aristot. & alterationem præcipuè spectãs de qua nunc illi sermo, hæc addit.

Præterea autem simul necessarium hoc esse, & alterationem. Nam si alteratio est, & subiectum vnum elementum, & vna omnium materies habentium in se mutuam mutationem; & si subiectum vnum, est alteratio.

Quemadmodum initio primi libri de anima duæ illæ regulæ sunt propositæ, si anima habet opus proprium, esse immortalem, sin caret opere proprio non esse immortalem; ita nũc istæ duæ ponuntur, si sit vnum subiectum, esse alterationem, si non sit vnum subiectum, non esse alterationem. Significantur autem illis verbis; *Simul necessarium est hoc esse*,

id est hoc vnum subiectum, *& alterationem*. Atque cum his verbis essent significatæ, explicantur postea copiosius, ac statuitur ista inter se reciprocari, vt si alteratio est, vnum esse subiectum debeat, & si vnum sit subiectum, alteratio habitura locum in rerum natura sit. Prima propositio inde patet, quòd vt diximus, alteratio existit ex pugna inter contraria; contraria autem non pugnarent, nisi vnicum tantum subiectum esset. Secunda autem propositio, quæ est conuersa è priore, ex eadem re confirmatur. Nam si vnicum subiectum est, de eius possessione pugnabunt contraria, pugna autem ista nihil iam aliud est, quàm alteratio. Notanda autem sunt illa verba, *& vna omnium materies habentium in se mutuam mutationem.* Alteratio enim propriè dicta in his tantum locum habet, quæ sub Luna sunt, atque in se mutuo mutantur, vt ignis in aquam, aqua in ignem: atq; hæc omnia eadem materia constant. Cœlestia verò duntaxat secundum locum mutantur, & aliam ab hac inferiore, longeque diuersam materiem habent; alterationi autem non sunt exposita, nisi cuidam impropriè dictæ, vt illuminationi; de qua re in quæstionibus. Perpetua igitur regula erit, quæcunque in se mutuo conuertuntur, qualia sunt omnia infra Lunam, omnia vt eadem materia constant, ita etiam à se vicissim alterari.

Tex. com. 3. *Ac videtur sanè Empedocles contraria dicere, & ijs, quæ apparent, & ipse sibi. Simul enim alterum elementum ex altero fieri negat, sed ex his alia omnia fieri affirmat, simulq; cum omnem naturã præter litem in vnum conduxerit, ex vno fieri rursus vnumquodq; ita vt ex vno aliquo, segregatis scilicet per differentias aliquas, & affectiones, hoc quidem euaserit aqua, illud autem ignis: quemadmodum asserit Solem quidem album, & calidum, terram verò grauem & duram. Ablatis igitur his ipsis differentijs (sunt enim inductæ tales, quæ auferri possint) manifestum, quod necesse fieri & terram ex aqua, & aquam ex terra, similiter autem, & aliorum vnumquodq; non tunc solum, sed etiam nunc mutata in affectionibus.*

Ostendimus eos, qui vnum tantum omnium rerum elementum statuebant, generationem ab alteratione distinguere non potuisse, eos autem qui plura ponerent, potuisse quidem, ac debuisse, verumtamen. & ipsos mirum in modum fluctuasse, repugnante scilicet naturæ alterationis multitudine principiorum; diximusque Anaxagoram propriam vocem ignorasse, Empedoclem autem euidenter ea dixisse, quibus planè alteratio tolleretur. Nunc eundem impugnantes addimus, non modo illum à veritate planè dissensisse, verum etiam sibi non satis constitisse. Id intelligetur eius sententia integrè exposita. Existimabat igitur Empedocles principia in generatione dominantia esse litem, & amicitiam, habereque dispertita imperandi tempora; vt interdum vna, interdum altera principatum obtineret. Cum verò sors dominandi amicitiæ obuenisset, quatuor hæc elementa, quæ cernimus, coniungi, & confundi, ità, vt ex illis vnum quoddam vniforme, nullisque differentiis præditum corpus constitueretur. In hac autem coitione, & confusione vnumquodque elementum suas differentias abiiceret necesse erat, cæteroqui conflatum ex illis corpus, quod σφαῖρον vocabat, multiforme omnino fuisset. Gignebantur autem rursus ex isto corpore elementa, cum lite imperante huic quidem parti illius corporis aduenissent, exempli causa, candor, & calor, vnde ignis existebat, illi autem parti grauitas, & duricies, vnde terra, aliisque partibus aliæ differentiæ, vnde cætera elementa. Hæc si ita se habent, differentiæque elementorum remoueri ab ipsis elementis queunt, cum illa scilicet in vniforme illud corpus coeunt, sequitur profectò, ex vno elemento alterum generari, quod ille negabat. Probatur istud necessariò sequi. Nam vel cuilibet ipsius Sphæri particulæ possunt quæuis elementorum differentiæ aduenire, aut non possunt; si possunt, nihil certè obstat, quominus particulæ illi, quæ antequàm coiret in Sphærum, subiecta erat differentiis aquæ, nunc adueniant differentiæ ignis, & illi, quæ prius differentias aëris ferebat, nunc inhæreant qualitates terræ. Quod si est, iam elementa in se mutuo conuertuntur. Nihil enim aliud est in se mutuò conuerti, quàm in eodem subiecto, in quo prius erant differentiæ ignis, nunc esse differentias aquæ. Quod si neges posse cuilibet Sphæri particulæ quaslibet elementorum differentias aduenire, sed certæ particulæ certas alteras differentias, iam Sphærum istum non vniformem, sed differentiis præditum

constitueris

constitueris. Nam si vniformis esset, in quauis parte quælibet differentia æquè reciperetur. In se igitur mutuò conuerti elementa fateatur Empedocles oportet; neque semel etiam facta esse hanc conuersionem, sed, & initio procreationis rerum, & nunc, & in posterum, pugnantibus adhuc de Empedoclis sententia lite, & amicitia; atque interdum lite ex sphæro elementa faciente, interdum amicitia ex elementis sphærum; quamobrem addit Arist. verba illa *non tunc solum* initio scilicet cum constituta hæc vniuersitas est, *sed etiam nunc mutata in affectionibus*, id est eodem pacto nunc mutata in affectionibus, & differentiis (idem. n. his duabus vocibus significatur, vt infrà ostendemus) quo pacto initio mutabantur.

Possunt autem ex ijs, quæ dixit, aduenire, & separari rursus, præsertim pugnantibus adhuc inter se apud ipsum lite, & amicitia.

Vbi adsunt causæ, adsunt etiam effecta. Eædem causæ, quæ initio fecerunt, vt differentiæ elementorum possent aduenire, cum scilicet ex sphæro elementa fiebant, & rursus possent separari, cum remotis differentiis elementa in sphærum confundebantur, nunc etiam adsunt, nimirum lis & Amicitia, inter se pugnantes; ergo aderunt etiam effecta, id est mutationes, & conuersiones mutuæ sphæri in elementa, elementorum in sphærum: vnde mutuam etiam elementorum in se conuersionem necessariò sequi diximus.

Quamobrem et tunc ex vno fuerant genita, non enim cum adhuc essent ignis, & aqua, & terra, vnum erat ipsum omne.

Quæ inquit causa fuit, cur ab initio elementa ex vno gignerentur, quod vnum esset planè vniforme, nullisque discretum differentiis, eadem nunc etiam manet, id est pugna amicitiæ, & litis, *non enim cum adhuc essent ignis, & aqua, & terra, vnum erat ipsum omne*, ipse sphærus, quē vocat omne, minime vnū quiddam esse potuisset, cuiusmodi ponebat Empedocles, si elementa adhuc seruarent proprias differentias, ac terra remaneret terra, & ignis remaneret ignis. Ergo vniforme corpus erat; quare cum ex eo gignerentur elementa, accidebat necessariò, vt sæpe in portione illa, quæ prius fuisset insignita differentiis aquæ, reciperentur differentiæ ignis, & contra; idemq; nunc accidere necessarium est. Quare cum negat Empedocles mutuam elementorum conuersionem, & ea negat, quæ sensus affirmat (oculis. n. ipsis istam mutuā conuersionem deprehendimus) & sibi ipse nō constat, neq; sua dogmata tuetur.

Obscurum verò, & illud, vtrum ipsorum sit statuendum principium, an ipsum vnum, an ipsa multa, dico autem ignem, & terram, & his cognata. Tex. Com. iij.

Alia ratione Empedoclē errasse ostendit. Non. n. ex illius verbis satis apparet, vtrū sit statuēdū principiū, *an ipsum vnum*, id est sphærus, *an ipsa multa*, id est quatuor elementa: cognata aūt vocat aquam, & aërem, quæ eodem ordine apud Empedoclem censentur atq; ignis, & terra.

Quà enim vt materia subijcitur, ex quo mutata per motum fiunt terra, & ignis, ipsum vnum elementum.

Ipsum, inquam, vnum. i. sphærus, videbitur statuendum elementum, quà apud Empedoclem vt materia subiicitur; cū ex ipso asserat fieri terrā, & ignem, & aërem, & aquā *mutata per motū* supple tu litis. Elementi. n. & primi principii maximè propria conditio videtur qualitatibus carere, & ex eo cætera fieri, cuiusmodi ille sphærū fingit; quare ita possumus argumentari. Id ex quo tanquàm ex materia aliquid fit, est illius elementū; ex sphæro tanquàm ex materia ignis, aër, aqua, & terra fiunt; ergo sphærus est istorum elementum.

Quà autem hic quidem ex compositione fit coeuntium illorum, illa autem ex dissolutione, magis elementa illa, & priora naturà.

Contra, inquam, illa quatuor videbuntur esse magis elementa, & priora naturà, si spectes ex istis coeuntibus componi sphærum, illa autem existere ex dissolutione sphæri. Principii enim, & elementi maximè peculiaris conditio est simplicitas. Quod si ex illis componitur sphærus, & in illa dissoluitur, certè sunt simpliciora, & principia. Simili ferè ratione tertio de cœlo xlii. reprehendebantur, qui elemento aliquid subtilius statuebant. Nihil enim elemento simplicius, aut subtilius esse debet.

Omnino autem de generatione, & interitu eo, qui simplex est, dicendum, Vtrum est, an non est, & quomodo est, ac de alijs simplicibus motibus, vt de accretione, & alteratione.

Breuiter enumeratis veterum de rerum generatione opinionibus, quæ omnes suam imbecillitatem, atque infirmitatem continuò præseferunt, omnino, inquit Aristoteles, agendum nobis est de generatione, & interitu eo, *qui simplex est*, id est propriè, & absolutè dicitur vel *simplex*, id est qui corporibus simplicibus conuenit, nimirum illis quatuor, quæ vocantur elementa, vel *simplex*, id est communis, in quo omnes res caducæ conueniunt; quæ interpretatio longè cæteris melior, ne in sequentibus verbis aliam notionem isti voci tribuere cogamur, *ac de reliquis simplicibus motibus*, de reliquis motibus vniuersè, & generatim; ita enim, vt anteà admonui, intelligo simplices motus, eos scilicet, qui pluribus aut omnibus rebus naturalibus conueniunt: semper enim communiora sunt etiam simpliciora.

Notat Ammonius in categoriis capite de iis, quæ sunt, vocem istam ἁπλῶς, & ἁπλοῦν tribus modis vsurpari solere, quemadmodum etiam in Latina ferè lingua simpliciter, & simplex. Interdum enim significat vniuersè, & generatim, quomodo nunc vsurpari diximus interdum, quod vniforme, & minimè varium est, quo pacto simplicia à compositis, & coagmentatis corporibus distinguuntur; ac per tralationem dicimus hominem simplicem, id est non varium, minimèque aliud in ore, aliud in animo habentem. Interdum verò, quod propriè tale est, & absolutè; nam quod propriè est talè, est etiam absolutè talè, quod docuit nos Simplicius in secundum phy. comm. xxxvi. Hac notione dicimus generationem simplicem, vt ignis, distingui à generatione cum adiunctione, vt cum homo fit albus: non enim absolutè dicimus hominem, fieri, sed adiungimus fieri album; quæ, vt audietis, ab Aristotele vocatur generatio quædam. Ergo cum Porphyrius cap. de differentia inquit differentias, quæ aliud efficiunt, esse differentias speciei constituentes, quæ autem tantum immutant, esse simpliciter differentias; interpretari debemus simpliciter, id est generatim, & vniuersè; At cum Aristoteles demonstrationis simpliciter mentionem facit, debemus interpretari propriè, & subtiliter. Auerroes sanè cum ad initium secundi poster. demonstrationum alias esse inquit demonstrationes tantum, alias demonstrationes perfectas, Porphyrium potius, quam Aristotelem videtur imitatus. Nam apud Aristotelem demonstratio tantum, id est absolutè, ac sine vlla adiunctione, est verissima demonstratio; quæ autem ab effectis demonstrat, est demonstratio cum adiunctione, id est demonstratio coniecturalis; quomodo eam omnes ferè Græci nominare consueuerunt.

QVAESTIONES IN PRIMVM CAPVT.



1 Quæstio ex primo textu. An quæ generantur, & intereunt, scientià comprehendi queant.

2 Quæstio ex eodem. An interitus secundum naturam sit.

3 Quæstio ex quarto com. Philoponi, quomodo apud Aristotelem vnicum subiectum statuentem generatio non sit alteratio.

4 Quæstio ex Latinis. Qui veteres plura principia introducentes generationem ab alteratione distinguere possent.

5 De atomis ex comm. xii. Philoponi.

6 Quomodo apud Anaxagoram ignis, aër, aqua, & terra non essent vniformia.

7 Animaduersio opinionis Anaxagoræ ex com. xvi. Philop.

8 Alia eiusdem animaduersio, & præterea Democriti.

9 Ex textu quarto, quæ nam species quæstionis sit quæstio quomodo se res habeat.

Quæstio ex primo textu. An quæ generantur, & intereunt, scientiâ cōprehendi queant.

QVod proponit Aristoteles de causis rerum, quæ generantur, & intereunt sibi differendum esse, satis signi est sub scientiam illas cadere; quod tamen multas magnasque difficultates habet. Nam quæcunque materiam habent, ea sciri non possunt vii. Metaph. liii. Omnia quæ generantur & intereunt, materiam habent, ergo quæ generantur, & intereunt, sciri non possunt. Atque omnino ab Aristotele in posterioribus analyticis sæpè dictum est, rerum duntaxat æternarum, & necessariarum, cuiusmodi certè non sunt, quæ generantur, & intereunt, scientiam esse. Aristoteles iiii. Metaph. xxii. expendens sententiam Heraclyti & Cratyli, qui putabant de his rebus, quòd continenter mutarentur, nihil verè affirmari posse, statuebat non idem esse penes quantitatem mutari, ac penes qualitatem. Vbi nomine qualitatis ipsemet ostendit à se formam intelligi. Sicque nomine quantitatis materiem significare putandus est; quod Alexander notauit. Censebat igitur res cognosci à nobis per formam quasi forma minimè mutaretur, sed materies duntaxat, & quantitas. Verum & istud suas habet dubitationes. Nam aut formam vniuersalem, aut singularem intelligit. Si singularem, illa quidem, fluente materia in cuius visceribus hæret, fluat, & ipsa, dilabaturque oportet; sin vniuersalem, de materia etiam vniuersali idem iudicium erit. Nam, vt Alexander ex Aristotele declarabat vii. Metaph. xxxiiii. suo commentario, Homo vniuersalis constat ex forma vniuersali, & corpore, materiaque vniuersali; materia autem vniuersalis æquè permanet, ac forma vniuersalis; nihil igitur causæ erat, cur Aristoteles formam potius manere diceret, quàm materiam. Hæc igitur nobis in præsenti sunt dissoluenda. Nonnulli existimarunt, harum rerum, quæ generantur, & intereunt, haberi scientiam non propriè sed impropriè dictam, id est paulò incertiorem, atque inconstantiorem, qui quidem scientiam omnem planè è medio tollunt. Nam si vllius rei scientia est, harum certè rerum, quæ generantur, & intereunt maximè est. Nam vt omittam illam Aristotelis sententiam vii. Metaph. lv. æterna definiri non posse, quam alibi examinabimus, clara profectò voce primo de partibus animal cap. v. pronunciatur, quamuis res superiores leuiter attingere possimus, illarū tamen nobilitate ad contemplandum nos allici. Contra autem inferiora, quia & plura sunt quæ de illis cognoscimus, ac plenius illa cognoscimus (ità legenda sunt verba illa, non quomodo Gaza vertit) id circo scientiæ sibi præstantiam vendicare. Quamobrem cum de rebus superioribus agit Aristoteles, semper accuratè se excusat, si leues quodam modo probationes afferat; quòd illa plurimum à nobis distantia non ità plenè percipi à nobis queant, vt ii. cœli xxxiiii. & lxi. Ergo qui harum rerum inferiorum certam scientiam haberi posse negant, multo magis superiorum negare debebunt. Plato aliam quandam ingressus viam ad Ideas confugit, quibus, & perennem rerum generationem, & certitudinem scientiæ tueretur. Aristoteles autem primo poster. xxxv. clamabat etiam si Ideæ illæ essent, quas tamen ipse multis locis euertit, nihil tamen ad rem facere. Omnes.n.scientiæ, vt Geometria, vt Arithmetica, vt reliquæ, non de aliquo vniuersali à singularibus longè abstracto, sed de numero, qui in singularibus numeris consistit, ac de magnitudine, quæ in singularibus magnitudinibus, loquuntur: Idem de artibus inquit primo Eth. cap. vi.

Argumētū, quòd rerum caducarū non sit scientia.

Examinatio text. xxii. iiii. Meta.

An materia tantū fluat, an etiā for.

An scientia rerū caducarum sit impropria scientia.

Nos igitur ex Alexandro primo quæst. naturalium cap. iii. & xi. & ii. libro cap. xiiii. istam rem explicantes, hoc initium sumamus. In his rebus singularibus, quæ continuata quadam successione generantur, & intereunt, facilè à nobis animaduerti possunt conditiones quædam ità propriæ, vt quæ in vna insunt, in reliquis minimè reperiantur; contrà etiam nonnullæ, quæ in pluribus per quandam naturæ similitudinem insunt, vt in Pompeio est certa quædam accidentium coniunctio, quæ Platoni, aut Cæsari conuenire nullo pacto potest atque in eodem Pompeio est anima, & intelligentia, cui similem omnino naturam habet anima illa, & intelligentia, quæ in Platone, & quæ in Cæsare. Hæc igitur, quæ cum insunt in vno, habent in aliis sibi similes naturas, vocantur vniuersalia potestate, quod scilicet, si opera mentis accedat illa à singularibus conditionib. segregantis, vniuersalia actu euadunt; accedat igitur ista mentis opera, ac per se ipsa spectentur, iam erunt vniuersalia actu primæ intentionis quemadmodum nostri dicunt; quod si rursus illa intellectus conferat cū superiorib. æqualibus, inferioribus, sicque illis affingat notionem generis, aut speciei, aut huiusmodi aliam, iam erunt vniuersalia actu secundæ intentionis. Vniuersalia potestate non habent vnitatem quandam, vt nostri dicunt, positiuam. Non.n.est tantum natura humana in Pompeio, sed etiā in Platone, & Cæsare, & quoniam non habent istam vnitatem, id circo neq; etiam æternitatem permanentem habent, sed habent tantum continuatam quandam successionem sibi similium. Naturæ enim, quæ fuit in Sophronisco, succedit continenter natura, quæ in Socrate, aut in alio est. Vniuersalia autem actu in mente, & intellectu acquirunt istam vnitatem positiuam: ita dicitur ab Auerroe transferri ab intellectu res de ordine in ordinem,

Autoris sententia.

Omnes enim homines considerantur, vt vnus homo; Itemque in eodem intellectu stabilem æternitatem acquirunt. Isti igitur vnitati, quæ in intellectu est, respondet in rebus similitudo naturarum, & æternitati stabili, quæ in intellectu, respondet in rebus continuata, & perennis singularium successio. Quamobrem Alex. viii. Metaph. com. xxxv. affirmabat essentiã rerum non esse eo modo, quo intelligitur. Nec tamen fallitur intellectus. Nam quamuis ipse suo more concipiat (quicquid enim in aliquo recipitur, pro modo recipientis recipitur) scit tamen, quid suæ notioni in rebus respondeat. Sic quamuis sensus noster non res ipsas sensiles, sed rerum species recipiat, tamen res ipsas percipit, neque in percipiendo fallitur. Scientiæ igitur sunt vel de vniuersalibus potestate, quæ tamen in intellectu, tanquam vnum quiddam elucentia euadunt vniuersalia actu, vel de istis vniuersalibus actu, quatenus tanquam imagines quædam nobis referunt vniuersalia potestate. Sic partim scientiæ sunt de entibus, quæ sunt in anima vt Aristot. inquit secundo de anima lx. quoniam vniuersalia ipsa actu sunt in anima, & non in rebus; partim de rebus, vnde illud, scire est rem per causam cognoscere; quoniam illis vniuersalibus actu vtimur tanquam imaginibus ad cognoscendas res ipsas; ac magis omnino dicendum est de rebus ipsis esse, cum ad eas tanquam ad finem nostra cognitio referatur, & vniuersale quã vniuersale actu, non sit vllius rei substantia, quod habetis ab Aristotele vii. Metaphy. xlvi. & xiii. Metaphy. cap. vltimo. Cuius capitis quando in mentionem incidimus, libet explicare verba quædam obscurissima, quæ ibi scribuntur. Dicit enim, quemadmodum oculus per accidens colorem vniuersalem videt, eoquòd hunc scilicet colorem videt, ita Grammaticum per accidens cognoscere alpha in vniuersum, eoquòd hoc alpha considerat, additurque scientiam potestate, & indefinitam esse vniuersalium, actu autem minimè vniuersalium esse; quod ita interpretandum est (cæteroqui, vt Syrianus dicebat, Arist. studio contra Platonem pugnandi ductus secum ipse pugnaret) vt scientiam catenus actu distinctam esse intelligamus, quatenus vniuersalia illa referuntur ad ipsa singularia, & ad res ipsas, alioqui essent exile quiddam, & tenue, quod scientiam potius potestate, quàm actu pareret, aut fortasse artes eo loco præcipuè spectabat Aristoteles. Nam artifices, si res vniuersè tantum sciant, neque ex illis singularia opera possint elicere, potestate tantum, & confusè, non autem actu, & distinctè suam possidere artem, atque scientiã dicuntur. Ars enim est habitus efficiens; effectiones autem sunt singularium. eòdem videtur spectasse Aristot. primo Ethi. ad finem vi. capitis.

Quomodo scientiæ sint etiam in anima & rerum.

Explicatio verborum Aristo. xiii. Meth. cap. vlt.

His ita constitutis restat, vt ea argumenta, quæ nobis initio negotiũ facessebãt, refellamus. Dicebamus ex Aristot. quæcunq; materiam habent, ea sciri non posse, quoniam à materia res habet, vt esse, & non esse queat: nunc respondemus loqui eo loco Aristotelem de materia propriis illis, & singularibus conditionibus insignita, quæ quidem fluit omnino, ac dilabitur, nec aliam sibi omnino similem habet. At vniuersalia potestate, quatenus semper in similibus conseruantur, & ab intellectu, tanquàm vnum quiddam, & æternum concipi possunt catenus optimè sub scientiam cadunt, & sunt necessaria. Nam cum dico hominem esse animal rationis compos mortale, intelligo omnem naturam humanam sigillatim interituram, cumque per continuatam successionem natura humana perduret æterna, fit etiam, vt æterno tempore illa sit vera propositio, aut saltem æterna ex conditione, quatenus scilicet illa natura perduret, qua de re aliàs. Sic homo, in intellectu est vnum, & æternum, in re est plura quorum perennis successio est, & vnumquodque sigillatim interit. Itemque mortale illud, quod homini attribuimus, quamuis in intellectu, æterno quodam modo concipiatur æquè ac homo, significat tamen veram in rebus ipsis mortalitatem. Idem dicitur à Themistio primo de anima cap. xxi. de ipsius motus intellectione. At enim dices; si sciamus hominem esse animal mortale hoc sensu; id est omnem naturam humanam sigillatim interituram, sequitur scientiam esse de vniuersalibus secundum numerum, non autem secundum speciem, quod tamen ab Aristotele primo post. xiii. negatur. Respondeo non esse de vniuersali secundum numerum, sed secundum speciem: quoniam illud, quod scio de omnibus hominibus non pendet ex propriis cuiusque conditionibus, sed ex natura ipsius vniuersalis potestate. Quod autem ex quarto Methaphy. xxi. afferebatur, ita interpretandum est, vt nomine formæ, & qualitatis ipsum vniuersale intelligamus, nomine autem quantitatis, & materiei singularia ipsa, quã propriis conditionibus sunt dispertita, totum enim ab Aristotele forma appellatur & partes materia, vt ii. phy. xxxi. & v. Metaph. iii. vniuersale autem totum quoddam est, singularia autem partes; quo fortasse sensu dixit Auerroes primo cœli xcii. formam esse subiectum vniuersalitatis; hac autem de re infra nobis dabitur commodior disputandi locus. Cum igitur inquit Aristoteles per formam cognosci, eòquòd illa non fluat, hoc sibi vult, res cognosci per communes conditiones, non autem per proprias. Nam illæ manent, hæ dilabuntur, & intereunt.

Respon. Arg. initio quæstionis propositis.

Quomodo scientia non sit vniuersalium secundum numerum.

Explanatio tex. xxi. quarti Methaph.

Quæstio

2 *Quæstio ex eodem. An interitus secundum naturam sit.*

QVoniam Aristoteles inquit agendum sibi de causis esse non tantum earum rerum, quæ generantur, verum etiam earum, quæ intereunt natura; in quæstionem cadere solet, an interitus secundum naturam sit. Aristoteles enim secundo libro de cœlo tex. xxxvii. inquit senectutem, omnesque imbecillitates, quæ scilicet ad interitum ducunt, esse præter naturam; omninoque res omnes naturales appetunt esse; interitus autem est mutatio ad non esse; quare repugnat appetitui omnium rerum naturalium. Respondeo, aliquid constare secundum naturam, duobus modis intelligi; aut quà distinguitur ab artificioso, atque eo, quod hominis opera consistit, aut quà distinguitur à violento. In præsenti igitur inuestigandas suscipit Aristoteles causas earum rerum, quæ non arte, atque vlla hominis opera gignuntur, & intereunt, sed tantum ob perpesionem atque efficientiam rerum naturalium. An postea violentus, & præter naturam sit vocandus interitus? Dico quodam modo esse secundum naturam, quatenus ducit ad priuationem, quæ & ipsa secundo phy. xv. vocatur natura & forma. Iam autem ob causam crediderim appellari naturam, quoniam dat impetum materiæ ad appetendam veram formam (nam nisi priuata esset non appeteret) & est quasi affectio quædam necessaria ipsius materiæ, vt formam posit suscipere. Præterea materies omnes formas appetit, neque tamen simul omnes ferre potest, sed vnam tantum, quare per successionem illas admittat oportet. Non potest autem nouam admittere, nisi veterem eiiciat, quare non primò, sed nouæ formæ causà interitum veteris appetit: Itaquè naturaliter quodammodo fertur ad interitum, non tñ tanquàm ad finem, sed tanquàm ad id sine quo finem consequi non posset. Dicebat aût Alex. iiii. quæstionũ naturalium, cum finis est à natura, ea etiá, quæ ad finem conducũt, à natura esse. Ergo si materiam consideres, videbitur secundum illius quodámodo naturam accidere interitus. Sin autem res non ex materia, sed ex forma spectes, quæ potissima omnium natura est, rursus est quatenus omnis interitus posit appellari præter naturam ipsius formæ, est etiam, quatenus quidam interitus præter naturam, & violentus, quidam aût secundum naturam dici queat. Omnis quidem interitus, & omnis imbecillitas, vt ii. cœli pronunciatur, ea rõe potest statui præter naturam formæ, quòd illa appetit esse, atq; ab interitu maximè abhorret. Quoniam autem quælibet forma, vt consistere queat, certam quandam materiæ temperationem requirit, & ea temperatio certam quandam periodum habet, vltra quam non potest amplius se tueri, idcirco interitus ille, qui expectat huius periodi finem, dicitur quodam modo secundum naturam formæ euenire: quatenus illa sine materia ita temperata consistere nequit, neque temperatio illa amplius se tueri, & conseruare potest. Hæc autem certa periodus est illa, quæ vocatur sæpe fatum; vnde huiusmodi interitus dicitur fatalis v. phy. lvii. ac poeta valdè bonus. *Nam quia, nec fato, debita nec morte peribat.* Arist. vocat etiam numerum, & ordinem secundo horum librorum lvii. Contra autem ille interitus appellabitur violentus, qui non expectat finem istius periodi; neque ex eo prouenit, quod temperatio illa se amplius conseruare nequeat, sed ab aliqua externa causa vim afferente. Hoc sensu in libro de spiratione, in libro de longitudine, & breuitate vitæ iiii. meteor. & alibi sæpe generatio naturalis à violenta distinguitur. Autoritati igitur Aristotelis ii. de cœlo, xxxvii. facilè possumus satisfacere. Concedimus enim interitum aliquo modo, quem iam explicauimus, itemque senectutem, & imbecillitatem, quæ ad illum ducit, esse præter naturam. In cœlo autem nihil est præter naturam vllo modo, neque ratione materiæ, neque ratione formæ; quod sibi tunc volebat Aristoteles. Repugnat autem rebus naturalibus interire non ex parte materiæ, vt diximus, sed ex parte formæ; quamuis etiam formæ non absolutè sumptæ, sed quà talem materiam requisiuit, non omnino repugnat interire: qua de re infra etiam dabitur dicendi locus. Simplicius tamen secundo phy. com. iiii. distinguens id, quod est secundum naturam ab eo, quod à natura est, voluit primum dicendi modum in iis rebus duntaxat locum habere, quæ bona sunt, & naturæ tanquàm finis proponuntur, secundo autem imbecillitatem omnem ac defectum contineri; sed hæc vocum proprietas rarò seruatur. Quæ autem eueniant ob finem, quæ ex necessitate materiæ videre Arist. in lib. de somno. & Auer. primo de partibus animal. cap. primo non inutile fuerit.

Cur priuatio vocetur natura.

Quid sit fatalis interitus.

Explicatio tex. 37 secundi de cœlo.

3 *Quæstio ex quarto com. Philoponi quomodo apud Aristotelem vnicum subiectum statuentem generatio non sit alteratio.*

DVbitatur, quomodo apud Aristotelem ponentem vnicum subiectum, vnicamque materiam in rebus inferioribus non sequitur generationem esse alterationem; si apud Thaletem,

&

& cæteros, qui item vnum subiectum ponebant, sequitur. Facilis responsio est. Mitto illud quod à Philopono, & aliis dicitur, illos subiectum actu existens posuisse, Aristotelem autẽ facultate; atque id teneo, in quo tota res consistit, illos vnicum subiectum induxisse, idque vnicam esse omnium rerum substantiam existimasse, cum Aristoteles vnicum quidem, & ipse subiectum pooat, verum non vnicam substantiam: nam formam etiam substantiam esse, eãq; in rerum naturalium constitutione maiorem dignitatem obtinere. Ergo si vnica substantia esset, eaque immutabilis, vt veteres ponebant, generatio esset alteratio. At cum materia, & forma sint substantiæ, & materia quidem maneat, forma autem mutari queat, certè mutatio, quæ erit in forma, erit in substantia, neque vocanda erit alteratio.

4 *Quæstio ex Latinis. Qui veteres plura principia introducentes generationem ab alteratione distinguere possent.*

DVbitatur à Latinis, quomodo veteres ponentes plura principia in genere materiæ, possent alterationem à generatione distinguere; si quidem ex duobus actu non fit vnũ vii. Metaph. 49. Veteres autem plura illa actu existentia congregari, atque coire censebant; sic vnum quiddam generari non poterat, cum tamen in generatione propriè dicta aliquid vnum generari debeat, & quod aduenit enti in actu sit accidens, ex libro de substantia orbis cap. primo. Rursus responsio facilis est. Verè enim illi neque naturam alterationis (nam ea euertitur nisi vnicum subiectum ponatur) neque naturam generationis assequi poterant; quoniam ponebant materiam actu ens; veruntamen poterant afferre plures motationum modos, vt congregationem, & secretionem, mutationem in ordine, & situ, quorum modorum vnus cum altero collatus posset vocari simpliciter generatio; alter autem alteratio. Omnino n. congregatio, & secretio videtur intimius quiddam rebus, quàm mutatio ordinis, & situs.

5 *De atomis ex Commentario xij. Philoponi.*

NOtat Philoponus ex Alexandro Epicurum Democriti multis in rebus sectatorem, non nihil tamen ab eo in hoc de atomis dogmate dissensisse: Democritus enim, vt audiuistis, corpuscula illa, & multitudine, & figuris infinita statuit; Epicurus autem tantum multitudine: quare infinito maius aliquid facit: vnicuiq; n. figuræ putat plures atomos esse subiectas: Quamobrem si figuræ sunt infinitæ, & ipsarum vnaquæque plures adhuc atomos occupat, iam infinitum magnam suscipit accessionem. Epicurus autem multitudine tantum censet atomos esse infinitas, non figuris: figurarum enim incomprehensibilem quidem esse numerum, sed non infinitum: verum non idcirco vitare potest vitium, quo Democritus corruit; nam ipse etiam multiplicet infinitum necesse est, aut multitudinem atomorum esse infinitam neget. Quærimus enim de illo, reperiantur ne singulæ figurarum species in atomis finitis, an potius in infinitis. Si in infinitis; quot figuræ sunt, tot etiã erunt acto infinita. Sin autem singulæ figuræ non quidem in infinitis reperiantur, sed vnaquæque certum numerum atomorum formet; profectò tota ex illis certis numeris collecta multitudo finita erit. Ex finitis enim numeris finitus componitur numerus. An dicet singulas figuras inueniri in atomis finitis; verum præter atomos figuratas, esse alias infinitas atomos, quæ figura careant? Hoc certè neque ab illo asserebatur; quinetiam omnes figuratas statuebat, neque enim cipi aliter potest; quis enim cogitare queat esse aliquod corpus figurà omni destitutum? An potius figuram aliquam formare finitas atomos, aliquam autem infinitas? nihilo tutius: multitudo enim collecta ex finitis, & infinitis atomis erit maior, quàm sola multitudo infinitarũ.

6 *Quomodo apud Anaxagoram ignis, aër, aqua, & terra non essent vniformia.*

INquit Aristoteles Anaxagoram noluisse ignem, aërem, aquam, & terram esse verè elementa, sed homogenea esse verè elementa: At enim dices. Ignis, aër, aqua, & terra sunt homogenea: Ecquid igitur causæ est, cur & simplicia, & verè elementa nequeant censeri? Crediderim ego putatum quidem ab Anaxagora esse ignis etiam, & aëris, & aquæ, & terræ esse corpuscula quædam homogenea, quemadmodum cæterarum rerum; quæ verè elementa sint; verum ignem hunc, quem cernimus, terram istam, quam premimos, aërem, quem inspiramus, aquam qua refrigeramur, non esse verè homogenea, sed esse composita ex partibus homogeneis omnium rerum; eoquod ex his, quæ vocãtur elementa, cæteræ omnes res procreantur; non procrearentur autem nisi antea in ipsis partes homogeneæ cuiusque rei

generandæ

generandæ latuissent. Apparere autem nobis vel ignem, vel terram, eoquòd in re ista, quæ apparet ignis, maior sit copia homogenearum partium simplicis ignis, in hac autem, quæ apparet terra, maior copia simplicis terræ. Sic Empedocles hæc elementa, quæ cernimus, simplicia, ac reliquorum homogeneorum principia statuebat. Anaxagoras autem nullo pacto simplicia putabat, sed ex homogeneis cuiusque rei partibus conflata; idcircoque heterogenea, & ex homogeneis effecta censebat.

7 Animaduersio opinionis Anaxagoræ ex comm. xvi. Philop.

NOtat Philoponus apud Anaxagoram nihil verè oriri posse, sed tantum apparere. Nulla enim exempli causa noua caro gignitur, nullum nouum os; sed apparent, atque eminent, cum antea latuissent; eoquod multæ carnis, aut ossis partes ita coirent, vt excellerent, & obscurarent partes homogeneas reliquarum rerum: sed qualis qualis generatio apud Anaxagoram esset, coitione certè existebat. quare non iniuria Auer. xii. Met. xviii. istum generationis modum ad motum localem retulit.

8 Alia eiusdem animaduersio & præterea Democriti.

QVæ ab Aristotele aduersus Empedoclem speciatim afferuntur, in Anaxagoram quoque si Philopono credimus, conueniunt, Nam, & illum narrat in hac sententia fuisse, vt homogeneæ illæ partes, quas elementa statuebat, præditæ essent istis affectionibus calore, frigore, humore, siccitate, atque aliis huiusmodi tanquàm propriis, & speciem constituentibus formis, ex quo istas affectiones immutabiles poneret necesse erat, quod etiam à Galeno primo de elementis habemus. In Democritum autem non conueniunt. Sed tamen is alia quadam ratione alterationem tollebat. Censebat enim nullam rem frigidam, vel calidam, vel mollem, vel duram reuera esse, sed tantum apparere pro variis atomorum, ex quibus conflata esset, figuris. Figura enim sphærica in causa est, vt res calida videatur, cubica, vt frigida, quòd illa facilè mobilis sit, hæc difficulter. Quòd si aliquid perpetuò calidum videatur, vt ignis, aliquid per interualla; illud dicebat esse in causa, quòd licet iisdem atomis manentibus possit fieri quædam eorum conuersio in ordine, & situ, semper tñ quomodocunque conuertantur atomi ignem componẽtes, eandem ad nos habitudinẽ, eundem respectum habent, quippe cum globosæ sint, globus autem vbique vniformis sit. Ita semper nobis eandem speciem caloris repræsentabunt. Calidum autem per interualla, atomis, puta tû, triquetris constat, quæ dum conos ad nos conuertunt, caloris imaginem reddunt, dum bases, non amplius caloris, sed frigoris, aut teporis. Democritus igitur alterationem quandam imaginariam ponebat, veram, & solidam tollebat. Habes autem, & ab eodem Galeno primo de elemẽtis, & à Teophrasto vi. de causis plantarum cap. secundo eiusdem Democriti de saporibus sententiam singulos sapores ad certas figuras referentis dilucide expositam, & confutatam.

9 Ex textu quarto, quã nam species quæstionis sit quæstio quomodo se res habeat.

INquit Aristoteles differendum esse de Generatione, & aliis motibus quomodo fiat. Dubitari igitur potest, quæstio ista, quomodo generatio fit, ad quam ex quatuor quæstionibus initio secundi post. propositis referri queat. Ac videtur sanè referenda ad quæstionem illam, quid res fit. Ad initium enim huius libri dicitur agendum esse de generatione, & alteratione, & accretione, quid vnumquodque ipsorum sit; nunc autem dicitur agendum esse, quomodo fiant; quasi idem istis vocibus significetur, quid sint, & quomodo fiant. Non nulla ramen sunt in aliis libris, quæ dubitationem nobis afferre possunt. Primo enim libro magnorum moralium cap. primo scribitur sciendum necessario esse quid sit virtus; quandoquidem, & ex quibus fit, & quomodo, scitu haud facile est, ignoranti quid sit; prout in scientiis etiam euenire dicitur. Ergo his verbis perspicuè ostenditur aliud longè esse scire quid sit virtus, & quomodo fit. Item secundo libro Eudemiorum cap. tertio scribitur vt quid res sit cognoscamus, antea cognoscendum esse, quomodo fit; quæ verba non minus eas quæstiones differre ostendunt; quamuis ea ex parte pugnare videantur cum superioribus; quòd in illis cognitio quid sit, videtur statui ante cognitionem quomodo fit; in his autem cognitiõ quomodo fit videtur constitui ante cognitionem quid sit. Vt hic nodus dissoluatur, attendas aliud esse cognoscere quid res fit definitione, ennoematica, idest explicante vim & notionem nominis, vt initio diximus, & cognoscere quid sit definitione exprimente causam à qua res ita pendet, vt per illam causam sit, & conseruetur. Cognoscere autem quomodo fit, vt

Sedatur quædam controuersia inter primum cap. primi magnorũ moralium, & caput tertium.

ex eo

ex eo primo cap. magnorum moralium colligitur, est cognosce re certas & proprias rei causas, certamque existendi rationem. Ergo verba illa ex primo magnorum moralium hoc sibi volunt, cognoscendum, *quid virtus sit*, i. quæ sit istius vocis vis, & notio, antequam cognoscatur *ex quibus, & quomodo sit*, antequã accedamus ad contemplandum causas ipsius rei, totamq; illius atque absolutam essentiam. Sic primo Nicomachiorum antea traditur definitio felicitatis ennoematica, quàm ad definitionem, in qua insit causa, inuestigandam accedatur. Itaque etiam hoc libro antea leuiter, & ex communi hominum intelligentia ponimus quid sit generatio, & alteratio & accretio, deinde illarum integram naturam ex certis causis venamur. Verba autem ex ii. Eudemiorum allata loquuntur de cognitione quid res sit per integram, & cum causa definitionem; quæ cognitio haberi non potest, nisi cognoscamus quomodo sit, id est quæ nam sit illius rei certa existendi ratio, propriæq; causæ. Integra enim definitio exprimere illas debet: quare habeamus illas oportet, antequàm integram, & absolutam definitionem conflare possimus; prout sciendum est quomodo sit felicitas, id est quam certam existendi rationem habeat, nempe in perfecta actione perfectioris facultatis, antequã integram illius definitionem concinnare valeamus.

Cap. secundũ Tex. com. v.

PLato quidem igitur de generatione duntaxat, atq; interitu considerauit, quomodo rebus inest: ac de generatione non omni, sed ea quæ elementorum est: quomodo autem carnes, vel ossa, vel aliarum huiusmodi rerum aliqua, nihil. Præterea nec de alteratione, nec de accretione, quo pacto insunt rebus. Omnino autem præter vmbram quandam nemo vllam rem, Democrito excepto, sciuit. Hic autem omnia videtur curasse, & principia statuisse, quæ in omnia quadrare possunt, & ad alios motus: iam verò differt in eo, quod est quomodo. Neque enim de accretione quisquàm aliquid stabiliuit, quemadmodum dicimus, nisi, quod cuiuis facilè in mentem veniret, quòd accedente augentur simili, quomodo autem id, non amplius: neque de mistione, nec vt ità dixerim de quoque alio vt de facere & pati, quo pacto hoc quidem facit, illud autem patitur naturales effectiones.

Diximus agendum nobis esse de naturalibus mutationibus, de quibus etiam veteres nonnulla dixerunt. Verum eò diligentius à nobis agendum est, quò illi negligentius egerunt: iis enim, quæ ab aliis dicta sunt, nullo pacto contenti esse possumus. Adeas Platonem principem eo tempore Philosophorum habitum; eum in Timæo de generatione & interitu disserentem reperies, verum mutilatè. Tradit enim rationem, qua ex planis oriantur quatuor elementa, *Quomodo autem carnes, vel ossa, vel aliarum huiusmodi rerum aliqua, nihil.* Non quod istarum etiam rerum generationem non attingat, sed quod ea, quæ affert, nullam firmitatem, nullã verisimilitudinem habeant; oblitusque omnino videatur suorum principiorum: non enim ista ex planis, aut ex elementis generat, sed alio quodam modo, de quo alibi dicemus. Præterea nec de alteratione; nec de accretione quicquã attulit. Ac ne singulos excutiamus, illud verè affirmare possumus, neminem paulo subtilius istas res esse contemplatum, pauloque interius penetrasse, sed tenuem tantum illarum vmbram vidisse, vno tantum excepto Democrito, qui intentiore cura de omnibus rebus naturalibus videtur cogitasse, & principia statuisse *Quæ in omnia quadrare possunt*, ex quibus scilicet non modo elementorum, sed etiam carnis, ossis, ac reliquarum rerum nascendi ratio afferri queat: *& ad alios motus* apta etiam sunt alterationi, atque accretioni. Mutatione enim ordinis & situs suorum atomorum tueri alterationem poterat, ac noua illorum accessione accretionem. Aliter interpretatur Philoponus ista verba, *& ad alios motus*, sed asperior & durior interpretatio est, quàm eam se quilibeat: *iam verò differt in eo, quod est quomodo*. Quanquàm Democritus paulò accuratior reliquis fuerit, atque de omnibus motibus non tantum de generatione cogitasse videatur, tamen plurimum refert hoc, an illo modo afferas generationem, alterationem, accretionem. Non enim satis est modum aliquem afferre, quo ista inter se distingui queant, sed attendere oportet, sit ne modus iste veritati, & rerum naturæ omni ex parte respondens, an vacillet, & claudicet. Ac sanè de accretione præcipuè nihil quisquã viro philosopho dignũ videtur proloquutus. Quæ enim ab Democrito, & ab aliis dicuntur, facilè cuiuis Idiotæ

& imperito

& imperito homini in mentem venirent, augeri scilicet res accessione similis. Verum autem quæ accedunt, meatus vacuos inueniant, an corpus per corpus permeet; quod vt ad istam tractationem maximè necessarium est; ita difficillimum ad explicandum; mirum apud illos silentium: *Neque de mistione, nec vt ita dixerim, de quoque alio, vt de facere vel pati, quo pacto hoc quidem facit, illud autem patitur naturales effectiones*. In ossis, carnis, auri, argenti generatione mistio quædam requiritur, vt infra abundè intelligetis: nunc varias illius vocis *mistio* notiones afferre, quod Philoponus facit, necessarium non iudico: item in omni generatione, alteratione, accretione requiritur effectio quædam, & perpessio; ita, vt hoc quidem efficiat, illud autem patiatur naturales effectiones: nam de artificiosis motibus, & effectionibus non est nobis in præsenti sermo institutus: quare mistionis, efficiendi, & patiendi natura, & conditione non tractata (quemadmodum veteres non tractant) nihil magni momenti ab illis tractatum esse verè possumus dicere. Verum agè Democriti, cuius diligentiam, & curam commendauimus, sententiam copiosius explicemus, vt quantum ab illa nobis recedendum sit; intelligatur.

Democritus autem, & Leucippus inducentes figuras, ex his alterationem, & generationem tuentur: diremptione quidem, & congregatione generationem, & interitum, ordine autem, & collocatione alterationem: quoniam autem existimabant ipsum verum in eo, quod apparere dicimus: contraria autem, & infinita, quæ apparent; figuras infinitas inducebant, ita vt mutationibus eius quod componebatur, idem alteri, atq; alteri contrarium videretur, & conuerteretur paruo admisto, atq; omnino alterum appareret vno conuerso. Ex ijsdem enim, & Tragædia, & Comœdia literis fit.

Quomodo Democritus, & Leucippus inducentes figuras, id est corpora indiuidua variis figuris prædita, ipsorum quidem coitionem ac diremptionem generationem, & interitum afferrerent, eorundem verò manentium, in ordine tantum, & situ mutationem alterationem iam dictum est. Nunc autem rationem apponemus, cur illi infinitas esse istorum corporum figuras putauint. Eò vsque sensibus fidem habuerunt, vt crederent, quicquid illis apparet, verè esse. Idem autem sensibus nostris infinitis propemodum modis, ac sæpe contrariis apparet; vt idem collum Columbæ ad solem expositum eidem oculo interdum cerulœum, interdum aureum, interdum nigricans videtur, interdum alius coloris speciem præsefert. Qui igitur ista, quæ infinitis, & contrariis modis apparent, verè etiam sunt? hoc nimirum pacto *mutationibus eius, quod componebatur* translatione scilicet alicuius atomi, quæ simul cum aliis componebatur, & commitiebatur; non enim interpreteris *eius quod componebatur* eius, quod resultat ex compositione atomorũ; sed eius atomi, & corpusculi indiuidui, quod cum aliis atomis componitur ad quoddam aliud procreandũ; Illi, qui è Scoto, solent vocare compositum cum his; atq; ita distinguunt ab eo, quod vocant compositũ ex his: Ergo cũ infinitæ essent figuræ istarũ atomorũ componentium collum columbæ, & alia corpora; infinitas etiam quasdam habitudines, infinitos respectus ad ipsos sensus habere poterant: ex quo, vt character iste Z, pro diuersa ad oculum habitudine interdum quidem Z, interdum autem N, apparet: ita res ipsæ naturales pro diuerso respectu ad sensus, interdum albæ, interdum nigræ, aliquando dulces, aliquando amaræ, & videntur, & sunt. Diuersi isti respectus, diuersæ habitudines ob figurarum infinitam multitudinem existebant. Vt enim vnum corpusculum cum altero, vel per conum, vel per basim, vel per plures, aut pauciores angulos componebatur: ita diuersæ habitudines exoriebantur, & ex diuersis habitudinibus varia, & semper tamen verax sensuum perceptio. Vt autem res innumerabilibus, & infinitis quibusdam modis se habere viderentur, sufficiebat etiam vnius alicuius corpusculi, id est atomi admistio; statim n. tota rei species, & imago conuertebatur; ita vt altera omnino ab ea, quæ prius erat appareret: duplex igitur causa erat, cur res alteratæ inspicerentur; prima erat accessio alicuius corpusculi; sic si isti voci *credibile* addas istam particulam *in* continuò totum sensum variaueris; quæ tamen accessio non tanti ponderis erat, vt nouam rem esse procreatam possemus dicere; nam ad procreationem nouæ rei, non vnius; aut alterius atomi aduentus sed multarum noua coitio requiritur. Altera verò causa erat eorundem manentium conuersio quædam in ordine & situ; quarum duarum causarum vna illis verbis significatur, *&*

conuerteretur paruo admisso, id est rei apparens imago conuerteretur, nouaque effigies sese offerret sensibus ob exigui alicuius corpusculi de integro aduenientis admistionem, quā primā causam statuimus: secunda aūt causa istis verbis exponitur, *atq; omnino alterum appareret vno conuerso*, id est noua se ostenderet facies ob conuersionem vel vnius tantum atomi in ordine scilicet & situ. Attendendum autem alterationem ex prima causa non esse tantum apparentem; existebat enim ob nouæ rei accessionem; Fortè autem istiusmodi alteratio apud Democritū propriè accretio erat; ità vt accretio definiri posset alteratio realis. Aut ita alteratio hæc ab accretione distinguebatur, quia accretione fit accessio rei similis, nec variatur habitudo, & respectus rei ad sensum; in alteratione aūt variatur. Alexan. aūt proximè allata verba ita interpretatur, vt iis velit significari, non tantum mutationem ordinis, & situs esse causam, cur res alteratæ videantur, sed etiam varios effluxus à rebus quæ sentiuntur. Censebat enim Democritus é rebus, quæ sentiuntur, effluere corpuscula quædam, & sensibus nostris occurrere, quæ facultatem sentientem ad actū traducerent. Quælibet igitur parua differentia in mistione, id est coitione istorum corpusculorum effluentium cum sensibus nostris magnam in percipiendo varietatem parere poterat. Sed prior interpretatio longè verbis aptior, atque expeditior. Fortè etiam vt meam coniecturam patefaciam, cum inquit Aristoteles, *figuras infinitas inducebant*, intellexit non figuras atómorum, sed figuras corporum, quæ ex illis constituebantur; quæ quidem figuræ infinitæ euadebant pro diuersa atomorum, quæ simul componebantur, collocatione, & ordine; & cum inquit *paruo admisso* intellexit leuissima mutatione in iis, quæ miscētur facta; ita vt sequentia verba, *atque omnino alterum appareret vno conuerso*, non quiddam aliud sibi velint, sed priora verba explicent; nec ulla nouæ accessionis, & incrementi mentio fiat; sed tantum exponatur cur res infinitis modis appareant, & pro causa afferatur infinita multitudo figurarum, quæ in rebus compositis insunt. Existere autem in his infinitas figuras ob mutationem ordinis, & collocationis in atomis componentibus; leuissima enim mutatione in mistione atomorum facta, totam figuram rei compositæ ex illis conuerti, longeque aliam imaginem, & effigiem reddi. Huc optimè conuenient verba illa, *Ex iisdem & Tragœdia & Comœdia literis fit*. Nam quemadmodum ex iisdem literis vtraque componitur, maximè tamen vna ab altera differt ob diuersam literarum constitutionem; ita res naturales ex iisdem atomis constitutæ, diuersæ tamen apparent ob variam atomorum collocationem, & ordinem.

Tex.Com.6. *Quoniam autem omnibus ferè videtur aliud esse generatio atq; alteratio, & generari quidem, & corrumpi dum congregantur, & segregantur, alterari autem mutatis affectionibus, in hæc incumbendum, & considerandum est. Habent enim hæc dubitationes, & multas, & iustas. Nam si generatio sit congregatio, multa sequuntur, quæ fieri nequeunt. Contra autem sunt aliæ rationes vim nobis afferentes, neq; faciles ad refellendum; quod aliter res se habere non possit: & nisi generatio sit congregatio, vel omnino non sit generatio, vel alteratio. An quàmuis hoc sit difficile ad explicandum, aggrediendum tamen*

Recitatis veterum de rerum generatione opinionibus, facilè potuimus intelligere multos generationem in coitione & congregatione posuisse, interitum in dissolutione & diremptu vt Anaxagoram, Empedoclem, Leucippum, Democritum, summæ Philosophos auctoritatis: Democritum præterea sat commodè alterationem à generatione distinxisse, eamque locasse in mutatione quadam affectionum, id est habitudinum, quæ quidem habitudines variabantur variato ordine aut situ componentium. Hæc autem de generatione rerum sententia multis est obstructa difficultatibus; si enim ponamus generationem esse istam congregationem, multa sequuntur absurda, vt intelligetis. Contra multæ nec infirmæ rationes nos ad istud ponendum cogunt, ita vt nisi isto res se habeat modo, aut omnino é rerum natura auferatur generatio; *vel alteratio*, id est vel statuatur idem esse, atque alteratio. Sed hæc difficultas & Aristotelis, & nostram, si tanto præceptore dignos spiritus gerimus, incitare, non retardare diligentiam, ac studium debet.

Initium

Initium autem horum omnium, vtrum, quæ sunt, gignantur, & alterentur, & augeantur, & patiantur his contraria sic, vt primæ magnitudines sint indiuiduæ, vel nulla potius sit indiuidua magnitudo. Interest enim plurimum: ac rursus si magnitudines indiuiduæ, vtrum istæ, quemadmodum Democritus, & Leucippus, sint corpora, vel quemadmodum in Timæo, superficies. Tex.Com.vij.

Suscepta nobis contemplatio est, an generatio sit congregatio. Quod si indiuiduæ, & impatibiles sint magnitudines, ex quibus omnia componuntur, necessariò illarum coitio est generatio: Sin nulla est indiuidua magnitudo; non necessariò generatio erit congregatio; sed aliquo fortè alio sese habebit modo. Principio igitur sententiam inducentem magnitudines indiuiduas examinemus oportet. Nam si ea vera sit, iam tota quæstio ad exitum perducta fuerit, cogemurque affirmare generationem esse coitionem istarum indiuiduarum magnitudinum; quando alia ratione cum sint impatibiles, ad procreandum accedere non possunt. Inquit autem Aristoteles interesse plurimum, vtrum res afferas ex indiuiduis magnitudinibus constitui, an nullam esse magnitudinem indiuiduam, non tantum ad generationis naturam constituendam, sed etiam alterationis, & accretionis. Nam si sint illæ, alteratio erit apparens quiddam, vt aiebat Democritus, & accretio fiet accessione, decrementum amotione alicuius indiuiduæ magnitudinis. Quod si non sint, alia fortè alterationis, & accretionis natura erit, *& patiantur his contraria*, id est interitum, & decrementum. Plurimum etiam interest, cum indiuiduas magnitudines statueris, vtrum istas ponas corpuscula, vt Democritus, & Leucippus, an superficies, vt Plato in Timæo.

Hoc igitur ipsum, vt & in alijs diximus, absurdum vsque ad superficies dissoluere. Quamobrem magis rationi consentaneum est, corpora esse indiuidua, sed, & hæc in multis rationi aduersantur. Verumtamen his potest alterationem, & generationem tueri, pro vt dictum est, versione, & tactu idem mutando, & figurarum differentijs; quod quidem facit Democritus; quamobrem vel colorem negat esse, versione enim colorari: ijs autem, qui in superficies diuidunt, non amplius: nihil enim fit præter solida compositis secundum latitudinem: Affectionem quidem ex ipsis vllam generare ne aggrediuntur quidem. Causa autem, cur neque ea, quæ omnibus patent, satis videre queant est paruus vsus. Quamobrem, quicunque in Physicis versati sunt magis, magis etiam possunt eiusmodi principia statuere, quæ plerunque queant conuenire: quicunque autem ex multis rationibus ea, quæ consistunt, non sunt contemplati, ad pauca spectantes facilius enunciant. Ex quo etiam facilè quiuis intelligat quantum intersit inter physicè, & Logicè considerantes. Tex.Com.viij.

Quod non bene alterationis, & generationis natura percipi queat, nisi antea statuerimus, sint ne elementa, ex quibus res constituuntur, indiuiduæ magnitudines; idcirco de his non nulla omnino sunt dicenda. Verum cum de iisdem, & alibi sæpè, & præcipuè tertio libro de cœlo accuratè sit disputatum, hac nunc vtemur moderatione dicendi, vt eam tantum opinionem, quæ longè probabilior est (est autem probabilior Democriti opinio) expendamus; alteram autem multo absurdiorem prætermittamus. Absurdum sanè est *vsque ad superficies dissoluere*, id est statuere rerum principia superficies: dissoluere.n. est referre effecta ad suas causas: quare secundo phy. xxvii. Aristoteles idcirco sibi tractationem de principiis esse susceptam inquit, vt ipsis cognitis, possimus ad ea referre vnamquamque quæstionem, id est omnia effecta, quæ in quæstionem cadunt. Ergo, inquit Aristoteles, aut non erat progrediendum vsque ad superficies, Nam ex planis, quæ indiuidua secundum profunditatem sunt, non potest exoriri corpus, quod vndequaque est diuiduum; ex indi-

uiduis enim non sit diuiduum aliquod; aut si eò progredi volebant, debebant ad lineas etiã & puncta peruenire. Nihil enim causæ afferri potest, cur si superficies sunt elementa corporum, lineæ etiam non sint superficierum, & puncta linearum. Probabiliorem autem, & rationi magis congruentem esse Democriti sententiam vel inde constare potest, quòd ille generationem ab alteratione potest distinguere; nam congragatione, & diremptione constituit generationem alterationem verò *versione*, id est, vt ego puto, quàmuis aliter Philoponus mutatione ordinis, & *tactu*, varia collocatione, *&* *figurarum differentijs*, nam si figuræ vniusmodi fuissent, vt omnes rotundæ; mutatio ordinis, aut situs non magnam alterationem induxisset. Nunc autem, cum figuræ infinitæ sint, pro diuersa collocatione, diuersoque ordine res longè differentes conspiciuntur, & multis, ac miris modis alterantur. Ostensum autem iam antea est, quòd colorem, & reliquas affectiones Democritus *negat esse*, negat esse solidum, & consistens quiddam, sed tantum res colorari, & aliis qualitatibus affici *versione*, quatenus ex vario ordine & collocatione atomorum, nobis hac, vel illa qualitate præditæ apparent. Ii autem qui superficies elementa ponunt, quid sit generatio, fortè possunt explicare, compositis scilicet, & coniunctis planis resoluere corpus asserentes; at quomodo ex illorum coniunctione emergant affectiones, & qualitates, ne ipsi quidem aggrediuntur dicere. Est autem quatenus excusari debeant, si de his, *quæ omnibus patent*, id est affectionibus, & qualitatibus nihil cogitauerunt, & quasi clausis oculis illas præterierunt; in disciplinis enim mathematicis diu multumque versati, non tantum temporis, aut studii quantum necesse erat, ad rerum naturalium contemplationem adhibere potuerunt. Res autem ita se habet, vt, qui diutius in physica incubuerunt, magis omnia potuerint attendere, & principia statuere, quæ apta essent multorum effectorum causis afferendis, *quicunque autem ex multis rationibus*, quicunque à Mathematicis disciplinis profecti quæ quidem disciplinæ rationibus potius, quàm rebus constant, *ea*, *quæ consistunt*, res naturales, quæ suapte vi, non mentis nostræ operâ consistunt, *non sunt contemplati*, *ad pauca spectantes facilius enunciant*, non multa effecta obseruantes; cum tamen hæc rerum naturalium infinita prope modum multitudo infinitam etiam in obseruando diligentiam postulet, quicquid illis primo quasi obtutu elementi speciem, atque imaginem habere videbatur, statim elementum censerunt, nec quod censebant, proferre & enunciare dubitarunt. Potest autem vel ex istarum opinionum collatione satis intelligi, quanto meliore conditione illi sint, qui res naturales *Physicè*, id est ex naturalium effectorum obseruatione considerant, quàm qui *Logicè*, id est ex rationibus quibusdam Mathematicis, communibus, & non à re ipsa ductis, vt Simplicius tertio Physi. Com: xviii. & xliii. & Alex. atque Auuer. xii. Meth. iiii. vbi Arist. eandem sententiam pronunciabat.

Quod enim attinet ad indiuiduas magnitudines ponendas, hi quidem aiunt, quòd τὸ αὐτοτρίγωνον, id est ipsum per se triangulum multa erit. Democritus autem videtur proprijs, & naturalibus rationibus sibi fuisse persuaderi; constabit autem, quod dicimus, progrediendo.

Intelliges quàm logicè Platonici egerunt, si vel hoc illorum argumentum perpendes; Dicebant enim, si τὸ αὐτοτρίγωνον, id est Idea trianguli (Idea enim trianguli apud illos erat ipsum verũ triangulum, vt idea hominis verus homo, Idea equi verus equos) ergo si idea trianguli diuidi posset, iam esset *multa*, id est in multas figuras dissolui posset; sed non potest dissolui: reliquæ enim figuræ rectilineæ in triangula dissoluontur, triangula autem in alias figuras non amplius; ergo ipsum per se triangulum non est diuiduum. Vides profectò totam rationem esse mathematicam, & facilem ad refellendum. Nam quàmuis triangulum in alias figuras diuidi nequeat, diuiditur tamen in lineas, ex quibus componitur. Rationes autem quibus in eam, quam exposuimus, sententiam Democritus est inductus, physicas, & validas esse procedente disputatione constabit.

Non

Non enim dubitatione res caret, si quis corpus aliquod, & magnitudinem posuerit omniquaq; diuiduam, & hoc possibile. Ecquid enim erit; quod diuisionem effugiat? Si enim vsquequaque diuidua, & hoc possibile, & si simul hæc vsquequaque fuerit diuisa, & si non simul hæc diuisa fuerit, & si hoc fiat, nihil vtiq; acciderit, quod nefas sit: quare & secundum medium similiter. Atq; omnino si omniquaque apta est diuidi, iam si diuisa fuerit, nihil accidet, quod nefas sit, quoniam neque si in infinita infinities diuisa fuerit, vllum nefas, quamuis fortasse nemo diuiserit: quando igitur corpus omniquaque tale est, diuisum detur.

His verbis continetur Democriti argumentatio, quæ probabat necessariò statuenda esse corpora aliqua, & magnitudines indiuiduas: hoc autem loco idem nomine corporis, & magnitudinis significatur: Democritus enim, vt iam diximus, non statuit aliam magnitudinem indiuiduam, quàm corpus. Ac sanè Alexander referente Simplicio ad initium primi de cœlo voces istas *corpora*, *& magnitudines* idem significare contendit. Verè enim nulla est magnitudo naturalis per se constans præter corpus. Democritus igitur ita argumentabatur: Si falsa est ista vniuersè affirmans propositio, omnem magnitudinem esse omniquaque diuiduam, verà certè erit illi contradicens, aliquam magnitudinem non esse diuiduam omniquaque; quod connexum satis ex natura contradicentium patet: sed illa vniuersè affirmans falsa est, vt ostendemus: ergo altera, quæ ex parte negat, erit vera. Ostendemus autem quod polliciti sumus hoc modo. Si magnitudo esset omniquaq; diuidua, posset etiam simul aliquando tota esse diuisa; sed hoc nefas; ergo & illud ex quo sequitur. Connexum patet ex iis, quæ primo libro prior. Analy. cap. decimoquinto sunt declarata, si, quod possibile est, ponatur traduci ad actum, nullum fore absurdum; quare si magnitudo esset diuidua omniquaque, *& hoc possibile*, id est obtineret naturam ipsius possibilis (sunt enim hæc verba addita ad rem significantius exprimendam) *& si simul hæc fuerit diuisa, & si non simul diuisa fuerit*, siue actu simul omniquaque fuerit diuisa, siue non fuerit; satis est, *quod & si hoc fiat*, si à nobis ponatur actu diuidi, nullum erit nefas, *quare, & secundum medium similiter*, hæc etiam verba addita sunt, vt res significantius exponatur; idem enim dictu est diuidi omniquaque, & secundum medium, quoniam si omniquaque res diuidi debet, semper factis ex diuisione partibus, rursus partes istæ in medio diuisionem admittere debebunt: in extremis enim, quæ sunt puncta, non habet locum diuisio. Quoniam autem res ista mira videri potest, si magnitudo omniquaque sit diuidua, poni etiam posse omniquaque actu esse diuisam, multus est in ista propositione statuenda Aristoteles, atque adiungit; *atque omnino si omniquaq; est apta diuidi, iam si diuisa fuerit, nihil accidet, quod nefas sit; quoniam neque si in infinita infinities diuisa fuerit, vllum nefas*. Ita, inquit, assero, si magnitudinem diuidi posse omniquaq;, significaret posse diuidi in infinita infinities, quotiescunq; illud poneretur, poni etiam licere actu esse diuisam in infinita infinities, *quàmuis fortasse nemo diuiserit*, quàmuis nemo eousque possit diuidere ob imbecillitatem suam; tamen hæc erit natura magnitudinis, vt quantum in se est, possit esse actu diuisa in infinita infinities, possimusque nos tutò ponere quando corpus *omniquaque tale est*, id est diuiduum omniquaque, actu etiam esse diuisum omniquaque. Declarauimus connexi veritatem, si magnitudo omniquaque diuidua esset, posse etiam poni totam simul aliquando esse actu diuisam. Nunc istud esse nefas, quod erat assumptum, declarabimus, quod etiam in illis verbis innueramus, *ecquid enim erit, quod diuisionem effugiat?* sed nunc in sequentibus explicabimus.

Quid

Quid igitur erit reliquum? magnitudo? sed minimè licet: esset enim aliquid non diuisum: Erat autem omniquaque diuidua. Quòd si nullum erit corpus, neque magnitudo, & diuisio tamen erit: vel ex punctis constabit, & carebunt magnitudine ea, ex quibus componitur, vel nihilum omnino: quamobrem si ex nihilo fiat, & composita sit: & vniuersum sanè nihilum, sed quà apparet.

Vis argumentationis hæc est. Si magnitudo esset aliquando omniquaque diuisa, *quid erit reliquum*? id est partes, quæ post istam diuisionem remanerent, aut essent magnitudines, aut puncta, aut nihilum. At neque magnitudines, neque puncta, neque nihilum esse possunt; ergo magnitudo non potest esse tota simul aliquando diuisa: Connexum satis patet: non enim facilè dictu est, quid aliud reliquum esse queat, aut quæ aliæ partes remanere, quàm ea, quæ commemorauimus. Assumptum ita cofirmamus. Non remanent magnitudines, quoniam magnitudo prima non esset omniquaque diuisa, quod ponebamus factũ esse. Nam, & istæ magnitudines in quas est diuisa, adhuc per aduersarium, qui omnem magnitudinem esse diuiduã affirmat, diuidi poterunt; Non possunt etiam puncta esse, quæ remanent. Nam si magnitudo diuideretur in puncta: carerent magnitudine ea, ex quibus ipsa magnitudo constat, & componitur: quod idem dictu est, ac quantum componi ex non quantis. Multo minus, quod ex diuisione remanet, potest esse nihilum; nam si in nihilum diuideretur, ex nihilo etiam constaret: quòd si ex nihilo fiat, & componatur, iam totum ipsum quod componitur, nihil erit verè, sed tantum *quà apparet*, id est habebit vmbram quandam, & imaginem duntaxat essentiæ.

Similiter autem, & si ex punctis, non erit quantum: quando enim in vna sese tangebant magnitudine, & vna erat magnitudo, & omnia simul erant, nihilo maius reddebant ipsum vniuersum: diuiso enim in duo vel plura, nihilo minus, aut maius ipsum vniuersum eo, quod ante: quare etsi omnia composita fuerint, nullam facient magnitudinem.

Sumpsimus in oratione superiore non posse magnitudinem diuidi in puncta, ne cogamur concedere quantum componi ex non quantis. Nunc idem repetitur, & verò etiam ratione ostenditur nullo pacto id esse concedendum. Ergo si vlla magnitudo, & quantum componeretur ex punctis; & non quantis, puncta essent huius conditionis, vt coniuncta possent reddere ampliorem magnitudinem: sed hoc non præstant; ergo neque illud. Cõnexum satis per se patet. Assumptum verò ita explicatur. Accipiatur totum aliquod continuum, quod in duo vel in plura dissecetur: totum hoc, quod componetur ex istis partibus discreta iam puncta habentibus (istarum enim partium extrema sunt puncta actu) nihilo maius, aut minus erit, quàm esset totum illud continuum, antequàm diuideretur, cum puncta non essent discreta, sed se *tangerent*, id est vnita planè essent in vna magnitudine, ita vt vna tantũ magnitudo resultaret, *& omnia simul essent* omnia puncta simul essent nullo pacto locis discrepantia. Dixit autem in continuo puncta se tangere, non quòd ipse ita sentiat (nam partes continui non se tangunt, sed copulantur ad communem terminum) sed quòd ita illis dicendum est, qui ponunt ex punctis componi magnitudinem. Quoniam autem cognoscebat non propriè hic locum habere tangendi vocabulum, propterea addidit illa verba, *& vna erat magnitudo, & omnia simul erant*. Ergo si metientes nos partes discreta puncta habentes, & totum ipsum antequàm diuidatur, eandem omnino partium discretarum, ac totius, antequàm diuidatur, quantitatem esse inuenimus, certè hoc satis argumenti est, ex punctorum coniunctione nihil reddi maius, aut minus.

Quod

Quod ſi diuiſo corpore quiddam quaſi ramentum fit, & ſic ex magnitudine corpus aliquod abit: eadem ratio: illud quo modo diuiduum? ſin autem non corpus, ſed ſpecies aliqua ſeparabilis, vel affectio, quod abijt, & eſt ipſa magnitudo puncta, vel tactus hoc modo ſe habentes; abſurdum ex non magnitudinibus magnitudinem eſſe.

Quaſi dicat, euadere fortaſſe aliquis conabitur vim allatæ argumentationis, dicens cum corpus diuiditur, abire in ramenta quædam, qualia in ligni, & marmoris diſſectione apparent: verum *eadem ratio*, non tamen euadit, ſed eadem premitur argumentatione; ramenta enim iſta, vel ſunt corpuſcula, vel puncta, vel fortè ſpecies aliquæ ſeparabiles. Si ramentum eſt corpuſculum, *illud quomodo diuiduum*? an non vides aut ponendum eſſe indiuiduũ, quomodo ponebat Democritus, aut certè non omniquaque eſſe diuiſam priorem magnitudinem? Sin autem afferas ramenta illa eſſe non corpora, ſed ſpecies aliquas ſeparabiles, & affectiones aut puncta, ita vt magnitudo ipſa ex iſtis compoſita nihil aliud ſit quàm puncta, *aut tactus hoc modo ſe habentes*, aut quæuis alia, quæ cum indiuidua ſint, fingas ſe tangere, quales fortaſſe dixeris tu eſſe aliquas ſpecies *ſeparabiles*, indiuiduas, & per ſe conſiſtentes, aut affectiones aliquas; eodem tamen laqueo irretieris; ſequetur enim ex non magnitudinibus magnitudines eſſe.

Præterea autem vbi erunt? & immobilia, an mobilia puncta?

His verbis duplex ratio continetur ad idem oſtendendum, non ſcilicet remanere puncta ex magnitudine omniquaque diuiſa. Prima ratio eſt huiuſmodi. Si remanerent puncta, aut occuparent locum, aut non occuparent; ſed nec occupare, nec non occupare poſſunt; ergo non remanent. Non poſſunt ſanè occupare locum, quoniam cum nullam dimenſionem habeant; ne fingi quidem poteſt, qui locus amplecti illa queat, aut qui illis magis inferus; quàm ſuperus conueniat; contrà non poſſunt non occupare: Poſitum enim eſt magnitudinem nil aliud eſſe quàm puncta; quare ſi tota magnitudo occupat locum, & ipſæ quoque partes illam componentes locum occupent oportet. Secunda ratio eſt huiuſmodi. Si remanerent puncta, vel immobilia eſſent, vel mobilia; ſed neutrum eſſe poteſt; ergo non remanent. Non ſunt immobilia, aliòqui non potuiſſent ferri, & coire ad magnitudinem componendam; neque mobilia, quoniam omne mobile corporeum eſt, vt ſexto phy. eſt demonſtratum; & cum loco careant, latione etiam neceſſario carent; de quo motu nunc intelligimus.

Tactusq; ſemper vnus duorum quorundam: quaſi aliquid ſit præter tactum, & diuiſionem, & punctum; ac ſanè ſi quis poſuerit quodcunque, vel quantuncunque corpus eſſe omniquaque diuiduum, omnia hæc ſequuntur.

Alia ratio additur ad oſtendendum magnitudines non componi ex punctis. *Tactus*, id eſt mutua illa adhæſio punctorum, penes quam fit tactus, *Semper vnus duorum quorundam*, ſemper intelligitur eſſe inter aliqua duo præter ipſa puncta; quaſi omnino, & ſi tactus fiat per puncta, vt cum duæ lineæ ſe tangunt, itemque diuiſio (tunc enim intelligitur linea diuiſa, quando ibi ſunt facta actu puncta, vbi erant facultate) tamen quæ ſe tangunt, aut quæ diuiduntur, aliud quiddam ſint quàm puncta. Ergo ſi quæ ſe tangunt, aut quæ diuiduntur, ſunt aliud quiddam præter puncta, ſine dubio remanentia ex diuiſione magnitudinis non ſunt puncta. Sed quæ ſe tangunt, & quæ diuiduntur ſunt aliud quiddam præter puncta; ergo remanentia ex diuiſione magnitudinis non ſunt puncta. Connexum clariſsimum. Aſſumptũ ab Ariſtotele ponitur quaſi ex communi quadam intelligentia ſumptum. Omnes enim ita intelligunt, quæ tangunt ſe, quæque diuiduntur, eſſe aliud quiddam præter puncta, penes quæ fit tactus, & diuiſio.

Potest autem à nobis breuiter hac ratione confirmari. Si puncta essent, quæ se tangerent; aut tota se tota tangerent, aut per partes: non tota se tangunt tota; quoniam si tota se occuparent; iam ex illorum coniunctione nulla magnitudo orireтur, sed omnia eodem loco continerentur, quo vnum punctum; si enim totum tangit totum, non excedit locum illius; neque etiam se tangunt per partes, quando puncta partibus carent. Ergo nullo pacto puncta sunt, quæ se tangunt, sed magnitudines; quàmuis fortè aliquando penes puncta fiat tactus. Hæc igitur sunt absurda, quæ sequuntur, Si quis posuerit *corpus quodcunque*, cuiuscuis generis tam scilicet corpora componentia, quàm composita *vel quantumcunque*, tam exiguæ quàm vastæ magnitudinis, esse diuiduum omniquaque.

Præterea si cum diuisero, composuero lignum vel aliud quiduis, rursus & æquale, & vnum. Ergo hoc sanè se habet modo, & si diuisero lignum penes quodcunque signum. Omniquaque igitur diuisum est facultate: ecquid igitur est ex diuisione? Nam si aliqua affectio est, at quomodo in has dissoluitur, & gignitur ex his, aut quomodo hæ separantur? quamobrem quando nefas est ex tactibus vel punctis esse magnitudines, corpora indiuidua, & magnitudines sint oportet.

Vult nobis in memoria hærere argumentum illud supra allatum in verbis illis *similiter autem, & si ex punctis, non erit quantum*, & propterea repetit. Quæ igitur ibi diximus huc transferri possunt. Non est autem inusitatum voce illa ἔτι significari quandam repetitionem; quod aliàs notauimus ex secundo de anima xxiii. vbi euidenter repetitur id, quod in superioribus textibus dixerat. Eandem rationem sequuntur oratores, vbi nolunt rem ex animo auditoris effluere, vt M. Tullius in postremis verbis Ligarianæ. Ergo inquit Arist. cum diuiso ligno, aut alia quauis magnitudine, rursus partes diuisas compono; vnum, & æquale lignum illi redditur, quod ante diuisionem erat. Hoc igitur satis argumenti est puncta non reddere maiorem, aut breuiorem magnitudinem; ita neque componere Quare etsi diuisero lignum penes quodcunque signum, *hoc sanè se habet modo*, quòd scilicet nullam magnitudinem ipsa puncta efficient. Tuto igitur possumus redire ad caput argumentationis, qua Democritus vtebatur, atque ita dicere, Democriti aduersarios cogi ad illud confitendum, corpus omniquaque esse diuisum facultate. Quare si diuisio ad actum traducatur. *Ecquid igitur est ex diuisione?* sequentur scilicet absurda allata, vt nullo pacto statuere possimus quæ sint illa, quæ remanent ex diuisione *nam si aliqua affectio est*, si tu proposito argumento occurrens illud attuleris, de quo supra etiam mentionem fecimus, nempè illa, in quæ diuiditur magnitudo, esse affectiones quasdam separabiles, ac quantitate carentes; ostendendum tibi erit, quomodo istæ affectiones componant corpus, & in eas corpus dissoluatur, cum ipsæ incorporeæ, & non quantæ sint; quomodo item quantitate carentes possint separatæ consistere; in qua re ostendenda frustra laborabis, neque te explicare poteris. Ergo vt ad initium, atque ad illud, cuius causà omnis hæc oratio suscepta est, reuertamur, si nefas est ex tactibus vel punctis constitui magnitudines, consentaneum est, vt sint aliquæ magnitudines, & aliqua corpuscula indiuidua, ex quib. reliquæ magnitudines, & reliqua corpora componantur; istis autem vocibus *ex tactibus vel punctis*, aut idem significatur, & dictio illa *vel* est nota explicationis, quomodo sæpe ab Aristotele vsurpari notarunt Græci interpretes, aut vox tactus communius quiddam sonat, vt scilicet compræhendat etiam affectiones, si quis fortè ex illarum tactu assereret componi corpus; addere autem minus communem vocem post communiorem Aristotelicum est, vt initio phy. *quoniam cognoscere, & scire*, & in libro de sensu, & sensili, *pisces & ostreacea*. Hæc igitur valida nulloque pacto platonicis similia argumenta sunt, quibus Democritus in istam de indiuiduis corporibus sententiam est inductus.

Verum enimuero & has ponentibus multa accidunt, quæ fieri nequeunt:
Tex. Com. 9. *considerατum autem de his est in alijs. Sed hæc conandum soluere: quare iterum ab initio repetenda dubitatio est.*

Quàmuis

Quàmuis validis rationibus fulciantur ista corpuscula, ac magnitudines indiuiduæ, tñ illis positis multa accidunt, quæ fieri nequeunt; cæterum de his *consideratum est in alijs*, in iii. de cœlo, vi. phy. in lib. de lineis indiuiduis, quem tñ nonnulli Theophrasto ascribunt. Non.n. istud hoc tempore agitur, vt ista opinio refutetur: satis erit, si argumentum dissoluamus, quo Democritus isthæc corpuscula induxit, ideircoq; generationem, & interitū nihil aliud quàm congregationem, & dirēptionē esse voluit. Huc.n. omnis nostra spectat oratio. Repetemus aūt breuiter copiosè iam expositū Democriti argumentum, vt quid à nobis respondendū sit, melius intelligatur. Cæterū suo artificio vsus Aristot. simul dubitationem repetit, aditumq; sibi ad illam tollendam munit. Ostendit autem istius propositionis, Omne corpus est omniquaq; diuiduum, duas longè differentes esse sententias, atque ex altera tantum illarum sequi absurda, quæ à Democrito colligebantur.

Omne igitur corpus, quod sub sensum cadit, esse diuiduū secundum vnūquodq; signū, & indiuiduum, nullum absurdū: alterum.n. potestate: alterum verò actu inerit. Esse aūt simul omniquaq; diuiduum potestate, nefas vtiq; videatur.

Quemadmodum illius propositionis, Homo est cōpos omnium disciplinarū, duplex esse sententia potest, vna quidem, hominem simul omnes scientias posse cōprehendere, altera aūt hominem posse non omnes simul, sed ex omnibus quancunq; primo libuerit, deinde alias successione quadam; & prima quidem sententia falsa est, secunda aūt vera; ita istius nobis nunc propositæ, corpus est diuiduum omniquaq;, duplex sententia est, altera vera, altera non vera: vera est, corpus non in vna quidem parte diuidi posse, in alia autem minimè, sed æqualiter in quacunq;; ita vt quàmuis diuisione facta in hac parte, in alijs omnibus simul diuisio fieri nequeat; antequam tamen in hac fieret, in aliarum aliqua nihilo difficilius fieri poterat, ac deinde per successionem poterit; quemadmodū dicebamus hominem esse omniū disciplinarū cōpotem: quoniam, quàmuis dum vnam scientiam apprehendit, alias apprehendere nequeat, tamen ante istam apprehensam nihilo difficilius aliam apprehendere ei licuisset, & deinceps etiā alias poterit apprehendere. Adde illud, quòd ab Auerroe ex verbis Aristot. excerpitur, non esse immediatā istam successionem in diuisione, vt.s. in vno puncto facta diuisione, deinceps in puncto illi hærente fieri diuisio posit; quàmuis antequam vlla esset facta diuisio, æquè in vno, atq; altero fieri diuisio posset. Nam cū diuisio, inquit Auerroes, cecidit super primum punctū, statim fuit destructa potestas diuisionis in secundo; prout etiā sæpe ex vnius scientiæ adeptione ad reliquas reddimur inepti, quàmuis antea æque ad istas, atq; ad illā essemus affecti. Sic igitur intelligemus verè omnem magnitudinem esse omniquaq; diuiduā, i. æquè vna in parte, atq; in alia cadere posse diuisionem, hancq; in infinitū perdurare posse per successionem, non tamen immediatam vt declarauimus: hæcque prior istius propositionis sententia, quæ vera est, his verbis significatur, *Omne igitur corpus, quod sub sensum cadit, esse diuiduum secundum vnumquodque signum*, quacunq; parte, atque in quocunq; puncto, *& indiuiduum*, indiuisum tñ, quoniam .s. si in vna parte diuisum est, in altera necessario remanet indiuisum; *nullum absurdum, alterum.n. potestate, alterum verò actu inerit*. Ambo ista inquit cōueniunt corpori, & esse diuiduum in omni puncto, & esse indiuiduū, sed esse diuiduum conueniet potestate, esse autem indiuiduum conueniet acto. Non enim ista repugnant, posse diuidi in quauis parte, & non esse tamen in quauis acto diuisum; quemadmodū & ista non repugnant, hominem esse compotem omnium scientiarum, & actu tñ non omnes simul apprehendisse. Addidit autem Aristoteles *sub sensum cadens*, non quòd alterum etiam corpus cogitatione comprehensum, id est Mathematicū, non eodem pacto diuiduum sit (est enim omnino) sed qm̄ de naturali nunc nobis disputatio est suscepta; an autem ità dictum sit ad excludendam materiam, quod putauit Philoponus, in quæstionibus statuemus; illud autem, *& indiuiduum* interpretati sumus indiuisum, ita postulante sententia, huiusmodi autem voces ἀδιαίρετον, ἄφθαρτον, interdum significare quod diuidi, quod interire non potest, interdum autem quod adhuc non est diuisum, quod non interiit, ex primo de cœlo, & secundo Eudemiorum didicimus. Secunda autem allatæ propositionis Sententia, & quidem falsa est huiusmodi, Posse corpus simul omniquaq; diuidi, illi respondens, posse hominem vniuersas simul scientias apprehendere, & his verbis significatur. *Esse autem simul omniquaq; diuiduum potestate, nefas vtiq; videatur*, & qm̄ hanc sententiam spectans Democ. eo modo, quo diximus, argumentabatur, idcirco illius nunc argumentationem breuiter repetit Arist. vt pollicitus erat.

Si.n. possibile fiat vtiq;, nō vt ambo simul sint actu indiuiduū, & diuisum, sed diuisum secundū vnumquodq; signū: nihil igitur erit reliquum, & in incorporeū corruptū corpus, & si rursus fiat, vel ex punctis, vel ex nihilo: & hoc quō possibile?

Si inquit possibile esset corpus diuidi simul omniquaque, *fiat vtique*, diuidatur etiam aliquando simul omniquaque; nam quod possibile est, poni potest esse traductum ad actum, *non vt ambo simul sint actu indiuiduum, & diuisum, sed diuisum secundum vnumquodque signum*, id est nolo ponere idem esse diuisum in omni signo, & remanere actu indiuisum; hoc enim nimis euidentem absurditatem habet, nec sequitur ex propositione illa, sed id quidem sequitur, ponereque per illam licet corpus esse diuisum *secundum vnumquodque signum*, omniquaque in puncta, *nihil igitur erit reliquum*, igitur allatis iam incommodis vrgebimur, vt nihil ex diuisione præter puncta remanere asseramus, & corpus dissolui in incorporea, nimirum puncta, aut affectiones separabiles, aut fortè in nihilum; quare cum ex iisdem res componantur in quæ dissoluuntur, si rursus fiat corpus, fiet ex punctis, vel ex nihilo.

Verum enimuero diuidi in separabilia, & semper in minores magnitudines & in distantes, ac separatas manifestum est.

Vt inquit, illud, quod ex sententia ponente corpus omniquaque diuiduum, sequebatur omnino absurdum erat; ita pro Democrito indiuidua corpuscula ponente, videtur ipse sensus quodammodo testimonium dicere: Videmus enim corpus diuidi *in separabilia*, id est in ea quæ per se consistere queant, *& semper in minores magnitudines, & distantes, & separatas*; ita vt diuidatur corpus in minores magnitudines, quæ tamen distantes à sese, & separatæ queant consistere *semper*, id est quousque exiguis illis corpusculis occurras, quæ amplius secari nequeant.

Nec sanè per partes diuidenti erit infinita sectio, nec simul concedetur diuisum esse secundum vnumquodque signum (nefas enim) sed quadantenus. Necesse igitur inesse indiuiduas magnitudines non aspectabiles.

Constituto Democriti dogmate omnia videntur vitari absurda: non enim dissoluetur corpus in puncta, & incorporea, neque per successionem infinitam diuisionis, neque simul, hoc enim diximus esse nefas, *sed quadantenus*, id est tam diu poterit durare diuisio, quoad indiuiduis istis magnitudinibus occurramus: necessariò igitur istæ ponendæ sunt, quamuis ob exiguitatem suam oculorum sensum lateant; sed rationis lumine comprehendendæ sunt quemadmodum ramenta per aërem volitantia non cernuntur, nisi radius Solis ea illustrauerit.

Præterea autem si est generatio & interitus: hic quidem secretione, illa autem congregatione. Ratio igitur, quæ cogere videtur ad ponendas indiuiduas magnitudines, est huiusmodi.

Vi eiusdem argumentationis illud præterea sequitur, vt si generatio, & interitus est, quemadmodum certè est, nullo alio existere videatur pacto, quàm per congregationem, & secretionem. Magnitudines enim, & corpuscula indiuidua, atque impatibilia non aliter ad procreandum accedere poterunt, quàm vnà coeundo, neque ad interitum deducentur nisi dirempta, ac dissoluta. Fortè etiam Democritus cum clarum, & exploratum putaret, generationem nil aliud esse posse quàm congregationem, & interitum dissolutionem, hinc argumentabatur, Si generatio & interitus sunt congregatio, & diremptio, necessariò inducenda corpuscula indiuidua; ita enim aptissimam fore congregationem, & secretionem; & verba ità melius reddentur: *Præsertim autem si generatio & interitus, hic quidem secretione, illa autem congregatione*. Ratio igitur inducens indiuiduas magnitudines ideircoque generationem in congregatione, interitum in diremptione ponens, est huiusmodi: nunc ad eam refellendam aggrediamur.

Quòd

Quòd autem in ea ratiocinatione error latet, & vbi latet, dicamus. Nam quoniam non est punctum puncto hærens, hoc quod dicimus, omniquaq; esse diuiduum, est, quatenus magnitudinibus conueniat, est etiam quatenus minimè. videtur autem, cum hoc positum fuerit, & vbiq; & omniquaq; punctum esse, ita vt necessarium sit diuisam esse magnitudinem in nihilum: omniquaq; enim esse punctum; quare vel ex tactibus, vel ex punctis esse.

Latet error in Democriti argumentatione, quem nos patefaciemus, fontem etiam ipsius erroris ostendentes. Fons autem erroris est, vnam tantum istius propositionis, Magnitudinem esse omniquaque diuiduam, sententiam, eamque falsam vidisse; cum altera etiam multo verissima illius sententia esset. *Nam quoniam non est punctum puncto hærens*, quoniam se mutuò tangere puncta nequeunt, quemadmodum Democritus verè putabat, idcircò concedimus esse quatenus, omniquaque esse diuiduum, non conueniat magnitudinibus, videlicet si intelligamus omniquaque simul esse diuiduum. Nam hanc tantum sententiam animaduertens Democritus verè postea argumentabatur, si fuisset omniquaque diuidua magnitudo, fore vt vbique, & omniquaque actu punctum sumi posset, ita vt magnitudo, aut in puncta, aut in tactus quosdam, vt supra exposuimus, aut certè in nihilum diuisa esset; quamobrem consectarium esse, vt ex iisdem etiam componeretur. Altero autem sensu si accipiatur omniquaque diuiduum, magnitudinibus conueniet: qui alter sensus his verbis exponitur.

Est autem, quatenus illud, omniquaq; conueniat; quòd vnum vbiq; est, & omnia, vt vnumquodq; plura autem vno non sunt: non enim habent continuatam seriem: quare non omniquaq; si enim diuidua esset secundum medium, & secundum hærens punctum diuidua erit. Non enim est hærens signum signo, vel punctum puncto. Hoc autem est diuisio & compositio.

Poterimus, inquit, tutò affirmare magnitudini conuenire *illud omniquaque*, id est omniquaq; esse diuiduam, si hoc sensu accipiamus, *quod vnum vbique est*, quia in quauis magnitudinis parte est vnum punctum facultate, in quo potest fieri diuisio, *& omnia vnumquodque*, & omnia puncta æqualis conditionis sunt, neque vnum ab altero differt; sed in quauis parte æqualiter accipi punctum potest, atque in eo fieri diuisio; quo etiam sensu dicebamus, hominem esse compotem omnium scientiarum, quia scilicet tam huius quàm illius, *plura autem vno non sunt*, at scilicet illi puncto, in quo diuisionem feceris, alterum punctum hærens, & deinde alterum accipere, in quo rursus diuisio fiat, id quidem non licet; *non enim habent continuatam seriem*, ita vt vnum punctum tangat alterum, atque inter ea cadere diuisio queat, *quare non omniquaque*, quare isto quidem sensu sumendo istam vocem *omniquaque* vt scilicet facta diuisione in vno puncto, in altero illi hærente rursus diuisio fieri queat, ita vt simul tandem tota magnitudo in puncta sit dissoluta; nefas planè est magnitudinem esse omniquaque diuiduam. *Si enim diuidua esset secundum medium*, si facta magnitudinis diuisione, rursus partes in medio puncto diuidi possent, quousque tandem in puncta dissolueremus, iam *& secundum hærens punctum diuidua esset*, id est hoc nihil iam aliud esset, quàm affirmare, hærere sibi mutuo puncta, & in ea diuidi, atque ex iis componi magnitudinem. Hoc autem iam explosimus, *non enim est hærens signum signo vel punctum puncto*, quasi dicat voces signum an punctum nihil refert; satis est, quod alterum alteri hærere non potest. Eodem etiam pacto initio physicorum dictum puto principia, vel causæ, vel elementa; quod aliàs ostendemus. *Hoc autem est diuisio, & compositio*, ponere punctum hærere puncto, nil aliud est, quam asserere magnitudinem diuidi in puncta, vel componi ex punctis. Ergo diuidua est magnitudo omniquaque illa notione, quòd tam hoc in puncto, quàm in alio; minimè autem diuidua omniquaque hac altera notione, quia in omnibus punctis simul; quam rem in quæstionibus copiosius explicabimus.

Quàmobrem est, & congregatio, & secretio, sed non in indiuidua, neque ex indiuiduis (multa enim absurda) neque sic, vt omniquaque diuisio fiat (nam si hæreret punctum puncto, plane istud eueniret) sed in parua, & minora est & congregatio ex minoribus.

Respondet appendici argumentationis Democriticæ. Cum enim ille putaret exploratum habere congregationem esse generationem, & interitum dissolutionem, aut id aliquo fortè argumento probasset; hinc addebat inducendas esse indiuiduas magnitudines; quoniam itá aptissimè congregatio, & dissolutio fieri poterat. Respondet igitur Aristot. posse congregationem, & secretionem cōsistere, quàmuis res non in indiuidua separentur, neque ex indiuiduis congregentur: multa enim absurda vrgent illa inducentes, vt vi. phy. & iii. de cœlo est ostensum; *Neque sic, vt omniquaque diuisio fiat*, neque etiam cogemur asserere ita congregationem, & segregationem administrari, vt omniquaque diuisio simul fiat. *Nam si hæreret punctum puncto, planè istud eueniret*, id est diuisio fieret omniquaque simul; nunc autem non hæret punctum puncto, *sed in parua, & minora* sed ita secretio locum in natura habere potest, quòd magnum corpus in parua, atque omnino maius in minora dissoluitur, congregatio autem, quòd ex minoribus maius aliquid componitur.

Tex. Com. x. *Cæterum non congregatione, & secretione simplex, & perfecta generatio definita est, vt quidam asseruut, eam autem, quæ est in continuo mutationem, alterationem. Sed hoc ipsum est, in quo errant vsquequaque. Est enim simplex generatio, & interitus non congregatione, & secretione, sed cum mutatum fuerit ex hoc in hoc: ij verò opinantur omnem talem mutationem esse alterationem. Hoc autem differt. In subiecto enim hoc quidem est secundum rationem, hoc autem secundum materiam. Cum igitur in his mutatio fuerit, generatio erit, vel interitus: quando autem in affectionibus, & secundum accidens, alteratio.*

Quàmuis, inquit, concedamus habere locum in rerum natura congregationem, & secretionem, illud tamen constanter negamus simplicem, & perfectam generationem, idest in qua res omnino, & integrè fit alia, esse congregationem, aut illi generationi oppositū interitum esse secretionem, quod à Democrito profecti asserebant, addentes iidem *mutationem eam quæ in continuo*, id est mutationem ordinis, & situs iisdem corpusculis manentibus esse alterationem. Hoc autem est totius erroris caput. Isti enim putant cum mutatio fuerit facta ex hoc in hoc, sine vlla scilicet congregatione aut secretione, esse alterationem; Generationem autem, & interitum, vbi congregatio, & secretio adfuerit. Contra autem res se habet, vt simplex generatio, & interitus tunc fit, cum sine vlla persæpe congregatione, & secretione hi mutatio ex hoc in hoc, quemadmodum cum ex aqua fit aër; congregationem autem, & secretionem persæpè nec generatio, nec interitus sequatur; vt si plumbū in minutas partes disseces, & secernas, rursusque in vnam massam partes istas confles, & congreges; nec generatio, nec interitus extiterit. Ac si iam ad veram generationis, & interitus naturam est accedendum, ita statuere debemus *in subiecto* in substantia composita, *hoc quidem esse secundum rationem* partem vnam esse, à qua rei essentia, atque definitio pendet, nempè formam, *hoc autem secundum materiam*, partem autem adesse alteram, quæ materia est, cumque *in his mutatio fuerit* videlicet cum materia vnam formam abiecerit, exceperis alteram, esse simplicem generationem, atque interitum, interitum respectu habito ad formam abiectam, generationem respectu habito ad exceptam. Quod si materia, & forma eadem manente, in affectionibus tantum & accidentibus mutatio fuerit, esse alterationem. Cum inquit, *eam autem quæ in continuo*, videtur continui nomine contiguum significare, Verè enim Democritus ex atomis suis non continuum, sed contiguum tantum corpus conflare poterat. Accipi autem interdum continuum pro contiguo constat ex v. Metaph. cap. de vno, & cap. de quanto.

Segregata

Segregata autem, & congregata faciliora vel difficiliora ad intereundum redduntur. Nam, si quidem in minoras aquulas diuisa fuerit, citius aër oritur sin autem congregata, tardius. Magis autem patebit id in his, quæ infra. Nunc istud vnum constitutum sit, non posse generationem esse congregationem, qualem quidam asserunt.

Ingenuus est Aristoteles, eaque libenter concedit, quæ veritati non repugnant. Quoniam igitur verum est, aquam diuulsam, ac distractam in plures aquulas facilius interire, atque in aërem conuerti; congregatam autem minus esse interitui, & putredini obnoxiam, quod in aliis etiam multis rebus euenit, quemadmodum iiii. Meteorologicorum xii. ostensum est, & infra etiam cumulatius dicetur; idcircò istud non grauatè dat secretionem, & congregationem nonnihil ad generationem & interitum facere. Verum aliud est secretionem facere aliquid ad interitum, congregationem ad generationem, aliud secretionem esse idem, quod interitum, congregationem idem quod generationem, præcipuè congregationem & secretionem talem, atomorum scilicet, aut partium homogenearum, qualem Democritus, & Anaxagoras ponebant. Illud enim verisimum est, hoc autem planè nefas; idque nobis sit planè fixum, ac stabilitum, tùm ex iis quæ in physicis, & in libris de cœlo contra eos dicta sunt, tùm etiam ex hoc loco, quo Democriti argomentationem con futauimus. Duobus enim modis aliqua opinio ex animis hominum euellitur, tùm absurda, quæ illam sequuntur, explicando, tùm argumenta, quæ ad illius confirmationem afferebantur, confutando: Aristoteles primum illud in aliis libris præstitit, secundum verò in huius libri iam exposito Capite.

QVÆSTIONES IN SECVNDVM CAPVT.

1 Cur Mathematicæ vocentur ab Aristotele rationes ex Comment. Philoponi xxxi.
2 Quomodo continuum sit diuiduum in infinitum ex Commen. Philoponi xxxix.
3 An concedendæ sint minimæ magnitudines.
4 De nomine subiecti ex textu decimo, & quomodo forma insit per se materiæ.

1 Cur Mathematicæ vocentur ab Aristotele rationes ex Com. Philoponi xxxi.

MAthematicas disciplinas vocat Aristoteles rationes, quia, vt inquit hoc loco Philoponus, in mente duntaxat habent suum esse, quod est Auerrois pri. post. Com. magno lxxx. Consideratur. n. in illis disciplinis quantitas tanquàm quiddam per se consistens, cum tamen reuerà sit affectio, & accidens quoddam materiæ. Atque idcirco veris causis vti non potest Mathematicus, quoniam substantiam non considerat; pro vt pulchrè dixit Simplicius in primum de anima tex. primo, & in iii. tex. xxxvi. nosque in logicis quæstionibus ostendimus rationes Mathematicas plerunque non continere veram causam, cur res sit; vt in primo problemate probatur super datam rectam lineam licere triangulum æquilaterum constituere per duorum circulorum descriptionem; sine qua tamen descriptione adhuc optimè posset constitui. Probationes igitur Mathematicæ sunt rationes, id est inuenta quædam nostræ mentis potius, quàm veræ rerum causæ, atque, vt dicebat Auerr. iii phy. lx. Fundamenta Geometriæ sunt opinabiles propositiones: vocat autem Aristoteles logica argumenta, quæ, vt inquit Simplicius iii. phy. com. xviii. & xliii. communia sunt, & non à rebus ipsis ducuntur, sed à mente ipsa nostra excogitantur; & solet ea à naturalibus, & propriis, veramque rei causam continentibus distinguere; vt idem Simplicius notauit eo com. xiii. & in primum de anima tex. xi. sed hanc rem cumulatè habes in quæstionibus logicis.

Quomodo

a *Quomodo continuum sit diuiduum in infinitum ex Com. Philoponi xxxix.*

DE continuo sunt multæ propositiones idem ferè significantes, vt cōtinuum esse diuiduū in infinitum iii. phy. pri. continuum esse diuiduum in semper diuidua, & esse diuiduum omniquaque; de qua nunc propositione multus sermo habitus est. Exponamus igitur quomodo continuum sit diuiduum in infinitum; quo exposito, reliqua facilè intelligentur; omittemus tamen multa, quæ à latinis afferri solent; quòd pleniorem tractationem tertio physi. magis conuenire arbitremur. Tertio igitur phy. lvi. ostendit Aristoteles esse in continuo hanc potestatem ad infinitam diuisionem, nō quòd tota simul expleri, & perfici queat; quomodo quod potest esse statua, statua fit; sed quòd per successionem quandam ad actum traducatur; quomodo diem, & ludum adesse, actuque instare dicimus; non quod totus dies simul adsit, sed quod aliqua tantum illius pars, & cæteræ deinceps succedant. Ergo quoniam facta diuisione continui, diuisarum partium quælibet rursus diuidi potest, sicque deinceps; idcirco dicitur in continuo inesse potestas infinita ad diuidendum, & actu absolui, quoniam per successionem quandam traducitur ad actum. Non habet autem hanc potestatem, vt simul absoluatur; idcirco nunquàm etiam simul tota ad actum perducetur.

Quod si occuratur quantitati, cui ob talis formæ societatem repugnet amplius diuidi, tamen paulo post illa quātitas alteri formæ, aut alteri quantitati coniuncta nouos terminos acquiret; ita diuidi rursus in iis punctis poterit, in quibus antea cū sub priore forma erat, diuidi non potuisset. Credo tamen vlterius distinguendum esse de potestate naturali, & Logica, de qua Zimara Theor. cxvii. Scotus illam absolutè potentiam, hanc aptitudinem videtur appellasse. Naturalem autem voco, quæ in actum tanquàm in finem, & perfectionem fertur, vt materia in formas, mentes in Deum; Logicam autem per quam non repugnat aliquid actu fieri; sed nulla tamen intima propensio in eum actum est; vt omne animal habet potestatem Logicam videndi, id est animali quà animal non repugnat videre, non tamen in omnibus animalibus adest naturalis facultas, id est intima propensio ad visum; nam in Talpa exempli causa non adest. Hinc naturalis facultas finem consequi debet, ne frustrà tributa sit interna illa propensio ad eum finem; Logicam autem non est necesse expleri; quoniam nulla inest intima propensio, sed tantum non repugnat. Sic dicebat Simplicius secundo de anima tertio materiam suaptè naturà infinitam, non tamen repugnare termino, sed potius illum appetere; vt etiam nos dicere queamus quantitatem continuam licet ipsi non repugnet diuidi in infinitum (quoniam inter duo puncta semper cadit magnitudo media, cuius partes copulantur ad vnum communem terminum, in quo fieri diuisio posset) tamen non appetere illam diuisionem; sed potius ab illa abhorrere; diuisio enim est via quædam ad non esse; vnio autem ad esse. Id mihi fit verisimile, quod video cœlestem quantitatem non modo in infinitum, sed ne vnquàm quidem vlla in parte diuisum iri. Pulchertimè id significant verba Aristotelis quæ nono Metaph. xi. leguntur, vbi inquit esse infinitum in potentia magnitudinis, non vt actu aliquando consistens, & separatum futurum sit, sed cognitione & designatione quadam, reuera autem nunquàm diuisionem posse deficere.

Cur cœlestis quā sitas non diuidatur.

Quare puto quantitatis proprium esse, non vt actu dissecetur, sed vt illi nunquam repugnet sectio; quod cœlesti etiam quantitati apprimè conueniet: quod præclarè Simplicius docuit in vltima digresione viii. phy. Ostendit autem Aristoteles in libro de sensu, & sensili cap. tertio continuum si diuidatur in partes æquales, vt in decem digitos, consumi; nō enim potest continuum infinitis digitis (idem de quacunque alia mensura dicendum) constare; sin in partes inæquales, vt in dimidiam dimidiæ, nunquam consumi; cum quibus ne videantur pugnare, quæ dicuntur tertio phy. lix. memorià teneas oportet duplicem esse æqualitatem (qua de re quinto Ethic. multa habentur) vnam proportionis, alteram quantitatis. Si demetur ex continuo æqualis quantitas inæquali proportione, vt ex decem digitis vnus, deinde rursus ex nouem vnus, tertiò vnus item ex octo (ita enim semper demitur æqualis quantitas, vnus scilicet digitus, sed continenter augetur proportio; quandoquidem maior est proportio partis nouennionis ad totum nouennionem, quàm partis decadis ad totam decadem) deficiet atque abolebitur magnitudinis sectio. Sic ablatione finiti consumitur vnumquodq; quod finitum sit primo phy. xxxviii. Sin autem dematur minor semper quantitas, sed æquali proportione, vt primum totius magnitudinis dimidium; deinde dimidii dimidium (ita.n. semper dupla proportio seruatur, non autem æqualis demitur quantitas, quoniam dimidium dimidii non est æquale dimidio totius) sicq; deinceps; sic sectio perdurat in infinitum; magnitudini enim, quantulacunque sit, nunquam repugnat diuidi in medio: quoniam illius partes copulatæ sunt in vno communi termino. Hinc facilè explicabitur alia propositio

Quomodo omne finitum consumatur ablatione finiti.

positio, Continuum esse diuiduum in semper diuidua; quæ ex iis, quæ nunc ab Aristotele dicuntur, facilè colligitur. Nam si sectio nunquam potest deficere, profectò necesse est, vt quæcunque pars restet ex diuisa magnitudine, ipsa rursus diuidi queat. Multa aduersus istaa propositiones dici solent; quæ tertio physi. magis conueniunt: nos vnum tantum eligemus quod alicuius ponderis est; in ordinatis essentialiter non est processus in infinitum secundo. Metaph. quinto; totum essentialiter ordinatur in suas partes, & ab illis pendet; ergo continuum hoc pendebit ex suis medietatibus, & medietates illæ ex suis rursus medietatibus; quare si est diuiduum in semper diuidua, & in infinitum; profectò ex infinitis partibus constabit, & in essentialiter ordinatis erit abitio in infinitum. Huic dubitationi ita occurrimus: partes quantæ non figuratæ, essentialiter ordinatæ nõ sunt; non .n necesse est, vt cum totum aliquid fit, prius partes seriatim fiant. Quinimo singulare à singulari accidentaliter tñ pendet; quàmuis inter ea certus nonnunquam requiratur ordo: Quare cũ totum continuum sit quòdãmodo ex partibus quantis, quasi ex pluribus singularibus coagmentatum, vt infra ostendemus; nihil mirum, si ab illis pendeat duntaxat ordine quodam accidentali. Essentialiter autem pendet à materia, & forma. Postrema propositio à nobis consideranda est ista, Continuum est omniquaque diuiduum; quæ à Philopono duobus exemplis explicatur, vno hominis, qui omnes scientias discere potest; altero materiæ primæ, quæ omnes formas admittere; primo in hoc Commentario vtitur, secundo in tertio phy. Vt igitur materia non simul omnes formas admittere, sed successione quadã potest, atqoe homo non simul omnes scientias, sed successione quadam; ita quantitas non simul omniquaque diuidi potest, sed per successionem, quòd scilicet nulla vnquàm remanet pars, quæ adhuc diuidi nequeat. Pugnarent autem ista inter se, esse omniqoaque diuiduam, & actu aliquando omniquaque esse diuisam. Nam si actu esset omniquaque diuisa, iam partes non amplius diuidi possent; sic non verè omniquaque diuidua fuisset. Auerroes, vt diximus, alio pacto istam propositionem, eodem tamen exemplo scientiarum capacitatis vtens, interpretatur. Nam quemadmodum, antequàm vllam scientiam adipiscamur, ad omnes æquè videmur apti; cum primũ autem aliquam sumus adæpti, ad alias reddimur multò ineptiores; sic magnitudo quamuis, antequàm diuidatur, omniquaque diuidua sit, id est non magis in hoc signo, quàm in illo; tamen facta diuisione in vno, non potest amplius in signo illi hærente fieri diuisio. Quod tamen non ita intelligi velim, vt magnitudinem ex punctis sibi hærentibus, ac sese contangentibus constare velit Auerroes (id enim iam explosimus) sed quòd facta diuisione magnitudinis, & erumpentibus in actum duobus punctis, non potest rursus diuisio fieri in partibus propinquissimis, & per intellectum quasi punctis acceptis, licet anteà in illis æquè, atque in istis diuisio fieri potuisset. Quare neque secundum extrema continuum diuidi potest; neque idcirco tamen non omniquaque diuiduum. Est enim diuiduum omniquaque, vbi non sit actu diuisum. At secundum extrema iam est actu diuisum; ideò amplius secundum illa diuidi non potest.

3 *An concedendæ sint minimæ magnitudines.*

QVòd Aristoteles reprehendit Democritum ponentem corpuscula quædam ità parua, vt amplius diuidi non possent; videtur significare non esse minimam magnitudinem in rebus naturalibus: nam si esset minima magnitudo, profectò esset indiuidua; ne inducendum esset minus minimo; quamobrem quæstio exoritur, vtrum concedendæ sint minimæ magnitudines, itemque maximæ; nam oppositorum eadem ratio est, & contrariorum si vnum reperitur in natura, reperitur & alterum secundo cœli xviii. idcircoque nos etiam eam explicabimus, de accidentibus tamen nihil loquendo, sed tantum de substantiis, & corporib. quoniam de his tantum Democritus etiam loquebatur. De accidentibus autem infra dabitur commodior dicendi locus.

Aristoteles igitur primo physico. xxxvi. inquit dari minimum sanguinem, minimam carnem, maximum sanguinem, maximam carnem: ergo euidenter ab ipso ponitur in rebus naturalibus minimum, & maximum. Præterea quarto de animalium generatione capite quarto inquit perficiendi cuiusque animalis certam esse magnitudinem, tùm ad maius, tùm verò etiam ad minus; quem terminum non supergrediuntur, vt vel maiora vel minora euadant; sed in medio istorum terminorum spacio excessum, & defectum inter se capere, atqoe ita hominem alium alio auctiorem esse, & cæterorum quoduis animalium. Præterea secundo de anima xli. scribitur aurea illa propositio; omnium natura constantium esse definitum terminum magnitudinis. Quod et iam rationi consentaneum videtur. Nam

Argumenta probantia dari minimum & maximũ.

corpora

corpora naturalia constant forma. Forma autem est instituta ad agendum; ad agendum verò certa requiritur quantitas; id quod exemplo artis patefit à Philopono; quæ ars instrumenta requirit certæ cuiusdam magnitudinis; cæteroqui nihil agat. Patefit etiam obseruatione mutationum naturalium. Nam cum ex aqua generatur aër; quantitas fit maior; cum ex aëre aqua, minor; quod aliunde prouenire non potest, quàm quòd formæ certam postulant quantitatem. Non accipimus tamen istam certam quantitatem, neque istos terminos in puncto; ita vt vel vno puncto non possit inueniri maior quantitas hominis, exempli causa, aut minor. Esset istud Mathematicè agere. Nobis autem physicè hanc rem tractantibus satis sit ità constituere, esse certos quosdam terminos, quàmuis in puncto non consistentes, intra quos deinde variè natura ludere queat.

Argumenta probantia non dari minimum.

Contra multa dici possunt, non datur maximum; ergo neque minimum; nam si vnum contrariorum esset in natura, esset & alterum, secundo de cœlo, xviii. Assumptum autem patet ex verbis quæ scribuntur secundo de anima xli. ignis potest crescere in infinitum; ergo non datur certus terminus magnitudinis eius. Respondet Gregorius distinctione. vii. & Iandunus. xvi. quæstione pri. phy. atq; illam, vocem in infinitum, interpretatur non absolutè, sed respectu habito ad animata; quòd scilicet ignis in multo maiorem molem crescere queat, quàm animata. Sed propriè esse istam vocem accipiendam, ratione conuinci potest.

Nam statuatur hoc loco ignis ille, quem maximum ponunt, & apponatur lignum; quæram de illis, aut comburet, aut non comburet: Si non; ergo habebit formam ociosam; quod est absurdissimum: qui enim tollit actionem, tollit essentiam: ex quo si anima habet opus proprium, separabitur à corpore; si non habet, non separabitur primo de anima xi. Ac si vlla forma agit, vt omnes profectò agunt, ista maximè deberet agere, quæ maximam habet quantitatem; maximasque idcirco vires ad agendum. Sin autem comburet; certè crescet; ità non erat maximus; nunc enim cum creuit, esset maior maximo. Respondent aliqui non comburere; quia non appetit sui interitum, sed falsò respondent. Appetit enim appetitu naturali insequente formam; quare vbi forma caloris est, ibi, ne sit ociosa, est etiam appetitus agendi, seque ipsam propagandi. Vulgata responsio est, & à Buccaferrea homine mea sententia doctissimo tamquàm vera admissa, fore, si apponatur illi maximo igni lignum vt ea ex parte, qua appositum est, ignis crescat; verum in altera parte decrescet corruptus à vicino elemento vi naturæ illius communis, & vniuersalis, quæ proportionem tuetur in rebus. Sed hoc nihil est: nam quærimus nos non de natura vniuersali (scimus enim, cum omnia intrà cœlum contineantur, nihil infinitum esse posse) sed an naturæ propriæ cuiusq; rei sit attributa ità certa quantitas, vt, si maiorem aut minorem, quam postulet, habeat, agere nequeat, non tantum ob vim naturæ vniuersalis, sed etiam ob propriam naturam, & conditionem suam; quod in homine, equo, huiusmodique aliis rebus patet. Nam si homo esset ea magnitudine, qua mons; iam non esset homo; ita vasta illa magnitudo non tantum naturæ vniuersali, sed etiam naturæ propriæ ipsius hominis repugnat. Adde ostendendum fuisse, quo instrumento corrumpat natura vniuersalis ignem in altera parte, vt inquiunt, & quomodo semper paratum habeat istud instrumentum. Neque iniuria Philoponus in hoc eodem libro Com. lxxxix. similem quandam opinionem irridebat. Ridiculum enim videtur, si nobis libuerit apponere lignum, & ignem augere, statim naturam vniuersalem nobis cedentem alia in parte ignem corrumpere.

Argumenta, quod non detur maximum.

Rursus ex contrario argumentor. Non datur minimum; ergo neque maximum. Assumptum probatur. Illud quod tu ponis minimum est continuum; continuum est diuiduum in infinitum, vt diximus; ergo per diuisionem minus reddi poterit; quàmobrem non erat minimum. Confirmatur ex definitione quanti v. Metaph. xviii. Quantum est diuiduum in partes per se existentes; ergo cum istud, quod tu ponis minimum, sit quantum, diuidi poterit in partes per se existentes; quamobrem si partes sunt minores toto, profectò totum illud non erat minimum. Id autem præcipue in homogeneis verum videtur. Illa enim habent partes eiusdem naturæ atque ipsum totum est; quamobrem quicquid conuenit toti, conueniet etiam partibus. At toti conuenit per se consistere posse; ergo partibus etiam conueniet: quare in homogeneis saltem non inuenitur minimum. Confirmatur isthæc ratio, quoniam partes sunt priores naturà toto v. Metaphy. xvi. ergo multo magis poterunt per se consistere, quàm totum. Confirmatur rursus auctoritate Aristotelis à nemine animaduersa in libro de sensu & sensili cap. iii. vbi in heterogeneis concedebat inueniri minimum, vt minimum hominem, minimum equum, in homogeneis negabat, quoniam homogenea omnia rursus in homogenea diuidi queunt.

Explicatio quæstionis.

Prima conclusio

Ad huius quæstionis explicationem accedentes plures Conclusiones afferemus. Prima est; ex parte quantitatis nec minimum nec maximum inuenitur præcipuè si de rectis corporibus

ribus,& quantitatib.minimè aût de globosis loquamur. Rõem huius cõclusionis reddere faci lè possumus. Non inuenitur minimũ;qm̃ inter extrema cuiuslibet cõtinui puncta, semper intercedit cõe punctũ,ad quod partes cõtinui copulãtur,& vbi diuisio fieri posset; Nõ ĩuenitur maximũ,qm̃ nihil ex parte quãtitatis vetat,quo minus priori magnitudini alia magnitudo adhærere,& cõtinuari possit. Secũda cõclusio. Ex parte itẽ materiæ nec minimũ, nec maximũ ĩnuenitur. Ratio cõclusionis;qm̃ materia est simplex facultas nullũ actũ hñs,p quẽ coarctetur ad hãc potius,quã ad illã quãtitatẽ iii.phy. 65. Tertia cõclusio.Ex parte formæ inuenitur quãtitas certa,in minore qua nõ cõsisteret illa forma. Ratio colligitur ex dictis. Nã oĩs,formæ est instituta ad agendũ;ad agendũ aût certa exigitur quãtitas, quod habes ab Auer.in lib.de substãtia orbis c. 6.Verũ duo sunt,quib. hõgenea ab heterogenijs differãt. Vnũ quod ĩ heterogeneis distincta sunt minimũ,& maximũ; at in hõgeneis (nouũ hoc erit sed,nisi fallor,multò verissimũ)illud idẽ,quod est minimũ,est ẽt maximũ. Alterũ, quod minimũ heterogeneũ nõ mõ actu, sed etiã facultate minimũ est,hõgeneũ aũt actu tm̃, nõ facultate. Quod ad primã differẽtiã ptinet,ĩ heterogeneis esse distincta minimũ, & maximũ,nihil est cur dubitemus. Minimus n.homo nõ est max.homo,nec cõtra maximus homo est minimus. Quod aũt diximus in homogeneis idẽ esse minimũ,& maximũ,nõ mediocrẽ afferet admiratiõnẽ: qr diligenter à nobis explicari postulat. Dico igitur id ob eã causam verũ esse; qcũ hõgenea ad eã magnitudiõe puenerũt,in qua se cõseruare queant,statim pfecta sunt,& suã essentiã hñt; quod præclarè nos Gal.admonuit pri.lib.de locis affectis;additamentũ aũt, quod suscipiũt,vt verè ii. de aĩa dicebat Simplicius,& nos in q̃stione de accretione ostẽdemus,nõ in se suscipiunt,sed extra: & sic quasi cõiunctio vnius indiuidui cũ altero;qood patet ex diuisione: facillimè.n.diuidi põt vna pars ab altera, & vtraq; incolumis remanere. Colligitur id ex Arist pri.Top. c.6. vbi dicebat partes aquæ ex eodẽ fonte manãtis esse eiusdẽ speciei; quod quia de reliquis ẽt hõgeneis ĩtelligatur,nulla causa est. Vidit id aliqua ex parte acutissimus Caietanus in ii. de anima tex. xli. Ex quo Zimara in tabulis in illis verbis *materia prima est vno n°.* dicebat cũ totũ hõgeneũ diuiditur,duplicẽ ibi adesse diuisionẽ,vnã in partes integrales, alterã in partes subiectiuas .i. in res n°.differentes;idemq; de quãtitate ex Heruei sententia theor.v.censebat. Id aũt ab Arist. & in plantis,& in quibusdã etiã imperfectis animalib cuiusmodi sunt insecta, cõceditur ĩ lib. de iuuẽtute ad initiũ: dicebat.n.cõstare quasi ex plurib.animalib.idcircoq;diuisa viuere; quæ aũt sunt optimè cõstituta,esse naturaliter quàm cõiunctissima. Itẽ iiii. de generatione aĩaliũ c.iiii, vnũ ne an plura aĩalia sint p coagmẽtationẽ,iudicandũ ducebat principij rõe;quod .n. duplex cor haberet, duplex verè,quãuis esset coagmẽtatũ,censendũ esse. Ergo prima illa magnitudo in qua homogeneũ se cõseruar põt,est nõ solũ minima,sed etiã max.magnitudo; qm̃ nouæ accessiones,sunt accessiones nouorũ quodãmodo indiuiduorũ,& nõ propriè eiusdẽ indiuidui. Quare hõgenea sunt quidẽ vnũ cõtinuatione, minimè aũt forma;quod ex v.met.cap. de vno constare põt. Hinc eodem libi. cap. de toto, in cõtinuis & homogeneis possumus vsurpare istã vocẽ *omne*; quasi in illis multitudo quædam rerũ cõprehendatur; neque adsit terminus, vt eo loco inquit Alex. Simplicius aũt in vltima digressione viii. phy. dicebat partes cõtinui esse actu disiũctas;qua de re ĩfra dicetur. Ergo si insectũ animal Arist. voluit esse multa num° animalia,qm̃ p exiguũ tpis spaciũ illius partes diuisæ viuunt;quãto magis cõtinuũ dicetur cõstare ex pluarib.numero rebus;quãdo illius partes diuisæ diu pmanere incolumes queunt? quã, ergo potẽtia valde propinqua cõtinuũ,& homogeneũ est plura,eatenus dicetur vnũ specie potius quã numero. Itaq; prima illa magnitudo quæ cõsistere p se põt, & actu ĩdiuidua est.i.in minorẽ quãtitatem si diuidatur,cõseruari amplius nõ poterit;põt paulò verius appellari vnũ numero;accessiones aũt nouæ,erũt quasi accessiones nouorũ indiuiduorũ: ex,quo si in cõtinuo & hõgeneo spectemus id,quod verius est vnũ numero,quàm reliqua;dicemus illud esse simul minimũ,& maximũ;minimũ qm̃ ĩ minori quãtitate nõ cõsisteret;maximũ aũt,qm̃,quicquid aduenit,nõ est pars illius;sed potius est nouũ indiuiduum accedens: Quãmuis aũt totũ ex illis resultans,quã est vnũ continuatione. vocari queat quodãmodo indiuiduum,tñ imperfectũ est;id circoq; nullũ ex se terminũ habet iii. phy.lx. Quòd si interdũ audis cõtinua vocari pri.vnum intellige respectu habito ad cõtigua,& alia quæcunq; sunt vnũ alterius cuiusdã vinculi rõe.

Quod aũt ad ii. differentiã ptinet,idcirco dixi minimũ heterogeneũ esse minimũ nõ modo actu,sed etiã facultate;qm̃ nõ solũ reuera diuidi nõ põt,verũ neq; cogitatione: minimus.n.hõ neque actu diuidetur in alios hoĩes,neq; etiã facultate;non.n.cõponitur ex partibus eiusdem rõnis atq; ipse est;quare neq; diuidi põt. Minimũ aũt homogeneũ, quàmuis actu si diuidatur, non possit cõsistere,tñ facultate videtur diuiduũ,quatenus constat ex partibus eiusdẽ rõis;vt egregie ĩad.dicebat quæstione xvi.pri.phy. Quare apud Græcos species illa thuris,quæ globosã figurã habet,dicitur indiuidua,qm̃ in huiusmodi similes figuras diuidi non potest; reliquæ aũt species,quæ inordinatam figurã habent,nõ dicuntur indiuiduæ, qm̃ in similes inordinatas figuras diuidi facilè possunt. Dubitari posset de minimis plantarũ & animalium insectorũ;qm̃ illa videntur facultate diuidua esse in sibi similia. Verum hæc ob imperfectionem suam proximè

G accedunt

Secunda Conclusio.

Tertia Conclusio

Quomodo in homogeneis sit minimum actu non potestate, in heterogeneis vtroque modo.

accedunt ad homogenea; nos autem de perfectis heterogeneis loquimur. Præterea non dic partes insectorũ viuunt separatæ; quinimo neq; plantarũ, nisi aut inserantur, aut cõserantur.

Quarta Cõclusio

His explicatis iiii. cõclusio ponitur. Ex parte formæ in heterogeneis inuenitur maxima moles, in maiore qua essent inæpta ad agendũ, atq; abolerẽtur; in homogeneis aũt, quatenus vnũ cõtinuatione sunt, & nõ verè vnũ numero p vnã indiuiduã formã; nõ datur maxima moles; sed possunt, quãtũ in se est, crescere in infinitũ. Prima pars cõclusionis difficultatẽ nõ habet: secũda patet ex dictis. Nã quẽadmodũ speciei humanæ, quà species est, nõ repugnat nouorũ semper indiuiduorũ accessio: ità cõtinua & hõgenea, qm̃ euadũt vnũ quiddã ferè specie, idcirco semp nouã accessionẽ suscipere possunt, & termino carẽt, vt dicebat Alex. q si essent verè vnũ n°. p vnã indiuiduã formã; terminata pfecto essent. Adde vltimã cõclusionẽ, homogenea, quãuis nõ habeãt ex se terminũ, habẽt tñ vel à forma heterogeneorũ, in quorũ cõpositionẽ ingrediuntur, vel à continẽte, ac tandẽ à cœlo ipso, quod cũ sit supremũ corpus, quod nullo pacto prũpi põt, oẽm inferiorũ corporũ ĩfinitatẽ coẽrcet. Quãobrẽ iii. phy. 60. cõceditur ĩfinita additio põtate eodẽ pacto, quo infinita diuisio, nisi cœlo occurreremus. Omnino forma est terminus, vt Arist. iii. phy. 65. & alibi millies, & Auer. iii. phy. 6. & 59. qr̃, vt res hẽt formã, ita & terminũ vbi pfecta forma, ibi pfectus terminus; vbi ĩperfecta, ĩperfectus: qm̃ ĩ cõtinuis, & homogeneis nõ est pfectè vna, atq; ĩdiuidua forma, idcirco ẽt nõ inest pfectus ex se terminus, sed aliũde pẽdet.

Vltima Cõclusio

Refelluntur argumenta proposita Explicatio tex. 36. pri phy.

Hinc dubitationes, quæ nobis negotiũ facessebant, tollere facilè poterimus. Pro parte affirmante afferebamus autoritatem Arist pri. phy. 36. vbi scribitur, dari minimum & maximũ sanguinem, minimã & maximã carnem. Respondeo probari eo loco, homogenea non esse infinitæ magnitudinis, qm̃ ex his heterogenea cõstituuntur, quæ finita sint oportet; nõ essent aũt finita, si ex infinitis cõponerẽtur. Fauet igitur ille locus sententiæ nostræ. Ostendit. n. non ex sese habere terminũ, sed ab heterogeneis; quod nos iam concessimus. Secunda auctoritas afferebatur ex quarto de animalium generatione; quæ etiã pro nobis facit; perspicuè. n. ibi loquitur de heterogeneis, & animalib. in quibus nos quoq; volumus dari minimã & maximã molem. Tertia auctoritas ex ii. de anima facilè etiã substinetur. Omniũ. n naturà cõstantium est certus terminus, vel ex propria natura, vt in heterogeneis, vel aliũde pẽdens, vt in homogeneis. Quãquã si quis locũ illũ accuratè perpendat, intelliget illa vocari naturà cõstantia, quæ viuunt, quæq; p priè nasci dicimus. Hac. n. notione interdũ accipi φύσιν nomẽ notat ipsemet Arist. v. Met. ad initiũ capitis de natura. Ita ii. de anima 37. cũ dixisset oĩa naturalia corpora esse instrumenta animæ, hæc verba addebat *sicut animaliũ ita & plantarũ*: quasi noĩe corporũ naturaliũ nihil aliud intelligeret, quàm corpora aĩalium, & plantarũ. Hinc igitur in illo tex. xli. distinguit naturà cõstãtia ab igne, quod nõ faceret, cũ ignis etiã sit corpus naturale nisi de cõstantib. integrà ac perfecta natura, atq; indiuidua formà qualis est aĩa, loqueretur. Stoici etiã vt refert Gal. p priè naturã vocabãt animã vegetabilẽ; ex quo ipse libros, vbi de facultatib. animæ vegetabilis agitur, de naturalib. facultatib. ĩscripsit. Rõni aũt allatæ facilè etiã respõdemus; ad agendũ certa requiritur quãtitas; id nos libẽter cõcedimus; idcircoq; diximus dari ẽt in homogeneis quãtitatẽ quandã, in minore qua nõ possent cõsistere; Verũ hanc eãdẽ esse maximã, si illud spectetur, nouas accessiones esse quasi nouorũ indiuiduorũ accessiones, & non eiusdem indiuidui, Ergo in eodẽ indiuiduo requiritur ad agendũ certa quantitas: in coniunctione aũt pluriũ indiuiduorũ, quò plura cõiungentur, magis agent; vt quo plures hoĩes ad impellendã nauim accurrent, magis impellent. Sic, quæ pro parte affirmante afferebãtur, satis sunt dissoluta.

Confutatio argumentorum pro parte negante.

Dissoluamus nunc, quæ pro parte negante. Dicebatur ex eodẽ loco ii. de aĩa, ignẽ posse crescere in infinitũ. Hoc p nobis facit, qui istud in ii. parte iiii. cõclusionis tanquã verissimũ posuimus. Est. n. ignis continuũ, & homogeneũ quoddã; quare, quantũ in se est, per nouam quasi alterius ignis cõiunctionẽ crescere põt in infinitũ. Ita nihil opus est verba Arist. peruertere. Quãobrẽ cautè est accipienda propositio Auer. iii. phy. lx. apud philosophum naturalẽ non dari accretionem in infinitum, quoniam accretio significat profectionem ad formã, quæ terminus est. Nam si de accretione propriè dicta intelligamus, verè istud dicitur; propriè. n. accretio est animatorũ quæ pfectã formã habent. sin de qualibet accretione intelligeretur, falsò diceretur, & verè eò loco Auer. à Vicomercato reprehenderetur. Ad aliud de cõtinuo dicimus, nõ esse propriam affectionem continui, quemadmodũ antea explicauimus, vt actu diuidatur, sed vt illi non repugnet diuisio. Ergo naturali minimo quà continuum est, non repugnat diuisio, sed repugnat ex parte formæ; idcircoq; nunquàm actu diuidetur, aut si diuidatur, interibit.

Explicatio propositionis Auer. 3. phy. lxi

Addebas minimũ istud, si sit homogeneũ, diuidi posse in partes eiusdẽ rõis; ergo vt totũ p se cõsistit, ita partes poterũt per se cõsistere. Dico per se cõstare esse cõditionẽ, quæ nõ conuenit igni, exẽpli causa, vt ignis tm̃ est, sed igni cũ certa quãtitate; quare licet partes ignis sint eiusdẽ rationis cũ igne absolutè sumpto, nõ tñ capaces sunt eius cõditionis, quæ cõuenit igni cũ tãta quãtitate, & nõ cũ minore: ita portiones ignis corrũpentur, vniuersum aũt ignis elementũ nõ corrumpetur, quàmuis sit eiusdẽ rationis cum suis partibus; qm̃ interire conuenit igni sub tanta quantitate, & non sub quantitate totius Sphæræ, quæ est quasi species. Non est autem

verum

rerum, partes quantas esse priores natura toto : immò quædam simul sunt, quædam autem posteriores; vt præclarè ab Aristotele vii. Meta. xxxv. docemur, & à nobis ad aliud institutum ostendetur. Vltimæ autoritati ex libro de sensu, & sensili à nobis iam, dum tertiam conclusionem explicaremus satisfactum est. Ostendimus enim in heterogeneis esse minimum, non tantum actu, sed potestate; in homogeneis autem, quàmuis sit minimum actu, non tamen est potestate; semper enim constat ex similibus partibus. Ergo hoc sibi volebat Aristoteles non inueniri minimum in homogeneis actu, & potestate, sed actu tantum; potestate autem diuidi in minora posse; quatenus ex similibus constant. Atque hæc, quod ad istam quæstionem pertinet, sint satis. Nam quæ ab aliis de modo, ac tempore, quo ista minima gignuntur, inculcantur; infrà commodiùs tractabuntur.

4 De nomine subiecti ex textu decimo, & quomodo forma insit per se materia.

Subiecti nomine vocari diximus substantiam compositam; quod innuit Philoponus dicens *ἐν ὑποκειμένῳ* inesse materiam & formam, id est in vnaquaque re composita. Aristot. autem v. phy. vii. subiectum definit, quod affirmatione declaratur. Ex quo vere Alex. pri. quæstionũ naturalium cap. viii. & xvii. & ii. lib de anima cap xxvii. dicebat, illud propriè vocari subiectũ quod actu est & hoc aliquid. Hinc facilè intelligi pôt, quò forma non subeat accidẽtis definitionẽ, licet possit adesse, & abesse præter materiæ interitũ. Nam accidens est, quod potest abesse, & adesse sine interitu subiecti i. rei actu existentis qualis non est materia, cui ad uenit forma. Hinc etiam intelligitur formas non comprehendi in diuisione entium facta in categoriis cap. iii. quod notauit ex Alex. Simplicius ii. phy. com iiii. Non sunt. n. in subiecto, quemadmodum nonnullis videri posset; quàmuis sint in materia, & non tanquàm partes materiæ, ac sine materia nequeant consistere. Illa. n. Aristotelis loquutio, *quod cum in aliquo sit*, eodem pacto intelligi debet, ac si diceret, quod cum in aliquo actu existente sit; id aũt formæ non conuenit. Quod si dubites, quoniam Aristotelis ii. phy v. Naturam inquit esse, vel subiectum, vel in subiecto; itaque materiam vocat subiectum; formam autem asserit esse in subiecto; monet Simplicius vocem subiecti aliquando communius sumi, vt significet quicquid alteri rei substernitur. Atque omnino in Logica facultate, vbi res pingui quadam Minerua pertractantur, aliud subiectum non cognoscitur, quàm compositum: In philosophia autem scimus etiam materiam primam subiici formis. Quamobrem ipsemet Aristotelis vii. Met 44. notat subiectum dupliciter dici, vel tanquàm animal affectionibus, idest tanquàm cõpositum accidentibus, vel tanquàm materiam actui: clarius etiam vii Met vii. subiectum diuiditur in materiam, formam, compositum. Itemque Auerroes hoc loco vocem subiecti communius accipiens, distinguit subiectum generationis è subiecto alterationis, atque illud facultate, hoc actu esse inquit. Sic igitur formam esse in subiecto concedemus.

Quomodo forma non subeat accidentis definitionem.

Quomodo forma sit i subiecto.

Idem autem Alexander eodem pri. lib. quæstionum naturalium cap. xxvi. quæstionem nõ contemnendam proponit, quomodo forma insit per se materiæ, an pri. an ii. modo. Non enim videtur inesse per se primo modo, qm̃ esset in substantia materiæ primæ: sic destructa forma destrueretur materies, vt destructo animali aut rõis compote, destruitur homo: quod tñ perspicue est falsum; materia n. æterna manet. Et quàmuis videatur corrumpi quodámodo materies corrupta forma qm̃ corrumpitur relatio, & potentia propinqua ad illam formam; tamen id in subiecto etiam accidentium euenit; ac nihilominus dicitur subiectum remanere incolume intereuntibus accidentib. Dices fortè inesse formam materiæ, tanquàm accidens, quod videtur sensisse Philoponus in tex. lix. iii. phy. inquiens, quàmuis materia suscipiat formas, attamen non per se, & in substantia eius inesse, sed vt accidit illius substantiæ. Sic ex Ammonio in categoriis cap. de substantia veteres Philosophi formas vocabant accidentia materiæ substantiam autem compositi. Verum ita sentiens errabis. Nam si forma esset accidens materiæ, substantia componeretur ex materia & accidente. Substantia autem ex substantiis cõponitur. Censet igitur Alexan. formam inesse per se materiæ secundo modo: qm̃ forma materialis per materiã definitur; & quemadmodũ in numeris, inquit, non omnis numerus est par, aut omnis impar, sed vel par, vel impar; ita non omnis materia est cõ hac forma, aut omnis cũ illa, sed omnis tñ, vel cum hac, vel cum illa: vtq; numerus mutatione paris in impar non aboletur; aboletur aũt par, si ex illo fit mutatio, itemq; impar, si ex illo mutatio fiat; ita cum materia ex vna forma in aliã mutatur, ipsa remanet icolumis, forma aũt illa ex qua fit mutatio, abolotur. Verũ aduersus Alex. multa dici possũt: materia & forma sunt ad aliquid ii. phy. xxvi. quæ sũt ad aliquid, sunt simul natura, vt ipsemet Alex. cap. viii. dixerat satisq; patet, omninoq; se vicissim definiunt vi. Top. cap. 3. ergo tã in pri. quàm in ii. modo forma inesse materiæ videbitur.

Quomodo forma insit per se materiæ.

Opinio Alexan.

Argumenta aduersus Alexand.

Præterea materia per se ipsa est ignota vii. Metaphy. xxxv. Ergo potius materia definiri per formam, quàm forma per materiam debebit.

Explicatio quæstionis.

Duplex definitio relatiuorum.

Vt hic nodus dissoluatur, notetur primum, quæ sunt ad aliquid, dupliciter esse definita in categoriis cap. proprio: Prima enim definitione illa dicuntur ad aliquid, quæ hoc ipsum quod sunt, aliorũ sunt; id est quæ habent essentiam suam aliquam spectantem tamen aliquid aliud: & à nostris vocantur relatiua secundum dici; secundà autem definitione, illa sunt ad aliquid quorum ipsamet essentia, & natura in hoc consistit, vt ad alterum referantur, & à nostris vocantur relatiua secundum esse. Materia, & forma, vt paulo post copiosè ostendemus, potius in priore, quàm in posteriore definitione continentur. Habent enim essentiam suam aliquam propriam; quàmuis, quòd vtriusque essentia imperfecta quodammodo sit, vna spectet alteram, mutuoque auxilio egeant, vt possint consistere. Deinde notetur & illud, dubitatum esse ab Auerroe primo post. Com. magno xxxii. ad quem per se inhærendi modum referantur ea, quæ dicuntur ad aliquid, itaque statui ad neutrum referri; quòd ab Aristotele quasi nimis exilia, ac tenuia cotia sint despecta, Crediderim tamen ego ad vtrumque posse referri, quatenus vnum per alterum definitur; ita vt simul sint in primo, & in ii. Idcirco enim à M. Tullio vocata sunt sub eandem rationem cadentia. Adde, quæ dicuntur ad aliquid, non esse semper inter se paris conditionis, sed vnum obtinere primas partes. Sic dicebat Aristoteles primo pol. cap iii. Seruum non modo esse alterius seruum, sed etiam absolutè esse alterius; Dominum autem esse serui dominum, non tamen absolutè esse serui; sic particulam non solum esse totius particulam, sed esse absolutè totius; totum autem esse quidem particulæ totum, sed non esse absolutè particulæ. Id à Contareno in compendio primæ philosophiæ ostenditur in Rege & comite, in Deo, & effectis à Deo. Idem in genere, & specie, patre, & filio, multisque aliis huiusmodi ab Ammonio in Porphyrii voces cap. de genere euenire, longa oratione ostenditur. Sic Achillinus primo de elementis ad finem octaui dubii docebat, duplex esse relatiuorum genus; quædam enim cognosci cum altero, quædam non tantum cum altero, sed etiam per alterum; quo pacto causa & effectum se habent. Nam simul vnum cum altero cognoscitur; effectum autem non modo cognoscitur simul cum causa, sed etiam cognoscitur per ipsam causam; quod ipse ad materiam & formam transfert. Forma enim cognoscitur simul cum materia, non tamen per materiam; materia autem non solum cognoscitur simul cum forma, verum etiam per formam. Quare cum primus modus inhærendi per se fit, cum prædicatum est causa subiecti, secundus autem cum subiectum est causa prædicati ex Auerroe ii. de anima lxvii. profectò vbi perfectius relatiuum, ac quod magis instar causæ obtineat, sit prædicatum; inerit primo modo; vbi præstantius relatiuum sit subiectum; huic alterum inerit secundo modo. His ita constitutis dico materiam primam, quà tota est vna numero, vt inquiunt priuatiuè, referri ad formam vniuersè, non autem ad hanc vel illam: omnes enim æquè potest suscipere; & per formam vniuersè acceptam cognoscitur, vt alibi fusius exponemos; materia autem propria cuiusque formæ, vt humanæ, ad propriam formam, humanam scilicet refertur, & per eam cognoscitur. Ita forma est simpliciter prior materia, quàmuis aliquo etiam modo posterior, vt docet Achillinus primo de elementis ad finem dubii xiii. causæ. n. sunt sibi vicissim causæ. Cæterũ materiæ ipsi primæ nõ respondet vna tm̃ forma, quæ illius appetitum explcat; infinita. n. est facultas materiæ, cui infinita forma conuenire non potest: actus. n. proprium est definire vii. Met. 49. vt pulchrè idem Achil. dubio vi. Quare non vnica forma, sed multæ per successionem illius infinitati quodãmodo satisfaciunt. Hac igitur rõe dicemos substantiã materiæ esse priorem non formã absolutè, sed formis singularibus, & proprias formas inesse substantiæ ipsius materiæ primæ, per se secundo modo; quoniam, licet materia prima non posit sine forma aut esse, aut cognosci, potest tamen sine hac, vel illa esse & cognosci; hæc autem, vel illa forma non potest cognosci, neque esse sine materia prima. Quare verè dicebat Alex. formas inesse materiæ primæ secundo modo. Quòd si inueniretur forma vna satisfaciens substantiæ ipsius materiæ primæ; profectò potius inesset illi primo, quàm secundo modo; sicuti speciali materiæ specialem formam volumus inesse potius primo, quàm secundo modo. Ergo contrariis argumentis facilè respondebimus. Materia & forma sunt ad aliquid, ergo simul naturà; ergo sese vicissim definiunt. Dico materiam primam referri ad formam vniuersè, & per illam definiri: non autem inuenitur hæc forma vna numero, sed plures sunt reuera; quarum quælibet seorsum, si cum materia prima comparetur, est posterior illà vt diximus. Quòd si specialis materia cum speciali forma conferatur, dico ex se se vicissim cognosci, & magis materiam per formam, quàm contrà, idcircoque formam inesse isti materiæ potius primo, quàm secũdo modo. Non negamus etiam materiam esse per se ignotam, & cognosci per formam. Sed

Quo modo dicendi per se contineantur relatiua.

Defensio Alexã.

Refutatio argumentorũ aduersus Alexan.

illud

Illud tenemus per specialem formam non cognosci materiam primam, sed per formam vniuersè sumptam; Idcircoque constanter affirmamus formam vniuersè sumptam esse priorem materia prima; Hanc autem, vel illam formam, quæ inest materiæ per successionem continuatam, esse posteriorem substantia ipsius materiæ. Cæterum rursus dubitabis: secundus enim modus ad accidentia tantum pertinet, vt patet ex Auerr. primo post. com. magno xxxi. ergo si forma inest per se secundo modo materiæ primæ; profectò erit accidens; ita substantia componetur ex materia & accidente. Dico, vt antea ex Philopono monuimus, posse quodammodo formam vocari accidens materiæ, quoniam in illius essentia non inest; quomodo in Categoriis cap. de iis, quæ ad aliquid, homo, & bipes, & docile dicuntur esse accid. ocia domini; & secundo phy. xxxiii. animal, & humo dicuntur accidentia statuarii. Quemadmodum autem homo est verè substantia, licet accidat domino, ita forma est substantia, licet accidat materiæ. Quare substantia nihilominus ex substantiis componetur. Hæc magis intelligentur ex iis, quæ paulò post de natura materiæ primæ differemus.

An secundus modus dicendi per se tantum ad accidentia pertineat.

An forma vocari queat accidens materiæ.

His ità constitutis, principiò considerandum, vtrum aliquid sit, quod simpliciter generetur, & intereat: an propriè quidem nihil, semper autem ex aliquo, & aliquid: dico autem vt ex laborante valens, & laborans ex valente, vel paruum ex magno, & magnum ex paruo, & reliqua omnia hoc eodem modo.

Cap. tertium. Tex. Com 11.

Antequàm generationis, & interitus naturam ad viuum resecare possemus, & in profundum, vbi veritas demersa est, penetrare; tollendum impedimentum erat, quod nobis aditũ quodammodo obstruebat, Democriti inquàm sententia; quæ si mansisset, nihil aliud esse generationem, & interitum cogitare poteramus, quàm congregationem, & secretionem; ea autem cogitatio nos à veritate planè auersos egisset. Nunc autem illa confutata faciliores nos præbebimus ad veritatis vocem audiendam; idcircoque ad rem ipsam iam aggrediens Aristoteles dubitationes primum proponit ad generationis, & interitus naturam verè intelligendam maximè pertinentes, & illas deinde dissoluit. In rebus enim tractandis à dubitationibus incipiendum esse, pulchrè ad initium iii. Metaph. Aristoteles monebat; quòd, nisi quibus vinculis constringamur, sciamus; vt ab illis nos vindicemus operam daturi non simus. Prima autem dubitatio ad primã suapte natura quæstionem pertinet, vtrum scilicet sit generatio & interitus simplex, nec ne; idem enim hoc dictu est, ac si dicas quemadmodum Aristoteles, *Vtrum aliquid sit quod simpliciter generetur; & intereat*, quemadmodum etiam non refert siue quæras, an sit Eclypsis, siue an Luna eclypsim patiatur; qua de re io quæstionibus. Simpliciter autem & propriè aliquid generari vel interire dicimus, cum absolutè proferimus, hoc oritur, hoc interit. Dicimus autem hoc fieri aliquid, cum subiectum maneus admittit aliquod accidens; vt cum dicimus hominem fieri sanum. Notandum tamen est, istã vocem fieri, id est aliquid, interdum pro subiecto accipi, interdum pro prædicato. Cum accipitur pro subiecto, commune quiddam est, & intelligi potest etiam de substantia. Sic proponitur quæstio, *vtrum aliquid sit, quod simpliciter fiat*. Cum autẽ accipitur pro prædicato, tunc accidentibus tantum conuenit; ita dicimus, *fieri aliquid ex aliquo* hominem scilicet fieri ex laborante validum, ex valido laborantem, paruum ex magno, magnum ex paruo. Ita etiam secundo post. analy. dicitur quæstionem an sit simpliciter, esse huiusmodi, An terra, an Luna sit; quæri autem an sit aliquid, cum additur prædicatum, ao terra sit in medio, an Luna sit obscurata, *& reliqua omnia hoc eodem modo*, id est omnium cæterarum rerum nulla simpliciter fiat, sed tantum fiat aliquid ex aliquo, id est exuens vnum accidens, induat alterum. Proponitur igitur quæstio, vtrum sit generatio propriè; an omnis mutatio sit alteratio quædam; omninoque in accidentibus versetur, non in substantia; cur autem de isto dubitemus, hoc in causa est.

Nam si simpliciter generatio erit, simpliciter vtiq. factum fuerit ex non ente: quamobrem verum esset dicere, inesse quibusdam ipsum non ens: aliqua enim generatio ex non ente aliquo, vt ex non candido, vel non pulchro: simplex verò, ex non ente simpliciter.

Nam

Hæc, inquam, ratio est, ex qua non nemo probabiliter asserat, non esse generationem simpliciter; nã si esset generatio simpliciter; esset ex non ente simpliciter; sed hoc nefas est; ergo & illud, ex quo sequitur. Connexum explicatur; nam quemadmodum cum res fit aliquid, fit ex non ente aliquo, vt homo cum fit candidus, fit ex non candido, & cum pulcher, fit ex non pulchro; ita cum fit ens simpliciter, fiet ex non ente simpliciter; ita enim vnumquodque ex propria negatione fiet, candidum ex non candido, honestum ex non honesto, simpliciter ens ex simpliciter non ente: hoc autem nefas est: verè enim dici posset *inesse quibusdam ipsum non ens*, id est reperiri in aliquibus rebus ipsum non ens simpliciter: idem autem dictu est, ac non ens simpliciter consistere, atque esse in rerum natura; quod absurdius est, quàm vt in eo exponendo longior ponatur oratio; verumtamen id quod dicimus, magis patebit procedēte disputatione: idcirco adiunget Aristoteles verba quæ audietis: eloquutioni isti ὑπάρχει τινὶ τὸ μὴ ὄν est similis illa, qua vtitur pri. phy. xxvii. οὐδὲ συμβέβηκεν αὐτῷ οὐδέ τι τὸ ὄν, id est non potest in ipso reperiri natura entis. Illud etiam animaduerti à vobis velim, licet in hac tota tractatione voces istas γένεσίς τις. φθορά τις, id est generatio quædã, interitus quidam, ita interpretati simus, ac verè sine dubio, vt non simplex, & absoluta generatio, sed cum quadam adiunctione generatio, itemque interitus significetur; tamen interdum apud Aristotelem istam vocem τί & τίς significare attributionem essentialem, vt cũ genus attribuitur speciei; quod obseruauit Ammonius in librũ de interpretatione; vbi agit de notis istis, omnis, nullus, quidam, & Eustratius in vi. Ethic. cap. pri. Solet. n. ita dicere Aristoteles, prudentiam esse virtutem quandam id est esse speciem virtutis. At iiii. phy. c. viii. de numero loquens istas voces ἁπλῶς & τίς eadem notione vsurpat, qua nunc, atque alibi sæpe.

Ipsum autem simpliciter, vel primum significat secundum vnamquamq́; categoriam entis, vel ipsummet vniuersale, & omnia continens: si quidem igitur primum: generatio substantiæ erit ex non substantia: cui autem non inest substantia, neque hoc: manifestum, quòd neque aliarum categoriarum vlla: puta tu neque quale, neque quantum, neque illud, quod vbi dicimus: separabiles enim essent affectiones à substantijs: sin autem non ens omnino: negatio erit omnium vniuersè: quamobrem ex nihilo necesse fieri quod fit.

Accepit hucusque istam dictionem *simpliciter*, vt significat idem quod absolutè; nunc aũt pauló communius, & fusius sumit, vt dubitatio melius explicetur. Accipiamus igitur vocem istam *simpliciter*, vt significat vniuersè & generatim: sunt autem decem summa genera; quorum tñ potest quodammodo dici genus, aut certè communius quiddam, ipsum Ens; quamobrem ista etiam vox *simpliciter*, aliquando significabit primum & summum genus in vnaquaque categoria; aliquando autem illud communius atque omnia ambiens, ipsum scilicet ens; sic simpliciter non ens, vel significabit id, quod excludit illud ipsum ens vniuersè sumptum, vel significabit id, quod excludit vnum aliquod ex illis decem summis generib. Hoc secundo sensu si candidum fiat ex non candido, non diceretur fieri ex non ente simpliciter, quoniam cum dico non candidum, dictione illa *non* minimè excludo ipsum summum genus, qualitatem scilicet ipsam, sed certam tantum illius speciem, nempè candorem; quòd si dicerem candidum fieri ex non quali, tunc dici posset isto secundo sensu fieri ex non ente simpliciter. Transferamus id ad substantiam, in qua magis propriè ista vox *simpliciter* vsurpatur. Cùm dicimus substantiam aliquam, puta tu hominem vel equum fieri ex non ente simpliciter, intelligi id duobus modis potest, vel esse factam ex non substantia (sic excludo summum ipsum genus) vel ex non ente omnino, & sic excludimus illud ipsum communius ens, & omnia continens. *Si quidem igitur primum*, id est si primo modo intelligatur, ita vt generatio substantiæ sit ex non substantia; sequetur, aut substantiam fieri ex nihilo, aut affectiones, & accidentia separari posse à substantia. Quòd alterutrum sequatur, probo. Nam si ponas, quomodo verè ponendum est, *cui non inest substantia*, de quo substantia prædicari non potest, quodq́; substantia non est *neq; hoc*, quodq́; non est hoc aliquid *non inesse etiã aliarum categoriarum vllam*, id est neque etiam quantum, neque quale, neque ad aliquid, neque vbi esse; quoniam scilicet accidentia sine subiecto, & substantia consistere nequeunt: certè idem dictu erit fieri ex non substantia, atque fieri ex nihilo. Quod enim non est substantia, non potest vllum aliud accidens habere: quod autem neque substantia est, neque ac-

cidens; certè nihil est. Sin autem asseras illud, quod dicimus esse non substantiam, posse contineri in aliqua alia categoria, certè *affectiones separabiles essent à subiectis*, accidentia per se consistere possent, & sine substantia; quod naturæ accidentis maximè repugnat, *sin autem non ens omnino* Quod si simpliciter non ens illud intelligas, quod excludit ens illud omnia continens, & substantiam & accidentia, & est negatio omnium vniuersè: profectò non est dubitandum; quin necesse sit, quod fit, fieri ex nihilo; quod quidem omnes Philosophi refugerunt; ex quo Lucretius in primo libro.

Nam si de nihilo fierent, ex omnibu' rebus
Omne genus nasci posset, nil semine egeret.
E mare primum homines, è terra posset oriri
Squamigerum genus, & volucres, erumpere cælo
Armenta, atque alia pecudes, genus omne ferarum
Incerto partu culta, ac deserta tenerent,
Nec fructus ijdem arboribus constare solerent,
Sed mutarentur; ferre omnes omnia possent.
Quippe vbi non essent genitalia corpora cuique
Qui posset mater rebus consistere certa?
At nunc seminibus quia certis quæque creantur,
Inde enascitur, atque oras in luminis exit,
Materies vbi inest cuiusque, & corpora prima.

De his quidem igitur in alijs sermonibus dubitatum est, & copiosius constitutum. Breuiter autem nunc etiam dicendum, modo quodam ex non ente simpliciter fieri, alio autem modo ex ente semper. Necesse enim est, cum ens dicatur vtroq; modo, praexistere illud, quod est potestate quidem ens, actu autem nō ens.

In suum locum restitutis græcæ scripturæ interpunctionibus postrema hæc verba, quæ antea valde erant obscura, nunc planissima meo quidem iudiciu sunt. Non est igitur, inquit Aristoteles, cur in proposita dubitatione tollenda diutius immoremur: acta enim ageremus quandoquidem primo phy tota res abunde est explicata, & constitutum, quid sentiendum dubiis sit. Docuimus enim eo locu dupliciter ex aliquu res fieri; vno quidem modo per se, altero autem per accidens: per se enim fiunt ex materia prima, quæ est ens potestate imperfectum & inchoatum, minimè autem integrè. & absolute ens. Per accidens verò fiunt ex ente simpliciter, & absolutè; quatenus materia semper habet aliquam formam adiunctam; atque ita fit ignis ex aëre, aër ex aqua. Quando igitur hæc, vnde omnis ista quæstio profligatur, copiosè sunt explicata; satis in præsenti erit breuiter explicationis summam colligere, atque ita statuere substantias *modo quodam ex non ente simpliciter fieri*, id est per se fieri ex materia prima, quæ non est ens simpliciter, & actu, *alio autem modo ex ente semper* alio autem modo, id est per accidens fieri semper ex ente, quatenus materia, ex qua res fiūt semper actu habet aliquam formam; per quam actu consistit. Verum istud clarius non exponitur, vt relinquatur aditus sequenti dubitationi; ac tantum illud statuitur res fieri ex ente potestate, & non actu; quod quidem necessariò præexistat ante generationem.

Verum, quod constitutis etiam his admirabilem dubitationem habet. rursus retractandum est; quomodo sit simplex generatio, siue ex ente potestate sit, siue aliter quomodocunque. Dubitauerit enim quispiam, vtrum sit generatio substantiæ, & huiusce, sed non talis, & tanti, & illius, quod vbi appellamus. Tex.Com.12. *Eodem autem modo, & de interitu: nam si quidpiam fit, manifestum, quòd erit substantia quædam potestate, actu autem minimè, ex qua generatio existet, & in quam necesse est mutari, quod interit. Vtrum igitur huic inerit aliquod ex alijs actu? dico autem hoc modo; vtrum quod potestate tantum est hoc, & ens, simpliciter autem neque hoc neque ens, erit quantum, vel quale vel vbi? Nam si nihil, sed omnia potestate: sequetur, & hoc pacto non ens esse separabile,*

le, illudq́ praeterea, quod ij qui primi philosophiam tractarunt, maximè horrue runt, ex nulla re praexistente fieri: sin autem hoc aliquid quidem esse & substan tiam non conueniet, sed tamen aliquid ex ijs, quae diximus; erunt, vt diximus, affectiones separabiles à substantijs.

Posuimus ad priorem dubitationem tollendam, substantias fieri ex ente potestate; caeterum hoc posito non satis adhuc videtur constitutum, vtrum possit esse generatio substantiae *& huiusce*, id est quae substantia verè est hoc aliquid, & per se consistit, ità vt propriè generatio sit substantiae, *sed non talis & tanti, & illius quod vbi appellamus*, non autem accidentium, quae in qualitate, & quantitate, & vbi, & aliis categoriis continentur: Itemq́ue vtrum interitus propriè sit substantiae, aliorum autem minimè. Cur autem non satis videatur istud constitutum, exoriens dubitatio facit, grauissima illa quidem, & admirabilis. Sũma argumentationis, qua dubitatio proponitur, est haec. Si generatio existit ex substantia non actu, sed potestate, id est ex materia prima, quemadmodum antea posuimus; haec substantia potestate aut habet actu aliquid ex alijs categoriis, ita vt sit actu quantum, vel quale, vel in loco; vel nihil omnino actu habet; si nihil omnino habet actu, & tamen ex ea existit generatio; ergo poterit hoc, quod nihil actu est, consistere, & in rerum natura locum habere; fientq́ue res ex eo, quod antea nihil erat; id quod maximè vitauerunt tanquàm scopulum veteres philosophi; sin est quidem potestate substantia, actu autem habet aliquod accidens, iam accidentia sine substantia poterunt consistere; illa enim nondum actu est; haec autem iam actu: sed sumamus in manus verba Aristotelis; *Nam si quidpiam fit*, si quidpiam verè & propriè generatur; manifestum, quòd fit, vt diximus, ex huiusmodi quadam natura; quae est *substantia quadam potestate*: potestate tantum, idcircoq́ue planè imperfecta (illa enim voce *quadam* defectionem, & inopiam quandam significari supra notauimus) ex qua, inquam, substantia imperfecta *existit generatio*, gignitur vera & integra substantia, & in quam abire necesse est, quaecunque intereunt. Verum igitur huic naturae, quae potestate est *hoc*, id est substantia, & ens, *simpliciter autem*, actu autem, & propriè, neque hoc, neque ens *inerit aliquid actu ex alijs*? poterit attribui aliquid ex iis, quae continẽtur in categoriis accidentiũ ita ut ista natura, quae actu est non substantia, & non ens, sit actu quantum vel quale vel in loco? an potius (hoc enim secundum membrum facilè expletur ex vi dictionis illius *vtrum*) nihil etiam ex aliis categoriis illi actu inerit? Si nihil actu, sed omnia potestate; sequetur, *& hoc pacto non ens*, id est nihil actu habens *esse separabile*, posse per seipsum consistere; illudq́ue praeterea sequetur, quod omnes veteres philosophi maximè horruerunt, *ex re prae existente nulla fieri*, res generari ex eo, quod nihil actu erat. Ita ex nihilo res fient: longe secus interpretatur Philoponus, sed aut errat, aut alia scriptura vsus est. *Sin autem neque hoc aliquid, neque substantia, sed inerit tamen aliquid ex ijs, quae diximus*; Sin autem verius putes illi, quod neque actu est substantia, neque hoc aliquid (atque haec istorum verborum repetitio habet vim, & pondus quoddam) inesse aliquid ex aliis categoriis, ità vt sit, vel quantum, vel quale, vel faciens, vel perpetiens; sequetur illud absurdum, de quo ante admonuimus; vt accidentia sine substantia consistere queant: erunt enim accidentia actu; cum nondum substantia actu sit, sed tantum potestate.

Tex.Com.13. *De his igitur, quantum licet explicandum, & quae nam causa, cur generatio semper sit, tum simplex, tum quae secundum partem.*

Afferemus, inquit, quae ad hanc difficultatem explicandam necessaria sunt, superuacua, aut quae aliis locis sunt pertractata, omittentes. Tenet autem institutum suum Aristoteles vt propositae dubitationi aliam annectat, & ex istius dissolutione priorem etiam explicet: quare nunc istam alteram quaestionem proponit, ecquid causae sit, *cur generatio semper sit*, cur assiduè aliquid oriatur, & item intereat, *& simplex*, id est in substantiis; & perpetua item sit generatio, *quae secundum partem*, quae in accidentibus versatur. quae enim mutantur in accidentibus, non fiunt simpliciter, sed fiunt secundum partem. Cum enim homo ex candore in nigredinem mutatur, non dicimus homo fit, sed homo fit candidus. Ita ii. post. cap. ii. istiusmodi quaestiones dicuntur secundum partem, An Luna sit obscurata, an Terra sit in medio; illae autem simpliciter, an Luna sit, an terra sit. Habent ista verba, *simplex, & quae secundum partem* aliam forte interpretationem, de qua infra commodius dicemus.

Cum

Cum autem vna quidem causa sit, vnde dicimus esse principium motus, vna autem materies: de hac ipsa causa agendum est. De illa enim dictum est antea in sermonibus de motu: quòd hoc quidem est immobile in omne tempus, illud autem semper motum. Horum verò, de immobili quidem principio prosequi tractationem, primæ philosophiæ est: de altero vero, quod reliqua mouet, propterea quòd ipsum continenter mouetur, posterius statuendum: quæ nam huiusmodi eorum, quæ singulatim dicuntur, causa sit. Nunc autem eam, quæ in specie materiæ ponitur, causam prosequamur, ob quam generatio, & interitus nunquàm deserunt naturam. Fortè enim si hoc perspicuum fiat, illud quoque simul explicabitur, de quo modò dubitabamus: quid de simplici generatione, & interitu sit asserendum. Tex.Com.14. Tex.Com.15.

Propositæ postremo loco quæstionis, ecquid causæ sit, cur generatio nunquàm deficiat, duplex explicatio afferri potest; vna ducta à causa effectrice; altera autem à materia. Nos hoc tempore secunda tantum vtemur. Nam de illa altera alibi aut est actum, aut agendum. Cum enim effectrix causa, quam solemus definire principium vnde motus, rursus duplex sit; altera quidem omnis motionis ipsa quidem expers, verum cæteris rebus omnibus motum, & vitam præbens, mens scilicet ab omni concretione materiæ liberata; altera verò, quæ perpetuò mota mouet reliqua, nimirũ cœlum; duplex hæc causa ***in sermonibus de motu***, id est in viii. libro phy. (ex illis enim octo, tres postremi speciatim motui sunt destinati) aut tacta, aut exposita est. Prima quidem tacta, secunda autem satis cumulatè exposita. Agetur autem plenè, & fusè de illa perfectissima in prima philosophia, quæ nihil aliud, quàm Theologia; est atque hoc sanè nomine nunc Philoponus vtitur. Quod autem in alterius causæ expositione desiderari poterat, ad finem horum librorum reponetur, explicando scilicet, quomodo cœlum sit causa ***eorum quæ singulatim dicuntur***, id est continuatæ successionis singularium per se caducorum; qua successione species rerum inuiolatæ conseruantur. Nunc igitur quemadmodum dicebamus, satis sit eam afferre causam, ***quæ in specie materiæ ponitur***, id est in genere materiæ, nomine enim speciéi loco generis vult positum Philoponus; quo etiam pacto voluit Alexan. positum esse in libro de sensu & sensili cap. de odore. Continet.n. materia tanquàm genus sub se tùm eã, quæ subiicitur substantiæ, tùm quodcũq; illud est, quod accidentibus substernitur: hanc quidem esse causam videbimus, cur interitus, & generatio ***nunquàm deserat naturam***, id est assiduè locum habeat in rerum natura. Hac igitur quæstione explicata ad generationis perpetuitatem attinente, explicabitur etiã prius proposita quæstio; quo pacto simplex interitus, & generatio existat ex eo, quod est ens potestate.

Non caret autem iusta dubitatione, Ecquid causæ sit, cur continuetur generatio: si quidem, quod interit, abit in non ens: non ens autem nihil est: neque enim quid, neque quale, neque quantum, neque vbi ipsum non ens: ergo si semper aliquod entium recedit: cur non iampridem consumptum est, & inane ipsum vniuersum? Si quidem finitum est id, ex quo fit vnumquodq; eorum, quæ fiunt: non enim, quòd infinitum sit id, ex quo fit, non deficit: hoc enim nefas: actu enim nullum est infinitum: potestate autem ad ipsam diuisionem: quamobrem oportebat hanc solam esse, quæ minimè deficeret: eò quòd semper aliquid fieret minus: nunc autem istud non cernimus. Tex.Com.16.

Proposuit quæstionem, deindè ostendit, qua rõe esset explicãda, vt reliquarũ etiã quæstionũ explicationi inseruiret, afferendo nimirũ causam ex gñe materiei: nunc ea de re disserere incipiẽs, quæstio inquit à nobis postremo loco ꝓposita nó leuis est, sed planè digna, q̃ à nobis

 pertractetur

pertractetur: adest enim validum argumentum, quo quis probare posset debuisse iam deficere ipsam generationem, tantum abesse vt perpetua esse queat: est autem argumentum huiusmodi. Si totum ipsum ens corruptum esse debet, certè generatio defecerit oportet; sed vniuersum ipsum ens iam pridem corruptum esse debet; ergo iā generatio defecerit oportet: connexum satis patet ex illo communi omnium philosophorum dogmate; ex nihilo nihil fieri, sed semper ex aliquo ente: quare si iam vniuersum ens est consumptum, certè non remanet aliquid, ex quo generatio posit existere. Assumptum explicatur. Si ex vniuerso ente quotidie aliquid decessit; certe iam consumptum, & inane redditum sit oportet; sed quotidie ex vniuerso ente aliquid decessit; ergo iam consumptum, & inane redditum sit oportet. Connexum postea declarabitur; assumptum autem ex eo verum esse intelligitur, quòd aliquid quotidie interit; quod autem interit, abit in non ens (interitus enim nihil aliud est, quàm mutatio ex ente ad non ens) non ens autem est nihil; quare cum loco entis succedat nihil; certè quotidie de ipso ente aliquid detractum est, & redditum minus; quòd autem non ens sit nihilum, sic probamus; quod non est quid, id est substantia (ita enim solere ab Aristotele vocari substantiam clarissimum est) neque quale, neque quantum, neque vbi, neque, supple tu, vllius alterius categoriæ accidens; illud certè est nihil; quod non est ens, certè neque est substantia, neque quale, neque quantum, neque aliud accidens; ergo nihil est. Connexum autem, quod burusque explicandum distulimus, videlicet, si ex vniuerso ente quotidie aliquid decessit, iam consumptum esse debere, & inane redditum, indè verū esse intelligitur; quòd vniuersum est actu finitum; omne autem actu finitum consumitur, si de illo quotidie aliquid detrahas pri. phy. xxxvii. Non enim ita respondeas, eòquòd infinitum sit illud ens, ex quo reliqua fiant, generationem non deficere, sed perpetuam esse, siquidem iam à nobis & iii. phy. & primo de cœlo abundè ostensum est, nullum esse actu infinitū, sed tantum *potestate ad diuisionem*, id est continuum, quod in infinitum diuidi queat: quāobrem *hanc solam*, id est potestatem ad diuisionem fortasse nunquàm deficere mirandum non erat; cum semper ipsum continuum fieret minus, *nunc autem hoc non cernimus* non vidermus interire res eòquòd diuidantur in minores, omninoque vniuersum decrescere. Ergo vix apparet, quî propositæ dubitationi occurri posit: huic autem argumentationi similis illa fuit, qua Plato in Phædone confici putauit animantes ex mortuis rursus ad vitam reuocari. Petrus Gherardus, quem ego iuuenem ob excellens ingenium, summam eruditionē, modestissimos mores vnicè diligo, putat legendum ταυτὶν [illegible] μονὶν, atquè ex hac lectione pulcherrimam sententiam elicit, quàm ipse alibi explicabit.

Tex. Com. 17. *Nunquid igitur, eò quòd vnius interitus, sit alterius generatio, & generatio vnius, interitus alterius, nunquàm deficere mutationem necesse est? quòd igitur generatio & interitus similiter sit in entium vnoquoque, hanc putandum est omnibus esse veram causam.*

Quamuis inquit allata argumentatio valde nos dubitare, atque hæsitare cōgat; tamen nō difficulter fortasse illam refellemus, si ità statuamus, vnius generationem esse alterius interitum, & vnius interitum alterius generationem; quod verissimum esse cernimus. Cum. n. aqua interit, fit aër; cum interit aër, fit aqua, aut ignis. Ita non quæ corrumpuntur, abeunt in non ens, & nihilum; quæ totius dubitationis origo erat, sed abeunt in aliud ens; Forma scilicet aëris succedit aquæ, & forma aquæ rursus aëri: Ex quo prior etiam dubitatio sedatur, quomodo, inquam, res ex ente potestate fieri possent; quod enim erat potestate ens, nullo pacto consistere posse videbatur; Sedatur autem isto iam probè fixo, ac stabilito; quia materia semper aliquam formam gerit, & perillam actu est; gerit autem semper aliquam, quoniam vnius interitus est generatio alterius. Ita enim quod fit, fit quidem per se ex ente potestate, scilicet materia prima, in qua inerat potestate; sed per accidens fit ex ente actu; quatenus materies semper habet adiunctam formam. Prior autem forma non quidem causa est, cur oriatur succedens forma; sed tantum fulcit, atque continet materiam; ita vt illa in rerum vniuersitate consistere queat. *Quod igitur generatio & interitus similiter sit in entium vnoquoq*; quia generatio, & interitus eodem pacto perpetua sint, ac nunquam deficiant in singulis rerum inferiorum, caducarumque speciebus, *hanc putandum est esse omnibus veram causam* hanc perennem successionem generationis, & interitus, vt generatio vnius sit interitus alterius, & contrà vnius interitus generatio alterius, existimare debemus esse verā causam omnibus rerum caducarum speciebus, tam earum, quæ simpliciter, quàm earum, quæ secundum partem giguuntur, & intereunt; ad quam differentiam exponendam iam accedimus.

Ecquid

Ecquid autem causæ sit, cur hæc quidem simpliciter fieri dicantur, & interire, illa autem non simpliciter, rursus considerandum: si quidem pariter est generatio quidem huius, interitus autem illius, & interitus quidem huius, generatio autem illius. Explicari autem hoc aliqua ratione postulat: dicimus enim quòd interit nunc simpliciter, & non solum hoc: & hæc quidem generatio simpliciter, hic autem interitus: hoc autem fit quidem aliquid, minimè autem simpliciter fit. Dicimus enim addiscentem fieri quidem scientem, fieri autem simpliciter minimè. Tex.Com.18.

Explicanda, inquit, isthæc varietas est, cur aliqua dicantur fieri, & interire simpliciter; aliqua autem non simpliciter. Nam ex præcedentis quæstionis dissolutione facilè nobis in mentem venire posset, isti varietati locum non esse: nam si omnium rerum parem esse conditionem statuimus, vt generatio vnius sit interitus alterius, & contrà; certè aut omnia simpliciter fieri, & interire, aut omnia non simpliciter statuendum etiam fuit. *Nam si pariter est generatio quidem huius, interitus verò illius, & interitus quidem huius, generatio autem illius*, si eodem pacto ignis, exempli causa, generatio, est interitus aquæ, & generatio aquæ, est interitus ignis; eodem etiam pacto vtraque mutatio simplex generatio, & interitus, aut vtraque non simplex dicenda est. Explicari igitur hoc *aliqua ratione postulat*, id est distinctione, & animaduersione quadam: communi enim loquendi consuetudini plurimū tribuendum est: communis autem loquendi consuetudo hanc differentiam induxit: quædam enim dicimus interire simpliciter, *& non solum hoc*, non solum hoc desinere esse hoc, & corrumpi aliqua ex parte, vt cum dicimus, hominem desinere esse musicum, (tunc enim corrumpitur non simpliciter, sed tantum *hoc*, id est ex parte musicæ) sed etiam simpliciter desinere esse, & corrumpi; *& hæc quidem generatio simpliciter*; *hic autem interitus* in iis rebus quæ isto modo simpliciter, & non tantum hoc fiunt, generationis simpliciter nomine vtimur, & in iis, quæ absolutè intereunt, nomine interitus simpliciter, *hoc autem fit quidem aliquid, sed minimè simpliciter fit*, contra autem dicimus, *hoc*, id est substantiam aliquam fieri non simpliciter, *sed aliquid*, id est per mutationem adipisci aliquid; atque omnino addimus prædicatum, dicentes hoc fit hoc; quod in accidentibus perspicue patet; dicimus enim eum qui discit, id est hominem fieri scientem, non autem dicimus, hominem cum discit, simpliciter fieri; verum & in substantiis locum habet. Nam cum aqua abit in aërem; dicere solemus aquam interire, nulla sæpe geniti aëris mentione facta; aut si eius mentionem facimus, non dicimus absolutè aërem gigni, sed hoc fieri hoc, id est aquam fieri aërem. Contra autem, cum aër vertitur in aquam, & pluit; dicimus absolutè oriri aquam, nulla intereuntis aëris mentione facta: aut si facimus; non dicimus absolutè aërem interire, sed hoc abire in hoc, id est aërem conuerti in aquam: ergo istius in loquendo varietatis quæ omnino ratione carere non potest, aliqua ratio est afferenda; ad quod in sequentibus verbis aggredietur. Animaduertendum illud est, quemadmodum supra notauimus vocem illam τὶ interdum pro subiecto accipi, & tunc substantiis præcipuè conuenire, interdum loco prædicati sumi, & significare accidentia; ita vocem istam τόδε nonnunquam tanquam subiectū proferri, & significare substantiam; quo sensu, & antea accepta est, & nunc in illis verbis accipitur, *hoc autem quidem aliquid*; nonnunquam verò loco prædicati accipi, vt in istis verbis à nobis proximè explanatis, *quòd interit nunc simpliciter, & non solum hoc*.

Quemadmodum igitur sæpe distinguimus, dicimusq; hæc quidem significare hoc aliquid, illa autem minimè: hinc euenit id, de quo quæritur. Interest enim in quæ mutetur, quod mutatur: quemadmodum fortè ipsa quidem ad ignem via generatio simplex, interitus autem alicuius, vt terræ: generatio autem terræ, generatio quædam, minimè autem simpliciter generatio, interitus autem simpliciter, vt ignis: quemadmodum Parmenides ait, duo esse affirmans, vnum ens, alterum non ens, ignem & terram.

Triplicem istius propositæ in loquendo varietatis rationem est allaturus Aristoteles; atq; omnes tres in iis rebus locum habent, quæ vicissim in se conuertuntur, & quarum vnius generatio est interitus alterius; hæ enim nobis dubitandi occasionem præbuerunt; omnesque istius varietatis rationes pendent ab vno principio, non tamen ab omnibus bene intellecto. Principium est illud; Nonnulla significare hoc aliquid, & absolutè esse entia; Nonnulla autem minimè significare hoc aliquid, neque esse simpliciter entia; quomodo substantias ab accidentibus differre in Metaphysicis docuimus. Quare si in iis etiam rebus, quæ in se vicissim mutantur, isthæc differentia locum habebit; vt aliquæ quidem sint verè hoc aliquid, aliquæ autem, si cum illis conferantur, propter suam vilitatem vix videantur esse hoc aliquid, aut ne vix quidem; profectò nobiliores illæ, vt verè, & simpliciter sunt entia; ita cum orientur, simplex generatio erit; cum interibunt, simplex interitus; viliores autem hæ, & ignobiliores, vt vix entia sunt; ita in ipsis erit generatio & interitus non simplex, & absolutus, sed alicuius. Parmenides igitur putans ignem esse ens, terram non ens, facilè generationem simplicem, & interitum à non simplici distinguebat. Nam cum ignis, id est ens ex terra, id est ex non ente oriebatur; erat generatio simplex, interitus autem alicuius.i.terræ. Contrà, si ex igne terra oriretur; erat interitus simplex, generatio autem alicuius, id est terræ: atque hic primus modus distinguendi, est penes ens, & non ens, non tamen verus, quoniam nulla substantia est non ens, terraque perspicuè est substantia. Secundus modus Aristotelis est, qui collatione quadam putat perfectiorem substantiam posse vocari magis speciem, & ens; at minus perfectam posse vocari priuationem quodammodo, & non ens: atque ità verè & commodissimè distinguit generationem & interitum simplicem à nósimplici. vulgus autem, qui tertius modus est, putat, quod sentitur, esse ens; quod non sentitur, non ens; & ex eodem principio distinguit; *quemadmodum igitur sæpè distinguimus dicimusque*, & vii. metaphy. & alibi sæpe ostensum est, *hæc quidem significare hoc aliquid* per se consistere, suapteque vi contineri, esseque simpliciter entia; *illa autem minimè*, illa autem minimè significare, hoc aliquid; ac minimè per se consistere; *hinc euenit id de quo quæritur*, ex ista distinctione rationem reddere poterimus; cur aliqua dicantur oriri, & interire simpliciter, aliqua autem minimè; *interest enim in quæ mutetur, quod mutatur*. Mutatio omnis intra duo extrema continetur; quorum vnum vocatur terminus à quo: alterum autem terminus ad quem; vt cum dicimus ex aëre fieri aquam, illa vox *ex aëre* significat nobis terminum à quo fit discessio; at a autem *aquam* significat nobis terminum ad quem mutatio desinit: nominatur autem mutatio à termino ad quem ii. phy. xiiii. vt mutatio ex frigore in calorem appellatur calefactio; non autem frigefactio. Ergo *interest in quæ mutetur, quod mutatur*, plurimum refert, hunc ne, an illum terminū ad quem, accipiamus. Nam si terminus ad quē fuerit aliquid per se, & simpliciter ens: erit simplex generatio; cum autem terminus ad quē erit aliquid non simpliciter ens erit generatio non simplex, & absoluta, sed alicuius. Hoc ità constituto ponit primum modum, qui apud Parmenidem locum habere potuisset; nam cum ille duo rerum initia in iis libris, quos accommodatè ad hominum opinionem scripsit statueret; quorum vnum ens, & ignem; alterum non ens, & terram appellabat; sequebatur, vt cum fiebat ignis ex terra, generatio quidem simplex esset; quoniam gignebatur ens, *interitus autem alicuius*, id est non simplex, & absolutus, sed talis rei, vt terræ. Contrà autem, cum ex igne fiebat terra, minimè generatio simplex esset, quoniam gignebatur non ens; sed *generatio quadam*, id est talis rei, terræ scilicet: interitus autem simpliciter, quoniam interibat ens, id est ignis. Res ipsa minimè vera est; idcirco Aristoteles & initio dixit, *forte*, id est si Parmenidis sententiam sequamur, & nunc isthæc verba addit,

Nihil autem refert siue hoc, siue alia huiusmodi subijciamus: modum enim quærimus, non subiectum, via igitur ad non ens simpliciter, interitus simplex: quæ autem ad ens simpliciter, generatio simplex. Quibus igitur constitutum sit siue igni, & terræ, siue alijs quibusdam; horum erit alterum quidem ens, alterum autem non ens. Hic igitur vnus modus est, quo aliquid simpliciter fieri, & interire differt ab eo, quod non simpliciter.

Ne me, inquit, reprehendas, si exemplum minus verum fuit: nam nullo pacto terra debet appellari non ens: quinimò est solida, & consistens substantia; sed nunc quæritur modus, quo differat simpliciter fieri, & interire ab eo, quod est non simpliciter; modus autem

vnus est differentia entis, & non entis. Nam simpliciter ens simpliciter oriri, & interire debet; quod autem non est ens simpliciter, ooo debet simpliciter aut oriri vel ioterire, sed tantùm secuodum quid: siue modo tn terram, & ignem ponas ens & oon ens, quemadmodum Parmenides posuit: siue alia quædam, parum ad istum modum intelligendum intererit. Nam quodcunque simpliciter ens statueris, viam, quæ ad illud ducit, generationem simplicem statues, quæ autem ducit ad non ens simpliciter, interitum simplicem: supple autem tu, quod omittit Aristoteles, viam, quæ ducit ad oon ens ex ente; vt est interitus simplex; itâ esse generationem alicuius, id est non entis, & viam, quæ ducit ex non ente ad ens, vt est generatio simplex; itâ esse interitum alicuius, id est noo entis. Illa igitur verba *modum enim quærimus non subiectum*, itâ sunt intelligenda; percipere volumus distinctionem istam entis à noo ente: quæcunque autem isti distinctioni subiecta ponantur, id est siue ignem dicas esse ens, & terram nou ens, sioe aërem, & aquam, siue aliud quippiam; nihil nunc ad nostrum institutum facit: quare ad idem clarius exprimendum, addit illa etiam verba, *quibus igitur constitutum est. siue igni, & terra, siue alijs quibusdam; horum erit hoc quidem ens, illud autē non ens*, quasi dicat in oostra potestate situm est, constituere, quid nam vocari velimus ens, & oon ens. Nam vt primo prior. iii. secto cap. pri. scribitur, in exemplis non requiritur veritas, sed rei propositæ explicatio.

Alius autem ex materia ipsa, qualis illa fuerit: cuius enim differentiæ magis hoc aliquid significant: magis substantia: cuius autem priuationem: non ens: quemadmodum ipsum quidem calidum prædicamentum quoddam, & species: frigus autem priuatio: differunt autem terra, & ignis talibus etiam differentijs.

Secuodus hic modus est, in quo non aliquid simpliciter ens, & aliqoid simpliciter non ens accipitur; sed magis ens, & minus ens, magis substantia, & minus substantia: magis autem ens est id, quod nobilioribus differentiis est præditum; minus autē ens, quod differentiis ignobilioribus & priuationis naturam quodāmodo reddentibus est præditum. Ergo *cuius differentiæ magis hoc aliquid significant* nobiliorē, constantioremq; naturā obtinēt, illa materia est magis substantia; *cuius autem priuationem*, illa autem materia, ac res cuius differeotiæ, magis significant priuationem *non ens*, id est magis, ac potios quodammodo vocari debet noo ens, quàm ens, si cum perfectiore scilicet, ac præstantiore conferator. Addenda autem vbique est particula illa *magis* ex superiore membro. Quamobrem cum ex perfectiore forma fiet minus perfecta; erit interitus simpliciter, & generatio secuodum quid; cum autem ex minos perfecta perfectior, erit interitus secundum quid, & generatio simplex. Ità 4. physi. 49 aqua dicitur materia aëris; aër potius species, & forma. Est igitur ductus hic distinguendi modus *ex materia ipsa, qualis illa fuerit*. i. ex diuersis differentiis, & formis, quibus afficitur materies: nomine enim qualitatis intelligi formam satis patet. Affert autem in exemplum Arist. calorem & frigus; quas inquit esse differentias constituentes ignē, & terram, quarum differentiarū calor lougè perfectior, & efficacior forma sit; & idcirco *prædicamentum quoddam & species*, id est habitum significet, & positiuum quoddam; frigus autem longè ignauior forma; idcircoque quasi priuatio. *Differunt autem terra, & ignis talibus etiā differentijs*, quasi dicat in eo nobiscum cum Parmenide facilè conueniret; quòd generatio ignis sit planè absoluta; generatio autem terræ sit potius generatio quædam, & cum adiunctione. Discrepamus autem ab illo io causa affereoda. Nam ille ignem ens, terram noo ens statuit. Nos autem ignem viuidiore, & perfectiore forma præditum dicimus, terram ignauiore, ac deteriore.

Multitudini autem magis videtur differre sensili, & non sensili: Nam cū in sensilem materiam mutatum fuerit, oriri aiunt: cum autem in eam, quæ non appareat, interire. Ipsum enim ens, ipsumq; non ens, eò quòd sentiatur, & non sentiatur, definiunt: quemadmodum ipsum quidem scibile ens: ipsum autem incomprehensibile non ens: sensus enim scientiæ facultatem habet. Quemadmodum igitur ipsi sese viuere, & esse idcirco putant, quòd sentiunt, vel possunt: ita & res, veritatem quodāmodo dispicientes: quatenus autem idem sta- unnt, aberrantes. Tex. Com. 19

Duo

Duo expositi modi satis philosophici sunt: primus locum habebat in Parmenidis sententia asserentis ignem esse ens, terram verò non eos. Nam certè si res isto se haberet modo; facile cum alterum ex altero gignitur, quæ esset generatio, & interitus simplex, & quæ non simplex, statuere possemus. Secundus autem veritati ipsi maximè respondet, ac de Aristotelis sententia prolatus est. Restat tertius, qui multitudinis, & vulgi est (nam τοὺς πολλοὺς multitudinem apud Aristotelem significare, quemadmodum nos vertimus, primo Ethic. & alibi patet) aut eorum Philosophorũ, qui haud multo plus peruident, quàm vulgus faciat. Isti igitur putant id esse ens, quod est sensile, illud non ens, quod non sensile: quamobrem cum aliquid in *sensilem materiam mutatum fuerit*, cum mutatum fuerit in rem, ac naturam sensilem aut cum materia ipsa sensilem formam acceperit, simpliciter oriri aiunt *cum autem in eam, quæ non appareat*, at cum facta erit substantia non sensilis ex sensili, simpliciter dicunt interire. Hæc sententia ex eo fundamento pendet, quòd quemadmodum nos verè dicimus, omne ens esse scibile, quod autem est incomprehensibile, esse etiam non ens; ità isti *ens, & non ens eò quòd sentiatur, & non sentiatur, definiunt*, illud esse ens, quod sentitur, illud non eus, quod non sentitur, existimant; sensus enim apud ipsos *scientiæ facultatem habet*, id est alium ipsi modum sciendi, quam per sensum non cognoscunt; & putant, si omne ens sciri debet, debere etiam sentiri; quando nihil aliud sit scire, quàm sentire. Quamobrem, vt ipsi se idcirco viuere, & esse putant, quòd sensu vel vtuntur vel saltem vti possunt, *ita & res*, id est ita in eo putant consistere rerum naturam, vt sentiri queant *dispicientes quodammodo veritatem* quatenus scilicet putant, quod est ens, comprehensibile esse debere; *quatenus autem idem dicunt*, at quatenus putant idem esse sensu, & mente comprehendi, longè errantes. Nomine materiæ interdum significare solet Arist. rem ipsam, vt in superioribus verbis, *ex materia ipsa, qualis illa fuerit*, & nunc in istis *cum in sensilem materiam mutatum fuerit*, & v. Met. cap. de vno, vbi ea dicuntur esse vnum numero, quorum vna est materia, id est vt ego ex Alexan. videor mihi commodissimè interpretari, vtque ipsemet Arist. pri. Top. cap. vi. exponit, quæ re sunt eadem, nomine diuersa: huiusque interpretationis vmbram vidit fortasse Zimara Theor. 99. vbi explanat text. 92. pri. de cœlo: veteres certè, ac deinde etiam Medici omnem substantiam nomine materiæ videntur intelligere. Aut nomine materiæ potest significari elementum; vt idem dictu sit *in sensilem materiam*, atque in elementum sensile. Nam, & apud Emped. & interdum apud Parmenidem elementa statuebantur subiecta materies omnium rerũ, & à nobis conceduntur rerum mistarum.

Ac fit, vt aliter ad opinionem, aliter ad veritatem oriatur aliquid simpliciter, & intereat: spiritus enim, & aër ad sensum quidem minus est: quamobrem, quæ intereunt, quòd in hæc ipsa mutentur: interire simpliciter dicunt: oriri autem cum in tangibile, atq; in terram fuerint mutata: ad veritatem autem Tex. Com. 20. *hæc magis hoc aliquid, & species, quàm terra. Cur igitur generatio quidem simplex sit interitus alicuius, interitus autem simplex, alicuius generatio, causa est exposita: quòd materies differt, vel quòd substantia est, vel quòd non est: vel quòd illa quidem magis, hæc autem minus: vel quòd materies ex qua, & in quam, hæc quidem magis sensilis, illa autem minus.*

Pugnant, inquit, nonnunquàm inter se secundus, & tertius modus. Nam cum ex terra fit aër, si secundum modum sequamur qui veritatem ipsam spectat; dicemus generationem esse simplicem; quoniam aër est magis *hoc aliquid, atque species*, nobilior, ac perfectior substantia, quàm terra, interitum autem dicemus non simplicem, sed alicuius; quoniam scilicet terra interit, quæ deterior, & ignobilior substantia est. Sin autem ad vulgi opinionem abeamus; dicemus esse interitum simplicem, quoniam terra interiit, quæ magis sensilis substantia est, & tactu percipitur; generationem autem non simplicem, sed alicuius, quoniam genitus est aër & spiritus, qui longè minus sensilis: spiritus, & aër sæpè ab Aristo. coniunguntur, & M. Tullius aërem vocare solet flabilem, spirabilemq; naturam. Vulgus igitur tunc aliquid simpliciter interiisse dicit, cũ *in hæc ipsa*, id est in aërem & flatum mutatum aliquid est. Nam cum aqua abiit in vaporem, tunc absolutè dicunt corrumpi, & euanescere aquam, nulla geniti aëris mentione facta; cũ autem fit mutatio aëris *in tangibile* id est in solidum quiddam, vt aquam, & terram; simpliciter oriri dicunt; quare cum pluit;

non

non dicimus aërem interire, sed tantum genitæ aquæ mentionem facimus. Nihil mirum autem, si docti homines à vulgo sæpè dissentiant. Anaxagoram refert Arist. pri. Eud. cap. ii. cū à plebeio quodam homine interrogatus esset, quem beatissimum hominem iudicaret, illum respondisse, qui tibi à felicitate remotissimus videatur. Exposita igitur causa est tùm ad veritatem, tùm ad opinionem hominum, cur aliquo simpliciter genito, sequatur interitus cuiusdam, & contra aliquo simpliciter intereunte sequatur generatio cuiusdam, *quòd .n. materia differt*, & non eadem res generetur, & intereat; hinc sequitur, supple tu, ista in generatione, & interitu differentia. Differt autem res à re, vel quòd vna sit substantia, altera non sit, qui Parmenidis modus fuit; vel quòd illa quidem *magis*, id est perfectior substantia, illa autem minus, qui secundus, & veritati consentaneus modus fuit; vel quod *materia ex qua, & inquam*, quòd natura illa, quæ interit, & quæ gignitur; *hac quidem sit magis sensilis, illa autem minus*, qui tertius erat modus; ita breui quodam epilogo omnes tres causas iam copiosè expositas complexi sumus.

Cur autem hæc quidem simpliciter oriri dicantur, illa autem quiddam duntaxat; non ea generatione, quæ vicissim fit, quo nunc diximus modò: Nam nunc eatenus quidem constitutum est, cur, cum omnis generatio sit interitus alterius, & omnis interitus sit generatio alterius cuiusdam, non similiter tamen in ijs, quæ in se vicissim mutantur, vtamur istis nominibus, gigni, & interire. Quod autem posterius dictum est, non hoc anquirit: sed cur discens quidem non dicitur simpliciter fieri, sed fieri sciens: quod verò satum est, fieri? hæc autem definita categorijs sunt; alia enim hoc aliquid significant, alia tale, alia quantum. Quæcunque igitur substantiam non significant, non dicuntur simpliciter fieri, sed quiddam: ac nihilominus tamen in omnibus similiter generatio dicitur secundum ea, quæ in altera coniugatione; vt in substantia quidem si ignis, sed non si terra, in quali autem si sciens, sed non quando insciens.

Exposuimus cur, si omnis generatio est interitus alterius, & omnis interitus, alterius generatio; non tamen eodem modo vtamur istis nominibus gigni, & interire; sed cum oritur, exempli causa, aqua ex aëre, generationem simpliciter asseramus, Interitum autem cuiusdam: at cum aër ex aqua, dicamus esse generationem cuiusdam, interitum autem simpliciter. Cæterum quoniam principium istud, entium nonnulla significare hoc aliquid, non nulla minimè, iis tantum rebus accommodauimus, quæ in sese vicissim mutantur (eæ enim nobis erant propositæ ad contemplandum) & tamen primo locum habet in substantiis, & accidentibus; Agè iam, quamuis illa in se vicissim non mutentur (non enim ex accidente fit substantia, neque ex substantia accidens) istò tamen tanquàm ad fontem, & caput orationem nostram redigentes explicemus, cur aliquid dicatur oriri simpliciter nulla mutatione in alterum considerata, aliquid autem non simpliciter. Nam qui discit, non dicitur simpliciter oriri, sed fieri talis, id est sciens, *quod autem satum est*, vt ordeum, & triticum *fieri* simpliciter, & absolutè oriri dicitur; dicimus enim ortum esse triticum, ortū esse ordeum; notandum autem est, post illa verba *cur autem alia quidem simpliciter oriri dicantur, alia antem quiddam duntaxat, non ea generatione, quæ vicissim fit, quo nunc diximus modo* supplenda esse ista *causa afferenda est*, perspicuè enim desiderantur: Estquè, vt aliàs diximus isthæc negligentia Aristoteli familiaris, & grauitatem præseferens; breuiter autem, quòd postremò proposuit, explicat Aristoteles, inquit enim pro distinctione categoriarum distingui etiam generationem simplicem à non simplici. Nam quæcunque hoc aliquid significant (significant autem, quæcunque in categoria substantiæ continentur) hæc cum fient, simpliciter oriri dicentur; quæcunque autem non hoc aliquid, sed aut quale, aut quantum significāt, aut ad aliam accidentium categoriam referuntur; non simpliciter dicentur oriri, sed fieri quiddam. Cæterum in singulis categoriis, sunt diuersæ coniugationes rerum, & quasi gradus. Nam vt Pythagorici duas rerum coniugationes, & ordines statuebant, in quarum altera collocabant nobiliora, & perfectiora, in altera autem viliora, & minus perfecta; ità nos etiam dicimus in singulis categoriis esse naturas perfectiores, quæ verè species, & habitus sint; esse item minus perfectas, quæ priuationis instar obtineant. & talium quarundam

coniugationum

coniugationum fecit etiam mentionem Aristoteles xii. Metaphy. xxxvi. Quamobrem cum in singulis quibusque categoriis sint diuersæ rerum coniugationes; erit quatenus in omnibus categoriis interdum generatio potius, quàm interitus; interdum verò interitus potius, quàm generatio spectari queat: generatio enim erit *secundum ea, quæ in altera coniugatione* generationis nomen tunc præcipuè vsurpabimus, cum orietur aliquid locatum in coniugatione rerum nobiliorum, vt in substantia, si genitus fuerit ignis, & non terra, in qualitate, si sciens, & non si fiat insciens. Nam in substantia ex perfectiore coniugatione est ignis, quàm terra; in qualitate sciens, quàm insciens; contrà autem tunc dicemus consequutum esse interitum, cum interibunt ea, quæ in ista eadem coniugatione locantur; & orientur, quæ in coniugatione rerum deteriorum. Generationem igitur, atque interitum simplicem, & non simplicem tripliciter spectauimus: Primo in iis rebus, quæ in se vicissim mutantur conferendo nobiliorem essentiam cum ignobiliore: huiusmodi autem sunt potissimum substãtiæ, deinde vniuersè in genere entium cõferendo substantiam cum accidentibus; postremò quasi appendiculam quandam addidimus ostendentes, quomodo etiam in categoriis accidentium habere locum ista diuersitas queat: rursus conferendo nobilius accidens cum viliore.

Cur igitur alia quidem simpliciter oriantur, alia autem minimè, & vniuersè & in substantijs ipsis, dictum est; & cur, quòd generatio assiduè perduret, causa sit, tanquàm materies, ipsum subiectum, quoniam mutari potest in contraria: et in substantijs generatio huius est semper illius interitus, & huius interitus illius generatio.

Epilogum eorum, quæ dicta sunt, suo more apponit Aristoteles & inquit, abundè esse expositam causam; cur alia dicantur oriri simpliciter, alia minimè; estque expositum, *& vniuersè* quatenus distinctionem ipsius entis in substantiam, & accidens considerauimus, *& in substantijs ipsis*, & præcipuè in substantiis, quoniam de iis præcipuè sermo erat (nam quod de categoriis accidentium dictum est, fuit appendix quædam) quatenus ostendimus perfectiores substantias simpliciter interire, deteriores autem minus simpliciter; additque satis etiam allatam causam perpetuitatis ipsius generationis, *tanquàm materiam* acceptam ex illo causæ genere, quod ad materiam refertur; poterat enim eiusdem rei afferri ratio ex causa efficiente, verum id aliò distulimus; nunc satis sit intelligere assiduè perdurare generationem in rerum natura quoniam *subiectum* illud potentia ens, ex quo diximus res generari, *mutari potest in contraria*, vicissim potest contraria excipere; ita vt huius generatio, sit interitus illius, & huius interitus, illius generatio; id autem præcipuè in substantiis locum habet, de qua re in quæstionibus; ex quo patet verbum illud *in contraria* intelligi debere de illis omnibus, quæ opponuntur tanquàm perfectiora, & minus perfecta.

Tex. Com. 21. *At verò nec dubitandum est, quam ob causam oriatur semper aliquid destructis. Nam quemadmodum interire simpliciter vsurpant, cum venerit ad insensile, & non ens; ita & oriri ex non ente aiunt, cum ex insensili. Siue igitur subiectum adsit aliquod, siue minimè; ex non ente fit. Quamobrem similiter fit ex non ente, & corrumpitur in non ens. Iure igitur non deficit: generatio enim ipsa interitus non entis, interitus autem ipse generatio non entis.*

Explicata causa perpetuitatis generationis & interitus, ostendit nunc Aristoteles facilè dubitationi occurri posse, quæ nos torquebat. Verisimile enim videbatur, si interitus ducebat ad non esse, & quotidie perdurat interitus, fore, vt aliquando vniuersum ipsum consumeretur. Respondet igitur in præsenti, dubitationem istam nullam esse, quoniam, quàmuis interitus ducat ad non esse, tamen eodem tempore oritur etiam aliquid aliud: sic per istam reparationem non consumitur vniuersum. Inquit autem dubitandum non esse, *quam ob causam oritur semper aliquid destructis*, id est cur intereuntibus aliquibus rebus semper aliqua alia generentur; Id autem mirandum non esse, vel ex iis, quæ vulgò creduntur, ostendit: solet autem libenter Arist. cum potest, reliquorum etiam sententias ad suam quodammodo aggregare. Sic primo Eth. cum felicitatis vim accuratè, & subtiliter euoluisset viii. cap. ostendit, cæteras etiam opiniones à sua non vsquequaque discrepare. Idem igitur institutum

Ritutum nunc seruans demonstrat conuenire sibi quodammodo etiam cum multitudine, quod ad rationem seruandæ perpetuitatis in generatione, & interitu pertinet, quamuis in rebus ipsis non conueniat. Nam *quemadmodum interire simpliciter vsurpant, cum venerit ad insensile, & non ens; ita & oriri ex non ente aiunt, cum ex insensili*; quasi dicat, eodem ferè pacto reddemus nos rationem continuatæ generationis, & interitus, quo pacto reddere vulgares ipsi possent. Illi quidem interitus nomen tunc simpliciter vsurpant, cum subiectum ex sensili abit ad insensile, quod putant non ens, vt cum ex aqua fit aër; quamobrem cum ex insensili fit aliquod sensile, vt ex aëre aqua, ex non ente ens oriri aiunt, *siue igitur subiectum adsit aliquod; siue minimè; ex non ente fit*, id est siue in hac mutatione entis in non ens, & non entis in ens, vt aquæ in aërem, & aëris in aquam, adsit intus aliud subiectum istius mutationis (ita ad sequentem dubitationem iter patefacit, non enim hoc loco Philoponi explanationem probamus) quemadmodum nos censemus, qui aëri, & aquæ ponimus communē materiam primam; siue minimè adsit aliquid aliud subiectum; sed ipsemet aër exempli causa, cum mutatur in aquam, sit subiectum istius mutationis, quod non modo vulgus putat, sed multi etiam præstantissimi Philosophi statuerunt non peruenientes ad naturam materiæ primæ; sed existimantes vel aërem vel aquam, vel intermedium corpus, vel ignem esse primum subiectum; vtrouis, inquam, modo se res habeat, *ex non ente fit*, id est nihilominus rationem reddere possumus, quo pacto seruetur incolumis rerum vniuersitas; nam ex non ente fit ens, quod clarius exprimit sequentibus verbis, *quamobrem similiter fit ex non ente, & corrumpitur in non ens*, id est quo pacto res corrumpuntur in non ens, eodem pacto fiunt ex non ente; ita quicquid ex vniuerso consumitur per abitionem ex ente in non ens, reparatur per mutationem ex non ente in ens, *iure igitur non deficit*, igitur si ita res habeat, vt isti ponunt, meritò non deficit vniuersum, & perpetuo durat generatio & interitus, *generatio enim ipsa interitus non entis: interitus autem ipse generatio non entis*, id est nunquàm potest oriri ens, & sensile, quin intereat non ens, & insensile: ac vicissim nunquàm potest interire ens, & sensile, quin oriatur non ens, & insensile. Ita generatio ipsa.i. generatio entis, quæ absolutè nunc dicitur [illegible], est interitus non entis, & interitus ipse, id est absolutus, qui est interitus entis, est generatio non entis; ergo quemadmodum ipsi vulgares (hæc.n. omnia ab accurato Lectore addenda sunt) possunt rationem reddere, cur aliquibus rebus intereuntibus alia oriantur, quòd.s. vt abeunt in non ens; ità pariter ex non ente generari possunt; ità nihilo difficilius à nobis ratio reddi potest. Nam vt res abeunt in materiam primā, ita ex eadem materia prima generantur; itemq; vt ex ignobiliore forma in præstantiorem mutatio fit; ita ex nobiliore in ignobiliorem. Itaque generatio, & interitus assiduè perdurat.

Verùm hoc quidem non ens simpliciter, dubitauerit quispiam, vtrum alterū contrarium sit, vt terra, & graue non ens, ignis autem, & leue ipsum ens: an secus: verùm terra etiam sit ens, quod autem est non ens, sit materia terræ, & ignis similiter. Tex. Com. 22.

Antea dubium, atque incertum reliquit, vtrum istud, quod vulgus vocat non ens simpliciter, ex quo fit mutatio in ens, esset ipsummet subiectum mutationis, ità vt aër, exempli causa, qui à vulgo non ens, quòd vix sentiatur, censetur; sit verè illud non ens simpliciter, ex quo debet fieri ens tanquàm ex materia: an istud non ens simpliciter verè sit non aër, non terra, non aliud contrariis figuratum, sed aliquid aliud omni forma, & qualitate per se carens, quod in ista mutatione subiiciatur. Id enim non modo vulgus, sed ne veteres quidem philosophi distinxerunt; Statuit igitur id Arist. & inquit *istud non ens simpliciter* materiam ipsam, ex qua entia fieri debent, non esse alterum contrariorum; vt Parmenidi fortasse videretur, qui terram tanquàm non ens posuit, vt ignem ens, aut Anaximeni, aut Anaximandro, aut aliis huiusmodi philosophis vnum ex istis quatuor corporibus pro subiecto ponentibus; sed esse materiam quandam informem terræ, & igni æquè subiectam.

Et num quid diuersa vtriusque materies? An minime ex se vicissim fierent, neque ex contrarijs? his enim contraria insunt, igni, terræ, aquæ, aëri. An est quidem, quatenus eadem, est autem quatenus altera. Ipsum enim aliquando ens subijcitur idem, ipsum autem esse, non idem. Ac de his quidem hactenus sit dictum.

Præterea materia per se ipsa est ignota vii. Metaphy. xxxv, Ergo potius materia definiri per formam, quàm forma per materiam debebit.

Explicatio quæstionis.

Duplex definitio relatiuorum.

Vt hic nodus dissoluatur, notetur primum, quæ sunt ad aliquid, dupliciter esse definita in categoriis cap. proprio: Prima enim definitione illa dicuntur ad aliquid, quæ hoc ipsum quod sunt, aliorū sunt; id est quæ habent essentiam suam aliquam spectantem tamen aliquid aliud: & à nostris vocantur relatiua secundum dici; secundà autem definitione, illa sunt ad aliquid quorum ipsamet essentia, & natura in hoc consistit, vt ad alterum referantur, & à nostris vocantur relatiua secundum esse. Materia, & forma, vt paulo post copiosè ostendemus, potius in priore, quàm in posteriore definitione continentur, Habent enim essentiam suam aliquam propriam; quàmuis, quòd vtriusque essentia imperfecta quodammodo sit, vna spectet alteram, mutuoque auxilio egeant, vt possint consistere. Deinde notetur & illud, dubitatum esse ab Auerroe primo post. Com. magno xxxii. ad quem per se inhærendi modum referantur ea, quæ dicuntur ad aliquid, itaque statui ad neutrum referri; quòd ab Aristotele quasi nimis exilia, ac tenuia entia sint despecta. Crediderim tamen ego ad vtrumq; posse referri, quatenus vnum per alterum definitur; ita vt simul sint in primo, & in ii. Idcirco enim à M. Tullio vocata sunt sub eandem rationem cadentia. Adde, quæ dicuntur ad aliquid, non esse semper inter se paris conditionis, sed vnum obtinere primas partes. Sic dicebat Aristoteles primo pol. cap iii. Seruum non modo esse alterius seruum, sed etiam absolutè esse alterius; Dominum autem esse serui dominum, non tamen absolutè esse serui; sic particulam non solum esse totius particulam, sed esse absolutè totius; totum autem esse quidem particulæ totum, sed non esse absolutè particulæ. Id à Contareno in compendio primæ philosophiæ ostenditur in Rege & comite, in Deo, & effectis à Deo. Idem in genere, & specie, patre, & filio, multisque aliis huiusmodi ab Ammonio in Porphyrii voces cap. de genere euenire, longa oratione ostenditur. Sic Achillinus primo de elementis ad finem octaui dubii docebat, duplex esse relatiuorum genus; quædam enim cognosci cum altero, quædam non tantum cum altero, sed etiam per alterum; quo pacto causa & effectum se habent. Nam simul vnum cum altero cognoscitur; effectum autem non modo cognoscitur simul cum causa, sed etiam cognoscitur per ipsam causam; quod ipse ad materiam & formam transfert.

Quo modo dicendi per se contineantur relatiua.

Forma enim cognoscitur simul cum materia, non tamen per materiam; materia autem non solum cognoscitur simul cum forma, verum etiam per formam. Quare cum primus modus inhærendi per se sit, cum prædicatum est causa subiecti, secundus autem cum subiectum est causa prædicati ex Auerroe ii. de anima lxvii. profectò vbi perfectius relatiuom, ac quod magis instar causæ obtineat, sit prædicatum; inerit primo modo; vbi præstantius relatiuum sit subiectum; huic alterum inerit secundo modo. His ita constitutis dico materiam primam, quà tota est vna numero, vt inquiunt priuatiuè, referri ad formam vniuersè, non autem ad hanc vel illam: omnes enim æquè potest suscipere; & per formam vniuersè acceptam cognoscitur, vt alibi fusius exponemus; materia autem propria cuiusque formæ, vt humanæ, ad propriam formam, humanam scilicet refertur, & per eam cognoscitur. Ita forma est simpliciter prior materia, quàmuis aliquo etiam modo posterior, vt docet Achillinus primo de elementis ad finem dubii xiii. causæ. n. sunt sibi vicissim causæ. Cæterū materiæ ipsi primæ nō respondet vna tm̄ forma, quæ illius appetitum expleat; infinita. n. est facultas materiæ, cui infinita forma conuenire non potest: actus. n. proprium est definire vii. Met. 49. vt pulchrè idem Achil. dubio vi. Quare non vnica forma, sed multæ per successionem illius infinitati quodámodo satisfaciunt. Hac igitur rōe dicemus substantiā materiæ esse priorem non forma absolutè, sed formis singularibus, & proprias formas inesse substantiæ ipsius materiæ primæ, per se secundo modo; quoniam, licet materia prima non possit sine forma aut esse, aut cognosci, potest tamen sine hac, vel illa esse & cognosci; hæc autem, vel illa forma non potest cognosci, neque esse sine materia prima. Quare verè dicebat Alex. formas inesse materiæ primæ secundo modo. Quòd si inueniretur forma vna satisfaciens substantiæ ipsius materiæ primæ; profectò potius inesset illi primo, quàm secondo modo; sicuti speciali materiæ specialem formam volumus inesse potius primo, quàm secundo modo. Ergo contrariis argumentis facilè respondebimus. Materia & forma sunt ad aliquid, ergo simul naturà; ergo sese vicissim definiunt. Dico materiam primam referri ad formam vniuersè, & per illam definiri: non autem inuenitur hæc forma vna numero, sed plures sunt reuera; quarum quælibet seorsum, si cum materia prima comparetur, est posterior illà vt diximus. Quòd si specialis materia cum speciali forma conferatur, dico ex se se vicissim cognosci, & magis materiam per formam, quàm contrà, idcircoque formam inesse isti materiæ potius primo, quàm secūdo modo. Non negamus etiam materiam esse per se ignotam, & cognosci per formam. Sed

Defensio Alexā.

Refutatio argumentorū aduersus Alexan.

illud

Illud tenemus per specialem formam non cognosci materiam primam, sed per formam vniuersè sumptam; Idcircoque constanter affirmamus formam vniuersè sumptam esse priorem materia prima; Hanc autem, vel illam formam, quæ inest materiæ per successionem continuatam, esse posteriorem substantia ipsius materiæ. Cæterum rursus dubitabis: secundus enim modus ad accidentia tantum pertinet, vt patet ex Auerr. primo post. com. magno axai. ergo si forma inest per se secundo modo materiæ primæ; profectò erit accidens; ita substantia componetur ex materia & accidente. Dico, vt antea ex Philopono monuimus, posse quodammodo formam vocari accidens materiæ, quoniam in illius essentia non inest; quomodo in Categoris cap. de iis, quæ ad aliquid, homo, & bipes, & docile dicuntur esse accid. ntia domini; & secundo phy. xxxiii. animal, & homo dicuntur accidentia statuarii. Quemadmodum autem homo est verè substantia, licet accidat domino, ita forma est substantia, licet accidat materiæ. Quare substantia nihilominus ex substantiis componetur. Hæc magis intelligentur ex iis, quæ paulò post de natura materiæ primæ differemus.

An secundus modus dicendi per se tantum ad accidentia pertineat.

An forma vocari queat accidens materiæ.

His ità constitutis, principiò considerandum, vtrum aliquid sit, quod simpliciter generetur, & intereat: an propriè quidem nihil, semper autem ex aliquo, & aliquid: dico autem vt ex laborante valens, & laborans ex valente, vel paruum ex magno, & magnum ex paruo, & reliqua omnia hoc eodem modo.

Cap. tertium. Tex. Com. 11.

Antequàm generationis, & interitus naturam ad viuum resecare possemus, & in profundum, vbi veritas demersa est, penetrare; tollendum impedimentum erat, quod nobis aditū quodammodo obstruebat, Democriti inquàm sententia; quæ si mansisset, nihil aliud esse generationem, & interitum cogitare poteramus, quàm congregationem, & secretionem; ea autem cogitatio nos à veritate planè auersos egisset. Nunc autem illa confutata faciliores nos præbebimus ad veritatis vocem audiendam; idcircoque ad rem ipsam iam aggrediens Aristoteles dubitationes primum proponit ad generationis, & interitus naturam verè intelligendam maximè pertinentes, & illas deinde dissoluit. In rebus enim tractandis à dubitatio nibus incipiendum esse, pulchrè ad initium iii. Metaph. Aristoteles monebat; quòd, nisi quibus vinculis constringamur, sciamus; vt ab illis nos vindicemus operam daturi non simus. Prima autem dubitatio ad primā suapte natura quæstionem pertinet, vtrum scilicet sit generatio & interitus simplex, nec ne; idem enim hoc dictū est, ac si dicas quemadmodum Aristoteles, *Vtrum aliquid sit quod simpliciter generetur; & intereat*, quemadmodum etiam non refert siue quæras, an sit Eclypsis, siue an Luna eclypsim patiatur; qua de re in quæstionibus. Simpliciter autem & propriè aliquid generari vel interire dicimus, cum absolutè proferimus, hoc oritur, hoc interit. Dicimus autem hoc fieri aliquid, cum subiectum manens admittit aliquod accidens; vt cum dicimus hominem fieri sanum. Notandum tamen est, istā vocem τι, id est aliquid, interdum pro subiecto accipi, interdum pro prædicato. Cum accipitur pro subiecto, commune quiddam est, & intelligi potest etiam de substantia. Sic proponitur quæstio, *vtrum aliquid sit, quod simpliciter fiat.* Cum autē accipitur pro prædicato, tunc accidentibus tantum conuenit; ita dicimus, *fieri aliquid ex aliquo* hominem scilicet fieri ex laborante validum, ex valido laborantem, paruum ex magno, magnum ex paruo. Ita etiam secundo post. analy. dicitur quæstionem an sit simpliciter, esse huiusmodi, An terra, an Luna sit; quæri autem an sit aliquid, cum additur prædicatum, an terra sit in medio, an Luna sit obscurata, *& reliqua omnia hoc eodem modo*, id est omnium cæterarum rerum nulla simpliciter fiat, sed tantum fiat aliquid ex aliquo, id est exuens vnum accidens, induat alterum. Proponitur igitur quæstio, vtrum sit generatio propriè; an omnis mutatio sit alteratio quædam; omninoque in accidentibus versetur, non in substantia; cur autem de isto dubitemus, hoc in causa est.

Nam si simpliciter generatio erit, simpliciter vtiq; factum fuerit ex non ente: quamobrem verum esset dicere, inesse quibusdam ipsum non ens; aliqua enim generatio ex non ente aliquo, vt ex non candido, vel non pulchro: simplex verò, ex non ente simpliciter.

Nam

Hæc, inquam, ratio est, ex qua non nemo probabiliter afferat, non esse generationem simpliciter; nã si esset generatio simpliciter; esset ex non ente simpliciter; sed hoc nefas est; ergo & illud, ex quo sequitur. Connexum explicatur; nam quemadmodum cum res fit aliquid, fit ex non ente aliquo, vt homo cum fit candidus, fit ex non candido, & cum pulcher, fit ex non pulchro; ita cum fit ens simpliciter, fiet ex non ente simpliciter; ita enim vnumquodque ex propria negatione fiet, candidum ex non candido, honestum ex non honesto, simpliciter ens ex simpliciter non ente: hoc autem nefas est: verè enim dici posset *inesse quibusdam ipsum non ens*, id est reperiri in aliquibus rebus ipsum non ens simpliciter: idem autem dictu est, ac non ens simpliciter consistere, atque esse in rerum natura; quod absurdius est, quàm vt in eo exponendo longior ponatur oratio; verumtamen id quod dicimus, magis patebit procedẽte disputatione: idcirco adiunget Aristoteles verba quæ audietis: eloquutioni isti ὑπάρχει τισὶ τὸ μὴ ὂν est similis illa, qua vtitur pri. phy. xxvii. οὐδὲ συμβέβηκεν αὐτῷ οἷόν τι τὸ ὄν, id est non potest in ipso reperiri natura entis. Illud etiam animaduerti à vobis velim, licet in hac tota tractatione voces istas γένεσις τὶς. φθορά τὶς, id est generatio quædã, interitus quidam, ita interpretati simus, ac verè sine dubio, vt non simplex, & absoluta generatio, sed cum quadam adiunctione generatio, itemque interitus significetur; tamen interdum apud Aristotelem istam vocem τὶ & τὶς significare attributionem essentialem, vt cũ genus attribuitur speciei; quod obseruauit Ammonius in librũ de interpretatione; vbi agit de notis istis, omnis, nullus, quidam, & Eustratius in vi. Ethic. cap. pri. Solet. n. ita dicere Aristoteles, prudentiam esse virtutem quandam id est esse speciem virtutis. At iiii. phy. cviii. de numero loquens istas voces ἁπλῶς & τὶς eadem notione vsurpat, qua nunc, atque alibi sæpe.

Ipsum autem simpliciter, vel primum significat secundum vnamquamque categoriam entis, vel ipsummet vniuersale, & omnia continens; si quidem igitur primum; generatio substantiæ erit ex non substantia; cui autem non inest substantia, neque hoc; manifestum, quòd neque aliarum categoriarum vlla; puta tu neque quale, neque quantum, neque illud, quod vbi dicimus; separabiles enim essent affectiones à substantijs; sin autem non ens omnino; negatio erit omnium vniuersè; quamobrem ex nihilo necesse fieri quod fit.

Accepit hucusque istam dictionem *simpliciter*, vt significat idem quod absolutè; nunc aũt pauló communius, & fusius sumit, vt dubitatio melius explicetur. Accipiamus igitur vocem istam *simpliciter*, vt significat vniuersè & generatim: sunt autem decem summa genera; quorum tñ potest quodammodo dici genus, aut certè communius quiddam, ipsum Ens; quamobrem ista etiam vox *simpliciter*, aliquando significabit primum & summum genus in vnaquaque categoria; aliquando autem illud communius atque omnia ambiens, ipsum scilicet ens; sic simpliciter non ens, vel significabit id, quod excludit illud ipsum ens vniuersè sumptum, vel significabit id, quod excludit vnum aliquod ex illis decem summis generib. Hoc secundo sensu si candidum fiat ex non candido, non diceretur fieri ex non ente simpliciter, quoniam cum dico non candidum, dictione illa *non* minimè excludo ipsum summum genus, qualitatem scilicet ipsam, sed certam tantum illius speciem, nempè candorem; quòd si dicerem candidum fieri ex non quali, tunc dici posset isto secundo sensu fieri ex non ente simpliciter. Transferamus id ad substantiam, in qua magis propriè ista vox *simpliciter* vsurpatur. Cùm dicimus substantiam aliquam, puta tu hominem vel equum fieri ex non ente simpliciter, intelligi id duobus modis potest, vel esse factam ex non substantia (sic excludo summum ipsum genus) vel ex non ente omnino, & sic excludimus illud ipsum communius ens, & omnia continens. *Si quidem igitur primum*, id est si primo modo intelligatur, ita vt generatio substantiæ fit ex non substantia; sequetur, aut substantiam fieri ex nihilo, aut affectiones, & accidentia separari posse à substantia. Quòd alterutrum sequatur, probo. Nam si ponas, quomodo verè ponendum est, *cui non inest substantia*, de quo substantia prædicari non potest, quodq; substantia non est *neq; hoc*, quodq; non est hoc aliquid *non inesse etiã aliarum categoriarum vllam*, id est neque etiam quantum, neque quale, neque ad aliquid, neque vbi esse; quoniam scilicet accidentia sine subiecto, & substantia consistere nequeunt; certè idem dictu erit fieri ex non substantia, atque fieri ex nihilo. Quod enim non est substantia, non potest vllum aliud accidens habere: quod autem neque substantia est, neque accidens

cidens; certè nihil est. Sin autem asseras illud, quod dicimus esse non substantiam, posse contineri in aliqua alia categoria, certè *affectiones separabiles essent à subiectis*, accidentia per se consistere possent, & sine substantia; quod naturæ accidentis maximè repugnat. *Sin autem non ens omnino*. Quod si simpliciter non ens, illud intelligas, quod excludit ens illud omnia continens, & substantiam & accidentia, & est negatio omnium vniuersè: profectò non est dubitandum; quin necesse sit, quod fit, fieri ex nihilo; quod quidem omnes Philosophi refugerunt; ex quo Lucretius in primo libro.

Nam si de nihilo fierent, ex omnibu' rebus
Omne genus nasci posset, nil semine egeret.
E mare primum homines, è terra posset oriri
Squamigerum genus, & volucres, erumpere cælo
Armenta, atque alia pecudes, genus omne ferarum
Incerto partu culta, ac deserta tenerent,
Nec fructus ijdem arboribus constare solerent,
Sed mutarentur; ferre omnes omnia possent.
Quippe vbi non essent genitalia corpora cuique
Qui posset mater rebus consistere certa?
At nunc seminibus quia certis quæque creantur,
Inde enascitur, atque oras in luminis exit,
Materies vbi inest cuiusque, & corpora prima.

De his quidem igitur in alijs sermonibus dubitatum est, & copiosius constitutum. Breuiter autem nunc etiam dicendum, modo quodam ex non ente simpliciter fieri, alio autem modo ex ente semper. Necesse enim est, cum ens dicatur vtroq; modo, præexistere illud, quod est potestate quidem ens, actu autem nõ ens.

In suum locum restitutis græcæ scripturæ interpunctionibus postrema hæc verba, quæ antea valde erant obscura, nunc planissima meo quidem iudicio sunt. Non est igitur, inquit Aristoteles, cur in proposita dubitatione tollenda diutius immoremur: acta enim ageremus quandoquidem primo phy. tota res abunde est explicata, & constitutum, quid sentiendum nobis sit. Docuimus enim eo loco dupliciter ex aliquo res fieri; vno quidem modo per se, altero autem per accidens: per se enim fiunt ex materia prima, quæ est ens potestate imperfectum & inchoatum, minimè autem integrè, & absolute ens. Per accidens verò fiunt ex ente simpliciter, & absolutè; quatenus materia semper habet aliquam formam adiunctam; atque ita fit ignis ex aëre, aër ex aqua. Quando igitur hæc, vnde omnis ista quæstio profligatur, copiosè sunt explicata; satis in præsenti erit breuiter explicationis summam colligere, atque ita statuere substantias *modo quodam ex non ente simpliciter fieri*, id est per se fieri ex materia prima, quæ non est ens simpliciter, & actu, *alio autem modo ex ente semper* alio autem modo, id est per accidens fieri semper ex ente, quatenus materia, ex qua res fiũt semper actu habet aliquam formam; per quam actu consistit. Verum istud clarius non exponitur, vt relinquatur aditus sequenti dubitationi; ac tantum illud statuitur res fieri ex ente potestate, & non actu; quod quidem necessariò præexistat ante generationem.

Verum, quod constitutis etiam his admirabilem dubitationem habet, rursus retractandum est; quomodo sit simplex generatio, siue ex ente potestate sit, siue aliter quomodocunque. Dubitauerit enim quispiam, vtrum sit generatio substantiæ, & huiusce, sed non talis, & tanti, & illius, quod vbi appellamus. Tex.Com.12. *Eodem autem modo, & de interitu: nam si quidpiam fit, manifestum, quòd erit substantia quædam potestate, actu autem minimè, ex qua generatio existet, & in quam necesse est mutari, quod interit. Vtrum igitur huic inerit aliquod ex alijs actu? dico autem hoc modo: vtrum quod potestate tantum est hoc, & ens, simpliciter autem neque hoc neque ens, erit quantum, vel quale vel vbi? Nam si nihil, sed omnia potestate; sequetur, & hoc pacto non ens esse separabile,*

le, illudq́ praeterea, quod ij qui primi philosophiam tractarunt, maximè horrue runt, ex nulla re praeexistente fieri: sin autem hoc aliquid quidem esse & substantiam non conueniet, sed tamen aliquid ex ijs, quae diximus; erunt, vt diximus, affectiones separabiles à substantijs.

Posuimus ad priorem dubitationem tollendam, substantias fieri ex ente potestate; caeterum hoc posito non satis adhuc videtur constitutum, vtrum possit esse generatio substantiae ***& huiusce***, id est quae substantia verè est hoc aliquid, & per se consistit, ita vt propriè generatio sit substantiae, ***sed non talis & tanti, & illius quod vbi appellamus***, non autem accidentium, quae in qualitate, & quantitate, & vbi, & aliis categoriis continentur: Itemq́ue vtrum interitus propriè sit substantiae, aliorum autem minimè. Cur autem non satis videatur istud constitutum, exoriens dubitatio facit, grauissima illa quidem, & admirabilis. Summa argumentationis, qua dubitatio proponitur, est haec. Si generatio existit ex substantia non actu, sed potestate, id est ex materia prima, quemadmodum antea posuimus; haec substantia potestate aut habet actu aliquid ex alijs categoriis, ita vt sit actu quantum, vel quale, vel in loco; vel nihil omnino actu habet; si nihil omnino habet actu, & tamen ex ea existit generatio; ergo poterit hoc, quod nihil actu est, consistere, & in rerum natura locum habere; fientq́ue res ex eo, quod antea nihil erat, id quod maximè vitauerunt tanquam scopulum veteres philosophi; sin est quidem potestate substantia, actu autem habet aliquod accidens, iam accidentia sine substantia poterunt consistere; illa enim nondum actu est; haec autem iam actu: sed sumamus in manus verba Aristotelis; ***Nam si quidpiam fit***, si quidpiam verè & propriè generatur; manifestum, quod fit, vt diximus, ex huiusmodi quadam natura; quae est ***substantia quadam potestate***: potestate tantum, idcircoq́ue planè imperfecta (illa enim voce ***quadam*** defectionem, & inopiam quandam significari supra notauimus) ex qua, inquam, substantia imperfecta ***existit generatio***, gignitur vera & integra substantia, & in quam abire necesse est, quaecunque intereunt. Verum igitur huic naturae, quae potestate est ***hoc***, id est substantia, & ens, ***simpliciter autem***, actu autem, & propriè, neque hoc, neque ens ***inerit aliquid actu ex alijs***? poterit attribui aliquid ex iis, quae continentur in categoriis accidentiũ ita ut ista natura, quae actu est non substantia, & non ens, sit actu quantum vel quale vel in loco? an potius (hoc enim secundum membrum facilè expletur ex vi dictionis illius ***vtrum***) nihil etiam ex aliis categoriis illi actu inerit? Si nihil actu, sed omnia potestate; sequetur, ***& hoc pacto non ens***, id est nihil actu habens ***esse separabile***, posse per se ipsum consistere; illudq́ue praeterea sequetur, quod omnes veteres philosophi maximè horruerunt, ***ex re praexistente nulla fieri***, res generari ex eo, quod nihil actu erat. Ita ex nihilo res fient: longe secus interpretatur Philoponus, sed aut errat, aut alia scriptura vsus est. ***Sin autem neque hoc aliquid, neque substantia, sed inerit tamen aliquid ex ijs, qua diximus***; Sin autem verius putes illi, quod neque actu est substantia, neque hoc aliquid (atque haec istorum verborum repetitio habet vim, & pondus quoddam) inesse aliquid ex aliis categoriis, ita vt sit, vel quantum, vel quale, vel faciens, vel perpetiens; sequetur illud absurdum, de quo ante admonuimus; vt accidentia sine substantia consistere queant: erunt enim accidentia actu; cum nondum substantia actu sit, sed tantum potestate.

Tex.Com.13. *De his igitur, quantum licet explicandum, & quae nam causa, cur generatio semper sit, tum simplex, tum quae secundum partem.*

Afferemus, inquit, quae ad hanc difficultatem explicandam necessaria sunt, superuacua, aut quae aliis locis sunt pertractata, omittentes. Tenet autem institutum suum Aristoteles vt propositae dubitationi aliam annectat, & ex istius dissolutione priorem etiam explicet: quare nunc istam alteram quaestionem proponit, ecquid causae sit, ***cur generatio semper sit***, cur assiduè aliquid oriatur, & item intercat, ***& simplex***, id est in substantiis; & perpetua item sit generatio, ***qua secundum partem***, quae in accidentibus versatur. quae enim mutantur in accidentibus, non fiunt simpliciter, sed fiunt secundum partem. Cum enim homo ex candore in nigredinem mutatur, non dicimus homo fit, sed homo fit candidus. Ita ii. post. cap. ii. istiusmodi quaestiones dicuntur secundum partem, An Luna sit obscurata, an Terra sit in medio; illae autem simpliciter, an Luna sit, an terra sit. Habent ista verba, ***simplex, & qua secundum partem*** aliam forte interpretationem, de qua infra commodius dicemus.

Cum

Cum autem una quidem causa sit, unde dicimus esse principium motus, una autem materies: de hac ipsa causa agendum est. De illa enim dictum est antea in sermonibus de motu; quòd hoc quidem est immobile in omne tempus, illud autem semper motum. Horum verò, de immobili quidem principio prosequi tractationem, primæ philosophiæ est: de altero vero, quod reliqua mouet, propterea quòd ipsum continenter mouetur, posterius statuendum: quæ nam huiusmodi eorum, quæ singulatim dicuntur, causa sit. Nunc autem eam, quæ in specie materiæ ponitur, causam prosequamur: ob quam generatio, & interitus nunquàm deserunt naturam. Fortè enim si hoc perspicuum fiat, illud quoquè simul explicabitur, de quo modò dubitabamus: quid de simplici generatione, & interitu sit asserendum. Tex.Com.14. Tex.Com.15.

Propositæ postremo loco quæstionis, ecquid causæ sit, cur generatio nunquàm deficiat, duplex explicatio afferri potest; vna ducta à causa effectrice; altera autem à materia. Nos hoc tempore secunda tantum vtemur. Nam de illa altera alibi aut est actum, aut agendum. Cum enim effectrix causa, quam solemus definire principium vnde motus, rursus duplex sit; altera quidem omnis motionis ipsa quidem expers, verum cæteris rebus omnibus motum, & vitam præbens, mens scilicet ab omni concretione materiæ liberata; altera verò, quæ perpetuò mota mouet reliqua, nimirũ cœlum; duplex hæc causa *in sermonibus de motu*, id est in viii. libro phy. (ex illis enim octo, tres postremi speciatim motui sunt destinati) aut tacta, aut exposita est. Prima quidem tacta, seconda autem satis cumulatè exposita. Agetur autem plenè, & fusè de illa perfectissima in prima philosophia, quæ nihil aliud, quàm Theologia; est atque hoc sanè nomine nunc Philoponus vtitur. Quod autem in alterius causæ expositione desiderari poterat, ad finem horum librorum reponetur, explicando scilicet, quomodo cœlum sit causa *eorum quæ singulatim dicuntur*, id est continuatæ successionis singularium per se caducorum; qua successione species rerum inuiolatæ conseruantur. Nunc igitur quemadmodum dicebamus, satis sit eam afferre causam, *quæ in specie materiæ ponitur*, id est in genere materiæ, nomen enim speciei loco generis vult positum Philoponus; quo etiam pacto voluit Alexan. positum esse in libro de sensu & sensili cap. de odore. Continet.n. materia tanquàm genus sub se tùm eã, quæ subiicitur substantiæ, tùm quodcũq; illud est, quod accidentibus substernitur: hanc quidem esse causam videbimus, cur interitus, & generatio *nunquàm deserat naturam*, id est assidue locum habeat in rerum natura. Hac igitur quæstione explicata ad generationis perpetuitatem attinente, explicabitur etiã prius proposita quæstio; quo pacto simplex interitus, & generatio existat ex eo, quod est ens potestate.

Non caret autem iusta dubitatione, Ecquid causæ sit, cur continuetur generatio; si quidem, quod interit, abit in non ens; non ens autem nihil est: neque enim quid, neque quale, neque quantum, neque ubi ipsum non ens: ergo si semper aliquod entium recedit; cur non iampridem consumptum est, & inane ipsum uniuersum? Si quidem finitum est id, ex quo fit unumquodq; eorum, quæ fiunt: non enim, quòd infinitum sit id, ex quo fit, non deficit: hoc enim nefas: actu enim nullum est infinitum; potestate autem ad ipsam diuisionem: quamobrem oportebat hanc solam esse, quæ minimè deficeret: eò quòd semper aliquid fieret minus: nunc autem istud non cernimus. Tex.Com.16.

Proposuit quæstionem, deindè ostendit, qua rõe esset explicãda, vt reliquarũ etiã quæstionũ explicationi inseruiret, afferendo nimirũ causam ex gñe materiei: nunc ea de re disserere incipiẽs, quæstio inquit à nobis postremo loco ꝓposita nó leuis est, sed planè digna, q̃ à nobis

pertractetur: adest enim validum argumentum, quo quis probare posset debuisse iam deficere ipsam generationem, tantum abesse vt perpetua esse queat: est autem argumentum huiusmodi. Si totum ipsum ens corruptum esse debet, certè generatio defecerit oportet; sed vniuersum ipsum ens iam pridem corruptum esse debet; ergo iā generatio defecerit oportet: connexum satis patet ex illo communi omnium philosophorum dogmate; ex nihilo nihil fieri, sed semper ex aliquo ente: quare si iam vniuersum ens est consumptum, certè non remanet aliquid, ex quo generatio possit existere. Assumptum explicatur. Si ex vniuerso ente quotidie aliquid decessit; certe iam consumptum, & inane redditum sit oportet; sed quotidie ex vniuerso ente aliquid decessit; ergo iam consumptum, & inane redditum sit oportet. Connexum postea declarabitur; assumptum autem ex eo verum esse intelligitur, quòd aliquid quotidie interit; quod autem interit, abit in non ens (interitus enim nihil aliud est, quàm mutatio ex ente ad non ens) non ens autem est nihil; quare cum loco entis succedat nihil; certè quotidie de ipso ente aliquid detractum est, & redditum minus; quòd autem non ens sit nihilum, ità probamus; quod non est quid, id est substantia (ita enim solere ab Aristotele vocari substantiam clarissimum est) neque quale, neque quantum, neque vbi, neque, supple tu, vllius alterius categoriæ accidens; illud certè est nihil; quod non est ens, certè neque est substantia, neque quale, neque quantum, neque aliud accidens; ergo nihil est. Connexum autem, quod hucusque explicandum distulimus, videlicet, si ex vniuerso ente quotidie aliquid decessit, iam consumptum esse debere, & inane redditum, indè verū esse intelligitur; quòd vniuersum est actu finitum: omne autem actu finitum consumitur, si de illo quotidie aliquid detrahas pri. phy. xxxvii. Non enim ita respondeas, eòquòd infinitum sit illud ens, ex quo reliqua fiant, generationem non deficere, sed perpetuam esse; siquidem iam à nobis & iii. phy. & primo de cœlo abundè ostensum est, nullum esse actu infinitū, sed tantum *potestate ad diuisionem*, id est continuum, quod in infinitum diuidi queat: quāobrem *hanc solam*, id est potestatem ad diuisionem fortasse nunquàm deficere mirandum non erat; cum semper ipsum continuum fieret minus, *nunc autem hoc non cernimus* non videmus interire res eòquòd diuidantur in minores, omninoque vniuersum decrescere. Ergo vix apparet, quî propositæ dubitationi occurri possit: huic autem argumentationi similis illa fuit, qua Plato in Phædone confici putauit animantes ex mortuis rursus ad vitam reuocari. Petrus Gherardus, quem ego iuuenem ob excellens ingenium, summam eruditionē, modestissimos mores vnicè diligo, putat legendum ταυτὴν [illegible] μενεῖν, atquè ex hac lectione pulcherrimam sententiam elicit, quàm ipse alibi explicabit.

Tex. Com. 17. *Nunquid igitur, eò quòd vnius interitus, sit alterius generatio, & generatio vnius, interitus alterius, nunquàm deficere mutationem necesse est? quòd igitur generatio & interitus similiter sit in entium vnoquoque, hanc putandum est omnibus esse veram causam.*

Quamuis inquit allata argumentatio valde nos dubitare, atque hæsitare cōgat; tamen nō difficulter fortasse illam refellemus, si ità statuamus, vnius generationem esse alterius interitum, & vnius interitum alterius generationem; quod verissimum esse cernimus. Cum.n. aqua interit, fit aër; cum interit aër, fit aqua, aut ignis. Ita non quæ corrumpuntur, abeunt in non ens, & nihilum; quæ totius dubitationis origo erat, sed abeunt in aliud ens; Forma scilicet aëris succedit aquæ, & forma aquæ rursus aëri: Ex quo prior etiam dubitatio sedatur, quomodo, inquam, res ex ente potestate fieri possent; quod enim erat potestate ens, nullo pacto consistere posse videbatur; Sedatur autem isto iam probè fixo, ac stabilito; ꝙ materia semper aliquam formam gerit, & per illam actu est; gerit autem semper aliquam, quoniam vnius interitus est generatio alterius. Ita enim quod fit, fit quidem per se ex ente potestate, scilicet materia prima, in qua inerat potestate; sed per accidens fit ex ente actu; quatenus materies semper habet adiunctam formam. Prior autem forma non quidem causa est, cur oriatur succedens forma; sed tantum fulcit, atque continet materiam; ita vt illa in rerum vniuersitate consistere queat. *Quod igitur generatio & interitus similiter sit in entium vnoquoq;*, ꝙ generatio, & interitus eodem pacto perpetua sint, ac nunquam deficiant in singulis rerum inferiorum, caducarumque speciebus, *hanc putandum est esse omnibus veram causam* hanc perennem successionem generationis, & interitus, vt generatio vnius sit interitus alterius, & contrà vnius interitus generatio alterius, existimare debemus esse verā causam omnibus rerum caducarum speciebus, tam earum, quæ simpliciter, quàm earum, quæ secundum partem gignuntur, & intereunt; ad quam differentiam exponendam iam accedimus.

Ecquid autem causæ sit, cur hæc quidem simpliciter fieri dicantur, & interire, illa autem non simpliciter, rursus considerandum; si quidem pariter est generatio quidem huius, interitus autem illius, & interitus quidem huius, generatio autem illius. Explicari autem hoc aliqua ratione postulat: dicimus enim quòd interit nunc simpliciter, & non solum hoc; & hæc quidem generatio simpliciter, hic autem interitus; hoc autem fit quidem aliquid, minimè autem simpliciter fit. Dicimus enim addiscentem fieri quidem scientem, fieri autem simpliciter minimè. Tex.Cum.18.

Explicanda, inquit, isthæc varietas est, cur aliqua dicantur fieri, & interire simpliciter; aliqua autem non simpliciter. Nam ex præcedentis quæstionis dissolutione facilè nobis in mentem venire posset, isti varietati locum non esse: nam si omnium rerum parem esse conditionem statuimus, vt generatio vnius sit interitus alterius, & contrà; certè aut omnia simpliciter fieri, & interire, aut omnia non simpliciter statuendum etiam fuit. *Nam si pariter est generatio quidem huius, interitus verò illius, & interitus quidem huius, generatio autem illius*, si eodem pacto ignis, exempli causa, generatio, est interitus aquæ, & generatio aquæ, est interitus ignis; eodem etiam pacto vtraque mutatio simplex generatio, & interitus, aut vtraque non simplex dicenda est. Explicari igitur hoc *aliqua ratione postulat*, id est distinctione, & animaduersione quadam: communi enim loquendi consuetudini plurimû tribuendum est: communis autem loquendi consuetudo hanc differentiam induxit: quædam enim dicimus interire simpliciter, *& non solum hoc*, non solum hoc desinere esse hoc, & corrumpi aliqua ex parte, vt cum dicimus, hominem desinere esse musicum, (tunc enim corrumpitur non simpliciter, sed tantum *hoc*, id est ex parte musicæ) sed etiam simpliciter desinere esse, & corrumpi, *& hæc quidem generatio simpliciter*; *hic autem interitus* in iis rebus quæ isto modo simpliciter, & non tantum hoc fiunt; generationis simpliciter nomine vtimur, & in iis, quæ absolutè intereunt, nomine interitus simpliciter, *hoc autem fit quidem aliquid, sed minimè simpliciter fit*, contra autem dicimus, *hoc*, id est substantiam aliquam fieri non simpliciter, *sed aliquid*, id est per mutationem adipisci aliquid; atque omnino addimus prædicatum, dicentes hoc fit hoc; quod in accidentibus perspicue patet; dicimus enim eum qui discit, id est hominem fieri scientem; non autem dicimus, hominem cum discit, simpliciter fieri; verum & in substantiis locum habet. Nam cum aqua abit in aërem; dicere solemus aquam interire, nulla sæpe geniti aëris mentione facta; aut si eius mentionem facimus, non dicimus absolutè aërem gigni, sed hoc fieri hoc, id est aquam fieri aërem. Contra autem, cum aër vertitur in aquam, & pluit; dicimus absolutè oriri aquam, nulla intereuntis aëris mentione facta: aut si facimus; non dicimus absolutè aërem interire, sed hoc abire in hoc, id est aërem conuerti in aquam: ergo istius in loquendo varietatis quæ omnino ratione carere non potest, aliqua ratio est afferenda; ad quod in sequentibus verbis aggredietur. Animaduertendum illud est, quemadmodum supra notauimus vocem illam τὶ interdum pro subiecto accipi, & tunc substantiis præcipuè conuenire, interdum loco prædicati sumi, & significare accidentia; ita vocem istam τόδε nonnunquam tanquam subiectû proferri, & significare substantiam; quo sensu, & antea accepta est, & nunc in illis verbis accipitur, *hoc autem quidem aliquid*; nonnunquam verò loco prædicati accipi, vt in istis verbis à nobis proximè explanatis, *quòd interit nunc simpliciter, & non solum hoc*.

Quemadmodum igitur sæpe distinguimus, dicimusq; hæc quidem significare hoc aliquid, illa autem minimè; hinc euenit id, de quo quæritur. Interest enim in quæ mutetur, quod mutatur; quemadmodum fortè ipsa quidem ad ignem via generatio simplex, interitus autem alicuius, vt terræ; generatio autem terræ, generatio quædam, minimè autem simpliciter generatio, interitus autem simpliciter, vt ignis; quemadmodum Parmenides ait, duo esse affirmans, vnum ens, alterum non ens, ignem & terram.

Triplicem istius propositæ io loquendo varietatis rationem est allaturus Aristoteles; atq; omnes tres in iis rebus locum habent, quæ vicissim in se conuertuntur, & quarum voius generatio est interitus alterius; hæ enim nobis dubitandi occasionem præbuerunt; omnesque istius varietatis rationes pendent ab vno priocipio, non tamen ab omnibus bene intellecto. Priocipium est illud; Nonnulla significare hoc aliquid, & absolute esse entia; Nonnulla autem minime significare hoc aliquid, oeque esse simpliciter entia; quomodo sobstantias ab accidentibus differre in Metaphysicis docuimus. Quare si in iis etiam rebus, quæ in se vicissim mutantur, isthæc differentia locum habebit; vt aliquæ quidem sint vere hoc aliquid, aliquæ autem, si cum illis conferantur, propter suam vilitatem vix videantur esse hoc aliquid, aut ne vix quidem; profecto nobiliores illæ, vt vere, & simpliciter sunt entia; ita cum orieatur, simplex generatio erit; cum ioteribunt, simplex interitus; viliores autem hæ, & ignobiliores, vt vix entia sunt; ita in ipsis erit generatio & interitus oon simplex, & absolutus, sed alicuius. Parmeoides igitur putans ignem esse ens, terram non ens, facile generationem simplicem, & ioteritum a non simplici distinguebat. Nam cum ignis, id est ens ex terra, id est ex noo ente oriebatur; erat generatio simplex, interitus autem alicuius. i. terræ. Contra, si ex igne terra oriretur; erat interitus simplex, generatio autem alicuius, id est terræ: atque hic primus modus distinguendi, est penes ens, & non ens, oon tamen verus, quoniam nulla substantia est non ens, terraque perspicue est substantia. Secundus modus Aristotelis est, qui collatione quadam putat perfectiorem substantiam posse vocari magis speciem, & ens; at minus perfectam posse vocari priuationem quodammodo, & non ens: atque ita vere & commodissime distinguit generationem & interitum simplicem a nõ simplici. vulgus autem, qui tertius modus est, putat, quod sentitur, esse ens; quod oon sentitur, non ens; & ex eodem principio distinguit; *quemadmodum igitur sæpe distinguimus dicimusque*, & vii. metaphy. & alibi sæpe ostensum est, *hæc quidem significare hoc aliquid* per se consistere, suapteque vi contineri, esseque simpliciter entia; *illa autem minime*, illa autem minime significare, hoc aliquid; ac minime per se consistere; *hinc euenit id de quo quæritur*, ex ista distinctione rationem reddere poterimus; cur aliqua dicantur oriri, & interire simpliciter, aliqua autem minime; *interest enim in quæ mutetur, quod mutatur* Mutatio omois intra duo extrema continetur; quorum vnum vocatur terminus a quo: alterum autem terminus ad quem; vt cum dicimus ex aëre fieri aquam, illa vox *ex aëre* significat nobis terminum a quo fit discessio; illa autem *aquam* significat nobis terminum ad quem mutatio desinit: nominatur autem mutatio a termino ad quem ii. phy. xiiii. vt mutatio ex frigore in calorem appellatur calefactio; non autem frigefactio. Ergo *interest in quæ mutetur, quod mutatur*, plurimum refert, huncne, an illum terminũ ad quem, accipiamus. Nam si terminus ad quẽ fuerit aliquid per se, & simpliciter ens: erit simplex generatio; cum autem terminus ad quẽ erit aliquid non simpliciter ens: erit generatio non simplex, & absoluta, sed alicuius. Hoc ita constituto ponit primum modum, qui apud Parmenidem locum habere potuisset; nam cum ille duo rerum initia in iis libris, quos accommodate ad hominum opinionem scripsit statueret; quorum vnum ens, & ignem; alterum non ens, & terram appellabat; sequebatur, vt cum fiebat ignis ex terra, generatio quidem simplex esset; quoniam gignebatur ens, *interitus autem alicuius*, id est non simplex, & absolutus, sed talis rei, vt terræ. Contra autem, cum ex igne fiebat terra, minime generatio simplex esset, quoniam gignebatur non ens; sed *generatio quadam*, id est talis rei, terræ scilicet; interitus autem simpliciter, quoniam interibat ens, id est ignis. Res ipsa minime vera est; idcirco Aristoteles & initio dixit, *forte*, id est si Parmenidis sententiam sequamur, & nunc isthæc verba addit,

Nihil autem refert siue hoc, siue alia huiusmodi subijciamus: modum enim quærimus, non subiectum, via igitur ad non ens simpliciter; interitus simplex: quæ autem ad ens simpliciter, generatio simplex. Quibus igitur constitutum sit siue igni, & terræ, siue alijs quibusdam; horum erit alterum quidem ens, alterum autem non ens. Hic igitur vnus modus est, quo aliquid simpliciter fieri, & interire differt ab eo, quod non simpliciter.

Ne me, inquit, reprehendas, si exemplum minus verum fuit: nam nullo pacto terra debet appellari non ens; quinimo est solida, & consistens substantia; sed nunc quæritur modus, quo differat simpliciter fieri, & interire ab eo, quod est non simpliciter; modus autem

vnus

vnus est differentia entis, & non entis. Nam simpliciter ens simpliciter oriri, & interire debet; quod autem non est ens simpliciter, non debet simpliciter aut oriri vel interire, sed tantùm secundum quid: siue modo tu terram, & ignem ponas ens & non ens, quemadmodum Parmenides posuit: siue alia quædam, parum ad istum modum intelligendum intererit. Nam quodcunque simpliciter ens statueris, viam, quæ ad illud ducit, generationem simplicem statues, quæ autem ducit ad non ens simpliciter, interitum simplicem: supple autem tu, quod omittit Aristoteles, viam, quæ ducit ad non ens ex ente; vt est interitus simplex; ità esse generationem alicuius, id est non entis, & viam, quæ ducit ex non ente ad ens, vt est generatio simplex; ità esse interitum alicuius, id est non entis. Illa igitur verba *modum enim quærimus non subiectum*, ità sunt intelligenda; percipere volumus distinctionem istam entis à non ente: quæcunque autem isti distinctioni subiecta ponantur, id est siue ignem dicas esse ens, & terram non ens, siue aërem, & aquam, siue aliud quippiam; nihil nunc ad nostrum institutum facit: quare ad idem clarius exprimendum, addit illa etiam verba, *quibus igitur constitutum est, siue igni, & terra, siue alijs quibusdam; horum erit hoc quidem ens, illud autẽ non ens*, quasi dicat in nostra potestate situm est, constituere, quid nam vocari velimus ens, & non ens. Nam vt primo prior. iii. secto cap. pri. scribitur, in exemplis non requiritur veritas, sed rei propositæ explicatio.

Alius autem ex materia ipsa, qualis illa fuerit: cuius enim differentiæ magis hoc aliquid significant; magis substantia; cuius autem priuationem; non ens; quemadmodum ipsum quidem calidum prædicamentum quoddam, & species; frigus autem priuatio; differunt autem terra, & ignis talibus etiam differentijs.

Secundus hic modus est, in quo non aliquid simpliciter ens, & aliquid simpliciter non ens accipitur; sed magis ens, & minus ens, magis substantia, & minus substantia: magis autem ens est id, quod nobilioribus differentiis est præditum; minus autẽ ens, quod differentiis ignobilioribus & priuationis naturam quodãmodo reddentibus est præditum. Ergo *cuius differentia magis hoc aliquid significant* nobiliorẽ, constantioremq; naturã obtinẽt, illa materia est magis substantia; *cuius autem priuationem*, illa autem materia, ac res cuius differentiæ magis significant priuationem *non ens*, id est magis, ac potius quodammodo vocari debet non ens, quàm ens, si eum perfectiore scilicet, ac præstantiore conferatur. Addenda autem vbique est particula illa *magis* ex superiore membro. Quamobrem cum ex perfectiore forma fiet minus perfecta; erit interitus simpliciter, & generatio secundum quid; cum autem ex minus perfecta perfectior, erit interitus secundum quid, & generatio simplex. Ità 4. physi. 49 aqua dicitur materia aëris; aër potius species, & forma. Est igitur ductus hic distinguendi modus *ex materia ipsa, qualis illa fuerit*. i. ex diuersis differentiis, & formis, quibus afficitur materies: nomine enim qualitatis intelligi formam satis patet. Affert autem in exemplum Arist. calorem & frigus; quas inquit esse differentias constituentes ignẽ, & terram, quarum differentiarũ calor longè perfectior, & efficacior forma sit; & idcirco *prædicamentum quoddam & species*, id est habitum significet, & positiuum quoddam; frigus autem longè ignauior forma; idcircoque quasi priuatio. *Differunt autem terra, & ignis talibus etiã differentijs*, quasi dicat in eo nobiscum cum Parmenide facilè conueniret; quòd generatio ignis sit planè absoluta; generatio autem terræ sit potius generatio quædam, & cum adiunctione. Discrepamus autem ab illo in causa afferenda. Nam ille ignem ens, terram non ens statuit. Nos autem ignem viuidiore, & perfectiore forma præditum dicimus, terram ignauiore, ac deteriore.

Multitudini autem magis videtur differre sensili, & non sensili: Nam cũ in sensilem materiam mutatum fuerit, oriri aiunt; cum autem in eam, quæ non appareat, interire. Ipsum enim ens, ipsumq; non ens, eò quòd sentiatur, & non sentiatur, definiunt; quemadmodum ipsum quidem scibile ens; ipsum autem incomprehensibile non ens: sensus enim scientiæ facultatem habet. Quemadmodum igitur ipsi sese viuere, & esse idcirco putant, quòd sentiunt, vel possunt; ita & res, veritatem quodãmodo dispicientes; quatenus autem idem statuunt, aberrantes. Tex. Com. 19

Duõ

Duo expositi modi satis philosophici sunt: primus locum habebat in Parmenidis sententia asserentis ignem esse ens, terram verò non ens. Nam certè si res isto se haberet modo; facilè cum alterum ex altero gignitur, quæ esset generatio, & interitus simplex, & quæ non simplex, statuere possemus. Secundus autem veritati ipsi maximè respondet, ac de Aristotelis sententia prolatus est. Restat tertius, qui multitudinis, & vulgi est (nam τοὺς πολλοὺς multitudinem apud Aristotelem significare, quemadmodum nos vertimus, primo Ethic. & alibi patet) aut eorum Philosophorũ, qui haud multo plus peruident, quàm vulgus faciat. Isti igitur putant id esse ens, quod est sensile, illud non ens, quod non sensile: quamobrem cum aliquid in *sensilem materiam mutatum fuerit*, cum mutatum fuerit in rem, ac naturam sensilem aut cum materia ipsa sensilem formam acceperit, simpliciter oriri aiunt *cum autem in eam, quæ non appareat*, at cum facta erit substantia non sensilis ex sensili, simpliciter dicunt interire. Hæc sententia ex eo fundamento pendet, quòd quemadmodum nos verè dicimus, omne ens esse scibile, quod autem est incomprehensibile, esse etiam non ens; ità isti *ens, & non ens eò quòd sentiatur, & non sentiatur, definiunt*, illud esse ens, quod sentitur, illud non ens, quod non sentitur, existimant; sensus enim apud ipsos *scientiæ facultatem habet*, id est alium ipsi modum sciendi, quam per sensum non cognoscunt; & putant, si omne ens sciri debet, debere etiam sentiri; quando nihil aliud sit scire, quàm sentire. Quamobrem, vt ipsi se idcirco viuere, & esse putant, quòd sensu vel vtuntur vel saltem vti possunt, *ita & res*, id est ita in eo putant consistere rerum naturam, vt sentiri queant *dispicientes quodammodo veritatem* quatenus scilicet putant, quod est ens, comprehensibile esse debere; *quatenus autem idem dicunt*, at quatenus putant idem esse sensu, & mente comprehendi, longè errantes. Nomine materiæ interdum significare solet Arist. rem ipsam, vt in superioribus verbis, *ex materia ipsa, qualis illa fuerit*, & nunc in istis *cum in sensilem materiam mutatum fuerit*, & v. Met. cap. de vno, vbi ea dicuntur esse vnum numero, quorum vna est materia, id est vt ego ex Alexan. videor mihi commodissimè interpretari, vtque ipsemet Arist. pri. Top. cap. vi. exponit, quæ re sunt eadem, nomine diuersa: huiusque interpretationis vmbram vidit fortasse Zimara Theor. 99. vbi explanat text. 92. pri. de cœlo: veteres certè, ac deinde etiam Medici omnem substantiam nomine materiæ videntur intelligere. Aut nomine materiæ potest significari elementum; vt idem dictu sit *in sensilem materiam*, atque in elementum sensile. Nam, & apud Emped. & interdum apud Parmenidem elementa statuebantur subiecta materies omnium rerũ, & à nobis conceduntur rerum mistarum.

Ac fit, vt aliter ad opinionem, aliter ad veritatem oriatur aliquid simpliciter, & intereat: spiritus enim, & aër ad sensum quidem minus est: quamobrem, quæ intereunt, quòd in hæc ipsa mutentur: interire simpliciter dicunt: oriri autem cum in tangibile, atq; in terram fuerint mutata: ad veritatem autem hæc magis hoc aliquid, & species, quàm terra. Cur igitur generatio quidem sim- Tex. Com. 20. *plex sit interitus alicuius, interitus autem simplex, alicuius generatio, causa est exposita: quòd materies differt; vel quòd substantia est, vel quòd non est: vel quòd illa quidem magis, hæc autem minus: vel quòd materies ex qua, & in quam, hæc quidem magis sensilis, illa autem minus.*

Pugnant, inquit, nonnunquàm inter se secundus, & tertius modus. Nam cum ex terra fit aër, si secundum modum sequamur qui veritatem ipsam spectat; dicemus generationem esse simplicem; quoniam aër est magis *hoc aliquid, atque species*, nobilior, ac perfectior substantia, quàm terra, interitum autem dicemus non simplicem, sed alicuius; quoniam scilicet terra interit, quæ deterior, & ignobilior substantia est. Sin autem ad vulgi opinionem abeamus; dicemus esse interitum simplicem, quoniam terra interiit, quæ magis sensilis substantia est, & tactu percipitur; generationem autem non simplicem, sed alicuius, quoniam genitus est aër & spiritus; qui longè minus sensilis: spiritus, & aër sæpè ab Aristo. coniunguntur, & M. Tullius aërem vocare solet flabilem, spirabilemq; naturam. Vulgus igitur tunc aliquid simpliciter interiisse dicit, cũ *in hæc ipsa*, id est in aërem & flatum mutatum aliquid est. Nam cum aqua abiit in vaporem, tunc absolutè dicunt corrumpi, & euanescere aquam, nulla geniti aëris mentione facta; cũ autem fit mutatio aëris *in tangibile* id est in solidum quiddam, vt aquam, & terram; simpliciter oriri dicunt; quare cum pluit;

non

noo dicimus aërem interire, sed tantum genitæ aquæ meotionem facimus. Nihil mirum autem, si docti homines à vulgo sæpè dissentiant. Anaxagoram refert Arist. pri. Eud. cap. ii. cũ à plebeio quodam homine ioterrogatus esset, quem beatissimum hominem iudicaret, illum respondisse, qui tibi à felicitate remotissimus videatur. Exposita igitur causa est tùm ad veritatem, tùm ad opinionem hominum, cur aliquo simpliciter genito, sequatur interitus cuiusdam, & contra aliquo simpliciter intereunte sequatur generatio cuiusdam, *quòd .n. materia differt,* & non eadem res generetur, & ioteream; hinc sequitur, supple tu, ista io generatiooe, & interitu differentia. Differt autem res à re, vel quòd vna sit substantia, altera non sit, qui Parmenidis modus fuit; vel quòd illa quidem *magis*, id est perfectior substantia, illa autem minus, qui secundus, & veritati consentaneus modus fuit; vel quod *materia ex qua, & inquam*, quòd natura illa, quæ interit, & quæ gignitur; *hac quidem sit magis sensilis, illa autem minus*, qui tertius erat modus; ita breui quodam epilogo omnes tres causas iam copiosè expositas complexi sumus.

Cur autem hæc quidem simpliciter oriri dicantur, illa autem quiddam duntaxat; non ea generatione, quæ vicissim fit, quo nunc diximus modò: Nam nunc eatenus quidem constitutum est, cur, cum omnis generatio sit interitus alterius, & omnis interitus sit generatio alterius cuiusdam, non similiter tamen in ijs, quæ in se vicissim mutantur, vtamur istis nominibus, gigni, & interire. Quod autem posterius dictum est, non hoc anquirit: sed cur discens quidem non dicitur simpliciter fieri, sed fieri sciens: quod verò satum est, fieri? hæc autem definita categorijs sunt: alia enim hoc aliquid significant, alia tale, alia quantum. Quæcunque igitur substantiam non significant, non dicuntur simpliciter fieri, sed quiddam; ac nihilominus tamen in omnibus similiter generatio dicitur secundum ea, quæ in altera coniugatione; vt in substantia quidem si ignis, sed non si terra, in quali autem si sciens, sed non quando insciens.

Exposuimus cur, si omnis generatio est interitus alterius, & omnis interitus, alterius generatio; non tamen eodem modo vtamur istis nominibus gigni, & interire; sed cum oritur, exempli causa, aqua ex aëre, generationem simpliciter afferamus, interitum autem cuiusdam: at cum aër ex aqua, dicamus esse generationem cuiusdam, interitum autem simpliciter. Cæterum quoniam principium istud, entium nonnulla significare hoc aliquid, non nulla minimè, iis tantum rebus accommodauimus, quæ in sese vicissim mutantur (ea enim nobis erant propositæ ad contemplandum) & tamen primo locum habet in substantiis, & accidentibus; Agè iam, quamuis illa io se vicissim non mutentur (non enim ex accidente fit substantia, neque ex substantia accidens) istò tamen tanquàm ad fontem, & caput orationem nostram redigentes explicemus, cur aliquid dicatur oriri simpliciter oulla mutatione in alterum considerata, aliquid autem non simpliciter. Nam qui discit, non dicitur simpliciter oriri, sed fieri talis, id est sciens, *quod autem satum est*, vt ordeum, & triticum *fieri* simpliciter, & absolutè oriri dicitur; dicimus enim ortum esse triticum, ortũ esse ordeum; notandum autem est, post illa verba *cur autem alia quidem simpliciter oriri dicantur, alia autem quiddam duntaxat, non ea generatione, quæ vicissim fit, quo nunc diximus modo* supplenda esse ista *causa afferenda est*, perspicuè enim desiderantur: Estquè, vt aliàs diximus isthæc negligentia Aristoteli familiaris, & grauitatem præferens; breuiter autem, quòd postremò proposuit, explicat Aristoteles, inquit enim pro distinctione categoriarum distingui etiam generatiooem simplicem à non simplici. Nam quæcunque hoc aliquid significant (significant autem, quæcunque in categoria substantiæ continentur) hæc cum fieot, simpliciter oriri dicentur; quæcunque autem non hoc aliquid, sed aut quale, aut quantum significat, aut ad aliam accidentium categoriam referuntur; non simpliciter dicentur oriri, sed fieri quiddam. Cæterum in singulis categoriis, suot diuersæ coniugationes rerum, & quasi gradus. Nam vt Pythagorici duas rerum coniugatiooes, & ordines statuebant, in quarum altera collocabant nobiliora, & perfectiora, in altera autem viliora, & minus perfecta; ità nos etiam dicimus in singulis categoriis esse o aturas perfectiores, quæ verè species, & habitus sint; esse item minus perfectas, quæ priuationis instar obtineant, & talium quarundam

coniugationum

coniugationum fecit etiam mentionem Aristoteles xii. Metaphy. xxxvi. Quamobrem cum in singulis quibusque categoriis sint diuersæ rerum coniugationes; erit quatenus in omnibus categoriis interdum generatio potius, quàm interitus; interdum verò interitus potius, quàm generatio spectari queat: generatio enim erit *secundum ea, quæ in altera coniugatione* generationis nomen tunc præcipuè vsurpabimus, cum orietur aliquid locatum in coniugatione rerum nobiliorum, vt in substantia, si genitus fuerit ignis, & non terra, in qualitate, si sciens, & non si fiat insciens. Nam in substantia ex perfectiore coniugatione est ignis, quã terra; in qualitate sciens, quàm insciens; contrà autem tunc dicemus consequutum esse interitum, cum interibunt ea, quæ in ista eadem coniugatione locantur; & orientur, quæ in coniugatione rerum deteriorum. Generationem igitur, atque interitum simplicem, & non simplicem triplici ter spectauimus: Primo in iis rebus, quæ in se vicissim mutantur conferendo nobiliorem essentiam cum ignobiliore: huiusmodi autem sunt potissimum substãtiæ, deinde vniuersè in genere entium cõferendo substantiam cum accidentibus; postremò quasi appendiculam quandam addidimus ostendentes, quomodo etiam in categoriis accidentium habere locum ista diuersitas queat: rursus conferendo nobilius accidens cum viliore.

Cur igitur alia quidem simpliciter oriantur, alia autem minimè, & vniuersè & in substantijs ipsis, dictum est: & cur, quòd generatio assiduè perduret, causa sit, tanquàm materies, ipsum subiectum, quoniam mutari potest in contraria: et in substantijs generatio huius est semper illius interitus, & huius interitus illius generatio.

Epilogum eorum, quæ dicta sunt, suo more apponit Aristoteles & inquit, abundè esse expositam causam; cur alia dicantur oriri simpliciter, alia minimè; estque expositum, *& vniuersè* quatenus distinctionem ipsius entis in substantiam, & accidens considerauimus, *& in substantijs ipsis*, & præcipuè in substantiis, quoniam de iis præcipuè sermo erat (nam quod de categoriis accidentium dictum est, fuit appendix quædam) quatenus ostendimus perfectiores substantias simpliciter interire, deteriores autem minus simpliciter; additque satis etiam allatam causam perpetuitatis ipsius generationis, *tanquàm materiam* acceptam ex illo causæ genere, quod ad materiam refertur; poterat enim eiusdem rei afferri ratio ex causa efficiente, verum id aliò distulimus; nunc satis sit intelligere assiduè perdurare generationem in rerum natura quoniam *subiectum* illud potentia ens, ex quo diximus res generari, *mutari potest in contraria*, vicissim potest contraria excipere; ita vt huius generatio, sit interitus illius, & huius interitus, illius generatio; id autem præcipuè in substantiis locum habet, de qua re in quæstionibus; ex quo patet verbum illud *in contraria* intelligi debere de illis omnibus, quæ opponuntur tanquàm perfectiora, & minus perfecta.

Tex. Com. 21. *At verò nec dubitandum est, quam ob causam oriatur semper aliquid destructis. Nam quemadmodum interire simpliciter vsurpant, cum venerit ad insensile, & non ens: ita & oriri ex non ente aiunt, cum ex insensili. Siue igitur subiectum adsit aliquod, siue minimè: ex non ente fit. Quamobrem similiter fit ex non ente, & corrumpitur in non ens. Iure igitur non deficit: generatio enim ipsa interitus non entis, interitus autem ipse generatio non entis.*

Explicata causa perpetuitatis generationis & interitus, ostendit nunc Aristoteles facilè dubitationi occurri posse, quæ nos torquebat. Verisimile enim videbatur, si interitus ducebat ad non esse, & quotidie perdurat interitus, fore, vt aliquando vniuersum ipsum consumeretur. Respondet igitur in præsenti, dubitationem istam nullam esse, quoniam, quàmuis interitus ducat ad non esse, tamen eodem tempore oritur etiam aliquid aliud: sic per istam reparationem non consumitur vniuersum. Inquit autem dubitandum non esse, *quam ob causam oritur semper aliquid destructis*, id est cur intereuntibus aliquibus rebus semper aliqua alia generentur; Id autem mirandum non esse, vel ex iis, quæ vulgò creduntur, ostendit: solet autem libenter Arist. cum potest, reliquorum etiam sententias ad suam quodammodo aggregare. Sic primo Eth. cum felicitatis vim accuratè, & subtiliter euoluisset viii. cap, ostendit, cæteras etiam opiniones à sua non vsquequaque discrepare. Idem igitur in-

stitutum

situtum nunc seruans demonstrat conuenire sibi quodammodo etiam cum multitudine, quod ad rationem seruandæ perpetuitatis in generatione, & interitu pertinet, quamuis in rebus ipsis non conueniat. Nam *quemadmodum interire simpliciter vsurpant, cum venerit ad insensile, & non ens; ita & oriri ex non ente aiunt, cum ex insensili*; quasi dicat, eodem ferè pacto reddemus nos rationem continuatæ generationis, & interitus, quo pacto reddere vulgares ipsi possent. Illi quidem interitus nomen tunc simpliciter vsurpant, cum subiectum ex sensili abit ad insensile, quod putant non ens, vt cum ex aqua fit aër; quamobrem cum ex insensili fit aliquod sensile, vt ex aëre aqua, ex non ente ens oriri aiunt, *siue igitur subiectum adsit aliquod, siue minimè; ex non ente fit*, id est siue in hac mutatione entis in non ens, & non entis in ens, vt aquæ in aërem, & aëris in aquam, adsit intus aliud subiectum istius mutationis (ita ad sequentem dubitationem iter patefacit, non enim hoc loco Philoponi explanationem probamus) quemadmodum nos censemus, qui aëri, & aquæ ponimus communē materiam primam; siue minimè adsit aliquid aliud subiectum; sed ipsemet aër exempli causa, cum mutatur in aquam, sit subiectum istius mutationis, quod non modo vulgus putat, sed multi etiam præstantissimi Philosophi statuerunt non peruenientes ad naturam materiæ primæ; sed existimantes vel aërem vel aquam, vel intermedium corpus, vel ignem esse primum subiectum; vtrouis, inquam, modo se res habeat, *ex non ente fit*, id est nihilominus rationem reddere possumus, quo pacto seruetur incolumis rerum vniuersitas; nam ex non ente fit ens, quod clarius exprimit sequentibus verbis, *quamobrem similiter fit ex non ente, & corrumpitur in non ens*, id est quo pacto res corrumpuntur in non ens, eodem pacto fiunt ex non ente; ita quicquid ex vniuerso consumitur per abitionem ex ente in non ens, reparatur per mutationem ex non ente in ens, *iure igitur non deficit*, igitur si ita res habeat, vt isti ponunt, meritò non deficit vniuersum, & perpetuo durat generatio & interitus, *generatio enim ipsa interitus non entis: interitus autem ipse generatio non entis*, id est nunquam potest oriri ens, & sensile, quin intereat non ens, & insensile: ac vicissim nunquam potest interire ens, & sensile, quin oriatur non ens, & insensile. Ita generatio ipsa .i. generatio entis, quæ absolutè nunc dicitur ἁπλῶς, est interitus non entis, & interitus ipse, id est absolutus, qui est interitus entis, est generatio non entis; ergo quemadmodum ipsi vulgares (hæc .n. omnia ab accurato Lectore addenda sunt) possunt rationem reddere, cur aliquibus rebus intereuntibus alia oriantur, quòd .s. vt abeunt in non ens; ità pariter ex non ente generari possunt; ità nihilo difficilius à nobis ratio reddi potest. Nam vt res abeunt in materiam primā; ita ex eadem materia prima generantur; itemq; vt ex ignobiliore forma in præstantiorem mutatiu fit; ita ex nobiliore in ignobiliorem. Itaque generatio, & interitus assiduè perdurat.

Verùm hoc quidem non ens simpliciter, dubitauerit quispiam, vtrum alterū contrarium sit, vt terra, & graue non ens, ignis autem, & leue ipsum ens: an secus: verùm terra etiam sit ens, quod autem est non ens, sit materia terræ, & ignis similiter. Tex. Com. 22.

Antea dubium, atque incertum reliquit, vtrum istud, quod vulgus vocat non ens simpliciter, ex quo fit mutatio in ens, esset ipsummet subiectum mutationis, ità vt aër, exempli causa, qui à vulgo non ens, quòd vix sentiatur, censetur; sit verè illud non ens simpliciter, ex quo debet fieri ens tanquàm ex materia: an istud non ens simpliciter verè sit non aër, non terra, non aliud contrariis figuratum, sed aliquid aliud omni forma, & qualitate per se carens, quod in ista mutatione subiiciatur. Id enim non modo vulgus, sed ne veteres quidem philosophi distinxerunt; Statuit igitur id Arist. & inquit *istud non ens simpliciter* materiam ipsam, ex qua entia fieri debent, non esse alterum contrariorum; vt Parmenidi fortasse videretur, qui terram tanquàm non ens posuit, vt ignem ens, aut Anaximeni, aut Anaximandro, aut aliis huiusmodi philosophis vnum ex istis quatuor corporibus pro subiecto ponentibus; sed esse materiam quandam informem terræ, & igni æquè subiectam.

Et num quid diuersa vtriusque materies? An minime ex se vicissim fierent, neque ex contrarijs? his enim contraria insunt, igni, terræ, aquæ, aëri. An est quidem, quatenus eadem, est autem quatenus altera. Ipsum enim aliquando ens subijcitur idem, ipsum autem esse, non idem. Ac de his quidem hactenus sit dictum.

Quoniam proximè dixerat eandem esse materiam ignis, & terræ similiter, idque alicui mirum videri poterat; idcirco nouam istam dubitationem affert, *& nunquid diuersa vtriusq; materies*, id est dubitauerit quispiam (quæ verba ex proximè allata quæstione sunt repetenda) vtrum sit propria materies ignis, atque item propria terræ, an communis omnium; respondetque non esse diuersam materiem, & id probat, *an minime ex se vicißim fierent, neque ex contrarijs?* si non esset eadem materies, non fierent ex se mutuò, neque ex contrariis: sed fiunt ex se mutuo, & ex contrariis (nam igni, terræ, aquæ, aëri contraria insunt, & tamen vnum in alterum vicissim conuertitur) ergo materia est eadem. Connexum, ex quo tota vis argumentationis pendet, satis initio huius libri est explicatum; cum doceremus contraria idcirco pugnare, ac sese mutuo expellere; quoniam eiusdem subiecti possessionem vtraque adire vellent: verùm adhuc accuratiorem responsionem afferens, addit, *An est quidem quatenus eadem, est autem quatenus altera?* partim est eadem omnium materia, partim altera, & diuersa. Nam ipsum *aliquando ens* natura, & substantia materiæ imperfecta (nam voce illa ποτὲ, id est aliquando, imperfectū quiddam significari, notat Philoponus primo post. c. v.) eadem subiicitur, ac manet eadem sub igne, atq; terra; *ipsum autem esse, non idem*, id est quatenus verè & actu consistit per aliquam formam, non eadem subiicitur terræ & igni. Nam cū mutatur in ignem, habet formam terræ per quam consistit, & priuationem ignis; cū verò mutatur in terrā, habet priuationem terræ, & formam ignis, per quam consistit. Possumus aūt illas voces *ipsum autem esse* interpretari propriam rationem, per quam materia tùm ignis, tùm terræ formam accipit. Nam materia secundum substantiā quidem suam omnibus eadem subiicitur, verùm singulis formis per proprias quasdam rationes; ex quo iii. phy. x. dictum est, posse valere, & posse ægrotare non esse idem. Verùm hac de re in quæstionibus.

QVÆSTIONES IN TERTIVM CAPVT.

1 Vtrum ens sit analogum, vel synonymum ex tex. xi.
2 Quomodo finis causa sit; vtrum cum est, an cum non est ex com. lvii. Philoponi.
3 An Philosophus etiam naturalis de actu, & potestate loqui posit.
4 An de primo mouente agat Philosophus naturalis ex tex. xiiii.
5 An materia sit actu, ac de essentia materiæ.
6 Vtrum materia recipiat quà formata est, an quà non formata.
7 An materia sit causa æternæ generationis & interitus ex tex. xv.
8 An generatio vnius sit alterius interitus ex tex. xvii.
9 Vtrum sit prior natura generatio, an interitus.
10 Quomodo in substantia sit magis, & minus ex tex. xviii.
11 An primæ qualitates sint formæ elementorum ex eodem tex.

1 Vtrum ens sit analogum, vel synonymum ex tex. xi.

ENs vocat Aristoteles vniuersale, & omnia comprehendens; Multæ autem semper lites fuerunt, esset ne ens vniuocum, an æquiuocum, an potius analogum quoddam.

Alexander ex Aristotele vii. Metaphy. com. ix. inquit, parum interesse siue vniuocū, siue æquiuocum, siue ad vnum, & ab vno statuatur. Quod ità est intelligendum, vt verè ens sit ad vnum; omnia enim sunt entia, vel quia sunt substantiæ, vel quòd ad substantiā referūtur; ea autem, quæ sunt ad vnum, sunt quodammodo interiecta, intermedia inter vniuoca, & æquiuoca. Logicus enim pingui Minerua res tractans hoc vnum spectat, habeant ne res, quæ in vno nomine conueniunt, eandem rationem secundum idem nomen, an non habeāt. Si habent eandem omnino rationem, vniuocas vocat, atque illud commune nomen vniuocum statuit; sin minus, res æquiuocas, & nomen illud æquiuocum sancit; quod à Philopono habebitis in com. ciiii. Philosophus autem haud paulo diligentius agens, spectat res, quæ in vno nomine conueniunt, appellentur ne illo nomine secundum eandem naturam, an ad eandem naturam, atque ab eadem natura; an neque secundum eandem naturam, neque ad eandem, aut ab eadem; quod ex quarto metaphysicorum text. secundo, & quarto colligitur: si secundum vnam naturam dicuntur (vt homo, atque equus vocantur animalia secundum eandem naturam, id est vim sentientem) appellat vniuocas: Scio à Marco Tullio

vocari

vocari cognomines, sed à consuetudine quasi ab æstu me abripi sino; sin autem dicuntur ad eandem naturam (vt pharmacum & vrina dicuntur sana, quoniam referuntur ad corpus sanum) vocat ad vnum, & ab vno: quòd si neque secundum eandem naturam, neque ad eandem naturam relata, aliquo communi nomine appellantur, nomen illud vocat æquiuocum, & res illi subiectas æquiuocas. Ergo cùm ea, quæ ad vnum, & ab vno dicuntur, & à nostris analoga attributionis nominantur, medium quendam locum teneant inter æquiuocum, & vniuocum; media autem si cum vno extremo conferantur, alterius extremi instar obtineat: ideò, si ista conferantur cum omnino vniuocis, æquiuoca censeri poterunt; si cum omnino æquiuocis, vniuoca. Ita parum refert, hoc ne, an illo nomine appelles. Ens autem istud, quod ab vno, & ad vnum dicimus, prima diuisione diuidi debet, vt aliàs fusius ostendam, in ens reale, & ens rationis. Nam & ens rationis habet attributionem ad verum ens; & idcirco sub entis affectionibus reponitur iiii. metaph. iii. & alibi: multoque melius illius naturã primus philosophus noscit, quàm logicus; licet logicus illud fabricetur. Sic philosophus melius percipit naturam sanitatis, quàm Medicus; licet medicus eam postea efficiat: & ita ens rationis diuersè consideratum ad primam Philosophiam, & Logicam pertinet; ad illam, vt quodammodo ens; ad hanc, vt efficiendum à nobis.

Quæ sit prima entis diuisio.

Ens rationis considerari à pri. philosopho.

Ens reale rursus diuiditur in ens per se, & ens per accidens; de quo etiam ente per accidens aget primus philosophus, quatenus ad verè, & per se ens refertur, idcircoque multa de illo, & etiam de ente rationis vi. Metaphy. dicuntur. Ens autem reale per se diuiditur in decem categorias v. Metaphy. xiiii. Verùm hac de re alibi plura. Nunc illud teneatur, ens hoc vniuersale, & omnia continens, cuius mentionem facit Aristoteles, vel posse à nobis intelligi illud ens maximè commune, quod entia rationis, & entia per accidens etiam comprehendit, vel ens tantum reale per se, quod decem categorias continet. Hoc enim præcipuè à Philosopho consideratur; idcircoque vi. metaphy. cum nonnulla dicantur de ente per accidens, & de ente rationis, omittuntur illa postea, & ad ens per se tota se conuertit oratio. Notetur etiam istã vocem *vniuersale* significare id, quod ad vnum; vt significat primo de anima viii. *animal vniuersale*, id est ab vno, & ad vnum, vt aliàs ex Simplicio ostendã.

Diuisio entis realis.

Diuisio entis realis per se.

2 *Quomodo finis causa sit, vtrum cum est, an cum non est ex com. lvij. Philoponi.*

RAtionem reddens Philoponus cur Aristoteles duarum tantùm causarum mentionẽ faciat, efficientis, & materiæ; formam autem, & finem omittat; inquit formam, & finem post generationem accedere; idcircoque non esse causas generationis. Id, quod de fine asserit, videtur Arist. planissimè repugnare ii. de anima xxxv. & ii de animaliũ generatione cap. primo huius ipsius quæstionis, quæ nunc proponitur, continuatæ s. generationis, & æternæ causam eam, quæ ad finem pertinet, afferenti. Ostendit enim præstare esse, quàm non esse; quare cum hæc inferiora idem numero semper esse non possent, prouidisse naturam, vt per continuatam æterno tempore generationem in specie saltem essent, & continuarentur: ergo si alibi Aristoteles huius rei causam à fine ductam affert, poterat hic quoque afferre. Præterea finis est causa causarum ii. phy. xxxi & ii. metaph. viii. ergo non posterius accedit, vt inquit Philoponus, sed prior omnibus aliis est. Omnino quæstio hæc de efficientia, siue, vt vocant, de causalitate finis, est apud me satis ardua, nec benè ab aliis tractata: Idcirco exponam ego sententiam meam; si prius, quæ dubitationem, & scrupulum iniiciunt, proposuero. Quòd igitur finis non sit causa, ita videtur ostendi posse. Si finis causat, aut causat quando est, aut quando non est; sed neutro modo causare potest: ergo nullo. Connexum euidens. Assumptum probatur, & primo quo ad primam partem, quòd scilicet non causet quando est: habitibus præsentibus in materia cessat, & finitur motus hoc libro tex. 55. ergo cum adest finis, & cessatio à motu, habitusq; sunt præsentes; efficiens etiam ociosum manet; ita non mouetur a fine: quare finis non mouet. Præterea idem non potest esse causa, & effectum eiusdem: finis est effectum efficientis; est enim idem numero atque forma ii. phy. lxx. & primo de animalium generatione cap. pri. forma autem sine dubio est effectum, atq; opus efficientis: quare eiusdem opus erit ipse etiam finis; quãobrem illius causa esse non poterit. Postremò finis mouet, quà amatur, & desideratur xii. metaphy. xxxvi. quà amatur quidem, beatas mentes; quà verò desideratur, hæc inferiora. Desideratur; ergo non est: desiderium n. est rei absentis, & qua careamus, vt pulchrè ostendit Plato in Symposio in Socratis oratione, & Aristoteles ad finem pri. phy. Quod autem ad secundam partem assumpti attinet, probo finem non posse causare, cum non est. Finis debet mouere efficiens; at quod non est, non mouet; ergo non potest causare, cum non est.

Argumenta quòd finis non sit causa.

Præterea finis est bonum, vt millies ab Aristotele dicitur; ac nisi esset bonum, non desideraretur: at quod non est, non est bonum: ergo finis, cum non est, non est bonum; ita non desiderabitur, neque mouebit. Res igitur, vt vides, magnis est obstructa difficultatibus. Quòd autem ab aliis non integrè sit explicata, ea, quæ ab illis afferuntur, perpendenti facilè patebit. Nam cum res duobus modis spectari queant, vno quatenus sunt in anima, altero, quatenus sunt extrà animam (vt puellæ possessio tùm in mente est, idq; sæpè, tùm re ipsa, atque id non sæpè) multi existimarunt finem mouere, vt est in anima, quod perspicuè, nisi egregie fallor, falsum est. Nam si medici finis esset id, quod est in anima; profectò illum semper sine medicamentis, aut missione sanguinis consequeretur: sanitatem enim semper habere potest in mente. Præterea, vt diximus, forma & finis sunt idem numero; at sanitas, quæ est in anima, non est idem numero, vt satis constat, cum forma sanitatis in corpore procreanda. Quamobrem Auerroes xii. Metaphysicorum xxxvi. clarè pronuntiat, balneum in anima esse efficiens, extrà animam esse finem. Zimara verò insignis sanè philosophus hac in re mirè se torquet. Inquit enim in tabulis super illa propositione *causæ sunt notiores quo ad naturam*, finem esse causam, vt habet rationem in intentione agentis cũ tendentia tantùm ad talem bonitatem, quæ bonitas habet esse reale, ac desiderabile; additq; istud à valdè paucis esse intellectum. Ego autem à paucioribus etiam, quàm ipse putarit, puto; Nam ne ab ipso quidem bene percæptum existimo; Inquit enim esse causam, vt habet rationem in intentione agentis cum tali tamen tendentia; Verùm neque intentio agentis, neque tendentia est finis ipse, sed potius propensio in finem. Patet id in iis, quæ appetitu naturali ad finem feruntur. Scitis enim appetitum triplicem esse; vnum, qui rationem, & mẽtem insequitur, qui voluntas appellatur; alterum, qui sensum, qui propriè cupiditas nominatur; tertium, qui formam ipsam naturalem, & vocatur naturalis appetitus, qui etiam pendet à cognitione mentis illius non errantis; de qua Auerr. xii Metaph. xviii.

Quæstionem hãc hucusq; nõ esse satis explicatam.

Opinio Zimaræ.

Ergo cum ignis intendit, ac sibi proponit tanquàm finem locum superum, & ad illum tendit; ista certè intentio, ac tendentia, vt illius verbis vtar, nihil aliud est, quàm propensio ipsius formæ naturalis; locus autem superus est finis; Ita tendentia, & intentio agentis longè abest à natura finis. Iandunus quidem ii. phy. & v. Metaph. in quæstione peculiari putauit finem esse causam, vt est extrà animam; verum concessit finem ortu, & origine esse posteriorem aliis causis, licet perfectione esset prior, quod maximè falsum est. Nam si finis mouet reliquas, nec mouere potest, nisi sit, profectò non tantùm perfectione prior, sed etiam origine sit oportet; aut certè simul tempore; vt in beatis mentibus; omnino veram naturam finis non attingit; quod ex iis, quæ à nobis dicentur, constabit.

Opinio Ianduni.

Propria opinio.

In finis efficientia sunt conditiones quædam pugnantes, quæ nisi diligenter explicentur, nihil sit actum. Finis enim est principium quà est causa causarum; itemque est terminus, quà parto finis cessat, ac terminatur motus. Mirum igitur, qui ab eadem natura hæc duo tam dissentientia proficisci queant, incipere motum, ac terminare, cum tamen ab vno non proueniat nisi vnum xii. Metaph. com. xliiii. & colligi potest ex Aristotele ii. de generatione & interitu lvi. Præterea in fine hæ duæ aliæ non minus secum ipsæ pugnantes conditiones concurrunt, bonitas, & absentia: nam si debet appeti, vt certè debet, & bonum, & absens sit oportet, quando desiderium est rei bonæ & absentis, id est nondum existentis, pugnant autem ista inter se; quippe cum quod est bonum, necessariò sit; quod autem est absens, nondum existat. Hæc igitur explicari postulant, quod nos facere iam aggredimur. Finis duplex est, cui, & cuius ii. phy. xxv. & ii. de anima xxxv. & xxxvii. Nos autem hoc tempore loquimur de fine, cuius acquirendi causa efficiens agit; quique non differt à scopo, vt constat ex Aristotele vii. pol. cap. xiii. Vocatur autem hic finis persæpe causa finalis. Cum autem duplex efficiens sit, quod finem propositum sibi habeat, alterum consilio vtens, alterum sine consilio ii. phy. 49. dico, vt primum de efficiente cum consilio loquamur, finem vel causam finalem ipsius esse bonum actu, re partim præsens, partim absens, sed ipsi facultati deliberanti totum præsens. Quòd finis sit bonum actu, vix dubitari potest. Nam si de Medico quæras, quem sibi in curando ægroto finem proponat, sanitatem actu in eo, qui nunc ægrotat, respondebit; Itemque omnes alii artifices. Omninoque finis est optimum quiddam ii. phy. xxxi. quod autem optimum est, actu est. Non est autem totum istud bonum actu re præsens; non enim appeteretur, neq; Medicus in eo consequendo laboraret; sed habet partem præsentem, partemque item absentem. In ægrotante, exempli causa, adest facultas recipiendæ sanitatis, quæ facultas, vt rectè dicebat Contarenus lib. iii. primæ philosophiæ est inchoatio quædam actus; aut, vt ego soleo dicere, quasi dimidiatus quiddam actus, ex quo ex facultate, & actu verè fit vnum viii. Metaphy. xv. & ii. de anima vii. vbi dicebatur;

quod

quod verè est, actû esse: quasi significaret, facultatem esse inchoationem ipsius esse: ista autem facultas recipiendæ sanitatis habet etiam aliquid actu, vt robur naturæ in præcipuis partibus; facultas enim propinqua semper aliquid actu desiderat, quò ad certam formam dirigatur. Abest tamen perfectio, & absolutio huius facultatis: cuius absentis perfectionis ratione exoritur in medico apetitus, ac desiderium illius; ac nihilo minus pars ista re absens, ipsius tamen Medici intelligentiæ præsens est; eam enim cogitando anticipat; quoniam mens plus potest, quàm natura. Nec tamen dico cogitationem istam, & anticipationem esse finem, aut speciem sanitatis in cogitatione impressam, sed sanitatem actu, & re effulgentem tamen, in illa specie. Sic puella monet vos, vt finis, effulgens tamen in specie in oculis, atque animis vestris impressa; Ita conditiones illæ coocurrere non incommodè poterunt. Finis enim est principium, quà nondum totus actu reapse est; est terminus, quà iam totus actu re ipsa est; est bonum, & optimum quiddam, atque est ens, quatenus habet partem iam existenté & altera ab intellectu anticipatur quasi existens. Desideratur, & appetitur, quatenus illam partem, quæ in intellectu tantum adest, re ipsa autem abest, nitimur actu re ipsa existentem reddere. At rursus dubitabis. In animo Medici finis imprimit speciem suam integram, & perfectam, ergo totus actu est; nam si imprimere est opus rei actu existentis, vt certè est, profectò quæ se totam potest imprimere, tota etiam actu erit. Dico ob naturam ipsius mentis istud non esse necessarium: quæ quidem mens rem absentem ex alia, quæ præsens fuerit, potest colligere, atque explere. Id cuiuis facilè fiet credibile. Videtis enim vos formosam puellam, eiusque possessionem, tanquàm summum bonum, vobis finem proponitis. Certè impressa est in animis vestris huius summi boni species; & tamen non adhuc actu est possessio hæc iucundissima; quo pacto igitur sui speciem impressit? mirum ni per partem præsentem actu, id est pulchritudinem; quæ pulchritudo statim vobis in memoriam reuocat, quantam ex alterius pulchritudinis possessione voluptatem cœperitis, atque ita cogitatione vobis præsens facitis istud summum bonum, possessionem scilicet huius formosæ puellæ. Id in omnibus consilio agentibus, si attentè animaduertatis, euenire intelligetis, vt finis eorum sit bonum actu, partim re præsens, partim absens: intelligentiæ tamen totum præsens. Ità non dico finem, vt habet esse in anima, mouere, sed finem in re, qui tamen in mente effulgeat oportet. In iis autem, quæ sine consilio agunt, & instinctu naturæ impelluntur, præstò est intelligentia non errans, cuius sapientissimo numine illa reguntur; cui multò perfectius, quàm nostræ, præsens est finis, & bonum, quod sit rebus naturalibus a commodatú. Ergo cum ignis in locum superum, tanquàm in finem fertur, & bonum suum, possessio istius loci re absens, est præsens tamen intelligentiæ; quæ idcircò ignem eò dirigit.

His ità cõstitutis facilè dubitationes initio additæ tollentur. Probabatur primùm; finem non causare cum est, quoniam est terminus motus, & effectum efficientis; dico accipi in ista argumentatione finem non eum, qui ex parte tantum actu re ipsa existat; qui reuera principium, & causa finalis est; sed qui totus iam actu re ipsa existat: hunc autem non causam, sed terminum esse iam statuimus. Ad illud de desiderio, quod est rei absentis, iam diximus non esse totum actu re ipsa præsentem; idcircoque desiderio locum relinqui, Idque innuebat Alexander ix. Metaph. com. vi. Rationibus etiam probantibus finem non causare, cum non est, nihilo difficilius satisfiet. Mouet enim finis, & sui speciem imprimit per partem præsentem; pars autem absens vi, & efficacitate mentis nostræ, aut superioris expletur ex alia quadam simili re, quæ iam actu fuerit, & sui speciem in memoria reliquerit. Itaque finis est bonum, & optimum quiddam, atque idcirco actu est, verum nondum adhuc totus in re, sed ex parte quadam ab intelligentia anticipatus. Quod igitur est extra animam, mouet vt finis, non tamen sine sui specie impressa in animo. Conferantur cum his, quæ à Iandunо dicuntur, & à Leone Hæbræo ad initium primi Dialogi, aut ab aliis probatis philosophis: apparebit, nisi quid fallor, quàm nostra sint veriora, & explicatiora. Theologus autem, cuius mentionem Iand. facit, qui censuit finem mouere pro sua, vt inquit, realitate, voluit fortasse significare finem mouere pro essentia, quam habet: quæ essentia, vt alibi declarabimus, abstrahit ab actu, & potentia: effectò; ista opinio longè probabilior, quàm ipse Iand. putet, nisi nos vsu docti planè intelligeremus bonum perfectum, & actu existens esse illud, quod à nobis tanquàm finis appetitur. Bonum igitur actu, re futurum ex parte, & ex parte præsens, cogitatione autem totum præsens; sit finis.

Quamobrem; vt ad initium reuertamur, quod à Philopono de fine affertur, falsum est; quem imitatus Zimara in prima contradictione huius libri ipse etiam fallitur; quamquàm quæ de forma dicit, ac de conseruatione entium successiuorum ab efficiente ex Auerr. xii. Met. 41. vera & pulchra sint. Omnino forma est causa rei iam factæ, efficiens rei dum fit,

materia

Explicatio sententiæ ii. de anima. 9

Dubitatio ardua.

Diluuntur argumenta opposita.

Quomodo efficiens, materia, forma, finis causæ rerum.
Cur tantum materiæ, & efficientis, mentio fiat.

materia vtroque modo. Nos igitur aliam causam reddentes, cur materiæ tantum & efficientis mentio fiet, dicimus in efficiente includi finem, quoniam omne efficiens efficit fine sibi proposito (vt patet ii. phy. à lxxv. vsque ad lxxxvii.) & in fine contineri, & significari efficiēs; quoniam finis significat agens significatione necessaria: libro de substantia orbis cap. ii. Ex quo Aristoteles interdum in generationis causa reddenda materiæ duntaxat, & finis mentionem facit, vt primo de partibus animalium cap. pri. quoniam finis, vt diximus, significat quoque efficiens; interdum materiæ, tantum, & efficientis, vt pri. de generatione animalium cap. primo, & secundo capite secundo; quinimo primo libro cap. primo asseritur idem esse agere de generatione, atque de causa efficiente; quoniam scilicet in efficiente includitur notio finis; quodque proximè tangit effectum, est ipsa efficiens causa; finis enim potius tangit efficientem, quàm effectum. Attende autem ex ii. de animalium generatione cap. pri. finem huius continuatæ generationis ex cœlo duci: quare cum cœlum quoque statuatur causa efficiens, iure in eo comprehenditur etiam finis. ii. autem phy. lxxii. trium causarum mentio præcipuè fit, materiæ, formæ, mouentis; quoniam, vt diximus, in mouente semper inclusa est notio finis; & per has tres causas dicitur considerari solere causas de generatione, id est in rerum, quæ generantur, natura consideranda tres potissimum illas causas afferri; quis sit terminus generationis, id est forma, quid primum fecit, id est quid sit efficiens, quid passum est; id est, quæ sit materies. Quod si hinc colligas, formam quoque esse causam generationis, scito esse quodammodo causam; quoniam est terminus, sine quo generatio non perficeretur. Auerroes autem in com. illius lxxii. tex. materiæ tantum, & efficientis mentionem faciebat. Quod si concederemus etiam formam verè esse causam generationis, tamen non est vllo pacto causa æternæ generationis, cum ipsa æterna non sit; quare cum hîc causas afferre velimus continuatæ æterno tempore generationis, meritò efficientis duntaxat æterni, & materiæ, quæ ipsa quoque æterna est mentionem fecimus.

Explicatio textus lxxii. ii. phy.

Expeditissima ratio, cur materiæ tantum, & efficientis, minimè autē formæ mētio fiat

3 *An Philosophus etiam naturalis de actu, & potestate loqui possit.*

IN Quæstionem cadit, cur nam materiæ, & generationis naturam patefaciat nunc nobis Arist. per actum & potestatem; cum voces istæ perspicuè sint primi philosophi, & ob hanc causam repudiatæ ab Arist. pri. phy. lxxviii. Ibi. n. cum hanc eandem quæstionem tractaret, fierent ne, quæ fiunt, ex ente, an ex non ente; respondebat fieri ex ente per accidens, & ex nō ente per accidens; explicationē aūt istius quæstionis ab actu, & potētia ductā aliò relegabat, i. ad primam philosophiam. Dico, vt in proximè sequente quæstione copiosius dicam, maximā esse naturalis, & pri. philosophiæ inter se coniunctionem; nec fieri posse, vt naturalia sine aliquibus vocibus metaphysicis tractentur, ac præsertim istis actu, & potestate. Constat ex definitione motus, vbi omnes voces metaphysicæ sunt; Motus est actus entis potestate, quà potestate est; constat ex definitione animæ; Anima est actus; & ex aliis sexcentis locis. Cæterum hoc inter naturalem, & primum philosophum interest, quòd naturalis isthæc nomina ex communi quadam hominū intelligentia accipit; primus autem accuratè perpendit, resq; illis vocibus significatas ad viuum resecat. Hinc Arist. vi. metaphy. dicebat, solam primā philosophiam cognoscere, an res sint, & quid sint. Ipsa enim est, quæ integrè, & perfectè rerum naturam comprehendit. Reliquæ verò scientiæ leuiter attingunt, atque à sensu, & inductione accipiunt. Ita prima philosophia confirmat principia reliquarum scientiarum; ac merito ab Aristotele in proœmio sapientia appellatur; id est summum scientiæ fastigium: & scientia omnino indemonstrabilis ab Ammonio in categoria qualitatis: qua de re alibi. Ergo diligentius de ista distinctione inter actum, & potestatem in prima philosophia est agendum; idque sibi voluit Aristoteles pri. phy. lxxviii. sed tamen nonnulla etiam hîc attingere & libare possumus, quæ satis sint ad propositarum quæstionum explicationem.

Quomodo sola pri. philosophia cognoscat an res sit, & quid sit.

4 *An de primo mouente agat Philosophus naturalis ex textu xiiii.*

Opinio Auerrois

DVbitari solet, an de primo mouente agat philosophus naturalis. Auerroes quidem non dubitat in proœmio phy. & iii. metaphy. iii. & ii. phy. lxxii. & alibi sæpè. Sed dicitur contrà; Primum mouens est solutum, & abstractum à materia: quæ autem à societate materiæ sunt libera, non pertinent ad philosophiam naturalem primo de partibus animalium cap. pri. hæc enim auctoritas communiter affertur; & quàmuis nihil ad propositum (loquitur enim ibi Arist. de iis, quæ sunt soluta ἐξ ἀφαιρέσεως, id est per remotionem materiæ, qualia sunt mathematica) tum ex vi. metaphy. & ex aliis sexcentis locis satis con-

Argumenta contra Auerroem.

stat

ftat ad naturalem philosophum ea tantum pertinere, quæ materiæ sunt immersa. Respondet Auerr. ii. phy. xxvi. & alibi sæpè, quòd sint aliqua entia abstracta, à naturali philosopho nos doceri, quid autem sint, à primo Philosopho. Contrà eiusdem mentis est, considerare an res sit, & quid sit vi. metaphy. primo. Responsio communis est, quæ Praeceptori etiam meo probabatur, ad eandem scientiam pertinere, an res sit, & quid sit, si hæ quæstiones in iisdem terminis versentur; vt ad philosophum naturalem pertinet inuestigare, an sit primũ mouens, & quid sit primum mouens; ad primũ philosophum, An sit Deus, & quid sit Deus. Contra multa possunt afferri. Primum mouens, quà primum mouens, mouet vt amatum, ac desideratum xii. Metaphy. xxxvi. Hoc autem nil aliud est, quàm esse vltimum finem: ex quo si philosophus naturalis cognoscit quid sit primum mouens, cognoscet etiam, quis sit vltimus finis; quod tamen nemo dubitat falsum esse. Hinc Auerroes ii. phy. lxxii. inquit, naturalem non agere de quiditate istius motoris, sed tantùm probare ipsum esse. Præterea esse primum mouens, est affectio quædam Dei insequens naturam ipsam diuinam; ergo per naturam diuinã cognosci debebit: omne enim posterius debet cognosci per prius, à quo pendet. Alio pacto respondet Zimara in iii. contrad. vi. Metaphy. veram esse sententiam Aristotelis, cum quæstio, an sit, explicatur à priori, minimè autem, cum à posteriori. A priori.n. cognosci non potest rem esse, nisi per essentiam, & naturam suam; quæ quidem definitione patefit; idcircoq; eiusdem mentis est cognoscere rem esse à priori, & quid sit. Hæc autem accipere se inquit ab Aristotele, & Auer. ii. post. 8. Ergo si naturalis demonstraret à priori abstracta esse, certè etiam tractare deberet, quid illa essent; sic nihil primo philosopho relinqueretur. Nunc autem à posteriori demonstrat. Verùm quæro ego de Zimara, cur ista quæstio, an abstractum sit, appellari naturalis quæstio debeat; non enim aut ex parte subiecti, aut ex parte attributi (à quo verè propositiones, & quæstiones diiudicantur) quicquàm video; quod nõ potius ad primum, quàm ad naturalem philosophum pertineat. Aristoteles sanè illo pri. tex. vi. Metaphy. idcirco docebat in specialib. scientiis non tractari, an res sit, quia tractari non põt quid sit; eiusdem aũt mentis est tractare quid sit, & an sit. Ergo si quæstio, quid abstracta sint, est quæstio primi philosophi, erit etiam eiusdem altera, an abstracta sint. Quamobrem tametsi cõcederemus quæstionẽ, an abstracta sint, à naturali philosopho explicari à posteriori, illud tamen teneremus à primo philosopho tractari à priori; ideircoque propriam huius esse appellandam. Constabit id magis, si illud tenueris, quod ab Eustratio ii. post. com. t 31. & alibi sæpe, atque adeo ab Aristotele ipso doceris, in affectionibus eandem esse quæstionem, an res sit, & quale quid sit. Idem enim significat, an sit Eclypsis, & an Luna pati queat eclypsim. Affectiones enim non sunt sine subiecto; idcircoque non possumus verè scire illas esse, nisi subiectum quoque cognoscamus. Quamobrem idem etiam dictu est, primum mouens est, & Deus est primum mouens. Quamobrem cum Deum esse primum mouens, sit propositio diuina, pendet enim, vt dixi, ex intima essentia ipsius Dei; certè primum mouens esse, erit propositio diuina. Hinc Aristoteles ii. phy. lxxi. absolutè dicebat, quæcunque non mota mouent, ad philosophum naturalem non pertinere, sed tantùm illa, quæ mouent mota.

Explicatio xiiii. com. Auer. vbi scribit substantiã vtriusque mouentis, id est Dei, & cœli à pri. Philosopho explicari.

Quòd si Auerroes in hoc libro com. xiiii. inquit à pri. philosopho explicari substantiam vtriusque mouentis æterni; mouentis scilicet immobilis; & mouentis perpetuò moti, cuiusmodi cœlum est; multo tutius videbitur colligi posse de mouente immobili, neque etiam, an sit, à naturali esse disputandum: ii. n. phy. lxxi. & lxxiii. quæcunque mouent non mota, excluduntur à naturali philosophia; minimè autem quæ mota mouent. Ergo si magis illa, quàm hæc, sunt aliena à naturali; & tamen de his quoque disputare tantum potest, An sint (nam substantiam inquit nunc Auerroes à diuino considerari) profectò de illis, quæ tantò magis sunt aliena: ne istud quidem, An sint, tractare poterit. Hac tamen Auerrois auctoritate non multum nitimur; quoniam fortè significare voluit animam, & mentem cœli, quæ substantia cœli quodammodo est, quæ à diuino consideratur, non autem substantiam ipsius Globi, quæ à naturali. Non admittimus autem, vt videtis responsum, quod affertur à Zimara in ii. contradictione huius libri. Inquit enim ille, considerari cœlum à pri. philosopho quatenus substantia est, & ex principiis substantiæ compositum: verum hoc pacto etiã res caducæ à diuino considerantur; sed hoc aliàs. Amauit enim se Zimara in his rebus ad rationem considerandi naturalem, ac theologicam pertinentibus, vt patet quarta contr. pri. phy. & xxxii. eiusdem, & xiii. contrad. iii. mihi tamen nunquàm expleuit animum; atque alio tempore illius errores patefaciam.

Aduersus Zimaræ explicationem

Propria opinio.

Statuerim igitur ego illud primum, naturalem, & primam philosophiam arctissimo inter se vinculo contineri ex Simplicio in prologo viii. phy. vnde ducta est ratio inscriptionis librorum primæ philosophiæ; sunt enim vocati τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ. Deinde illud quoque

verissimum

verissimum crediderim, eodem pacto in omnibus scientiis explicari vtranque quæstionem, an res sit, & quid sit. Nam si vna integrè explicatur in aliqua scientia; & altera etiam integrè explicatur; sin vna non integrè, neque etiam altera. Quamobrem cùm prima tantùm philosophia perfectè atque integrè, quantum homini fas est, essentiam rerum abstractarum, & ipsius primi mouentis cognoscat, sola etiam illas esse perfectè cognoscet: quod, vt diximus, ex initio vi. Metaphy. clarissimè colligitur; quemadmodum etiam demonstratio afferens causam, demonstrat simul rem esse. Atqui, cum esse primum mouens sit, vt diximus, affectio quædam diuinæ naturæ, aut certè à nobis concipiatur, quasi posterius quiddam, profectò nunquàm integrè scietur esse, nisi quod prius, & superius est, id est diuinam ipsam naturam cognoscamus. Imperfectè autem atque inchoatè vtraque quæstio à philosopho naturali tractatur ob coniunctionem, quam habet cum primo philosopho. Cognoscit enim naturalis per motum dari aliquid primum mouens; verùm non cognoscit integrè; quoniam non cognoscit, cui naturæ insit ista affectio. Cognoscit etiam imperfectè quid sit. Explicabit enim illud tenui, & leui definitione dicens, primum mouens esse id, quod à nullo motū mouet primum corpus: non autem sciet, mouere tanquàm amatum, & desideratum; istud enim esset perfectè cognoscere; quod à primo philosopho est expectandum. Hinc Aristoteles iii. de cœlo ii. inquit, esse quædam ingenita, & immobilia magis ad alteram, & priorē philosophiam, quàm ad naturalem pertinere, Inquit *magis*, quoniam, vt diximus, prima perfectè cognoscit esse; naturalis inchoat tantum istam cognitionem. Ex istis autem verbis perspicuè colligitur, quæstionem, an abstracta sint, propriè esse quæstionem Theologicā. Ad illam enim scientiam aliqua quæstio propriè pertinet, in qua scientia potest illa perfectè explicari. Atqui dum naturalis cognoscit, & probat abstracta esse ob coniunctionem, quam cum prima philosophia habet, supra se quodammodo ascendit; ex quo dixit Olimpiod. initio iiii. Meteor. & Simplicius viii. phy. & Philop. pri. de anima & iii. Aristotelem illo viii. Theologi quodammodo personam induisse, rerum serie, & connexione illum quodammodo inuitante. Sic in libro de animalium motione disseruit de motu cœli, re à proposito satis aliena; Sic vi. Eth. de sapientia, & scientia, & x. de felicitate in contemplatione sita, rebus ad moralem philosophiam nullo pacto pertinentibus. Atqui dum ille octauo libro probat abstracta esse, vtitur fortè aliquibus principiis Metaphysicis, vt illo, non dari progressum in infinitum. Quàmuis enim hoc axioma videatur de illorum numero esse, quæ sunt communia pluribus scientiis; de quibus Themistius, & Philoponus ii. capite primi. posttamen cum valde commune sit, magis Methaphysicū nuncupari debet, quàm naturale. Vti autem cogitur naturalis multis propositionibus Metaphysicis, ex communi tamen quadam intelligentia acceptis; vt proximo superiore theoremate ostendi; quemadmodum etiam Theologus, dum eadem probat esse, vti cogitur nonnullis principiis naturalibus: quàmquam adhibet etiam propria, vt illud, substantiam esse priorem accidente.

Prima philosophia integrè tractat, an sint abstracta, & quid sint.

Imperfectè vtraque quæstio à naturali etiam tractatur.

Explicatio ii. tex. iii. de cœlo.

Quæstionē, an abstracta sint, propriē esse Theologicam.

Vt igitur ad rem redeamus, verissimum est, quod ex Eustratio attulimus, idem esse cognoscere eclypsim esse, atq; Lunam pati eclypsim, si perfectè cognoscere debeamus eclypsim esse: imperfectè tamen posse cognosci aliquam affectionem esse in rerum natura, ignorato proprio subiecto; & sic à naturali cognosci primum mouens esse, quàmuis non cognoscatur, quænā natura sit, primum mouens. At inquiunt, primum mouens includit rōem motus; ergo à naturali integrè tractari debet. Respondet ipsemet Arist. ii. phy. lxxi. & lxxiis. illa tantùm mouentia pertinere ad naturalem, quæ mota mouent; omninoque sunt mouentia naturalia, id est in se continentia principium, cur moueantur, & quiescant: Natura enim est principium, vt res moueantur viii. phy. xxxii. Ergo nō quicquid habet aliquem respectū ad motum, naturalis contemplationis est; sed quicquid moueri potest; aut in eo infixum, & inclusum est, quod potest moueri. Nam sanetur homo principio ducto à Medico, & sanatione absoluta à natura; profectò quàmuis ars fuerit principium, vnde iste motus naturalis, sanatio inquam, prouenerit; non tamen artis istius cognitio ad naturalem philosophiam pertinebit: Sic non omnis causa, vndè motus, ad philosophum naturalem pertinet. Ac sanè, vel vltimus finis habet aliquem respectum ad motum (is enim intelligitur postremus finis, quò & mobilia, & immobilia referuntur) nec tamen sub naturalem contemplationem cadit. Quòd si Aristoteles ii. phy. lxxiii. dicebat mouens illud immobile esse mouens physicè: vel illa vox *physicè* intelligenda est, vt significat ex intima essentia, atque natura, quomodo omnes ferè interpretantur; aut quatenus mouens illud est initium motus physici; nam mouēs non physicum potest esse initium motus physici; vt Sol, qui non est calidus, potest esse principium caloris; quæ est Philoponi interpretatio, & longe, nisi fallor, cæteris præstantior.

Quomodo naturalis consideret primum mouens.

Refutatio rationum probantium à naturali consíderari primū mouens.

Explicatio tex. 73 ii. physicorum.

An materia

§ *An materia sit actu, ac de essentia materiæ.*

NOtat Philoponus com. 50. & 54. materiam, tam & si potestate sit respectu habito ad ea, quæ existunt, & per se consistunt, hæc n. omnia potest euadere, tñ esse actu materiam: nam si materia esset potestate materia, non esset subiectum generationis; sed ipsa quoq; necesse esset, vt per mutationē euaderet actu materia. Themistius etiam pri. phy. in tex. lxi. digressione, quã auream vocant, materiã aliquid esse actu statuit. Id multis mirum videri potērit; qui audierunt actum semper vocari formam; & quod est actu, esse per formam; ex quo Auerroes hoc loco formã inquit esse, quod est actu. Scotus induxit actum quendam entitatiuum; cuius participem statuit materiã pri. idcircoq; illã posse à forma separatã consistere; aduersus quem multis argumentis pugnant D. Thomæ sectatores. Nos oblatã occasionem ea pidē arripientes naturã materiæ, quantū omni studio consequi poterimus, vobis patefacere aggrediemur. Res. n. vt difficilem explicationē habet; ita magnæ est vtilitatis.

Natura materiæ primæ, vt scitis, pri. phy. est inuestigata per similitudinē quandam mutationis artificiosæ. Nam quemadmodū, eū ars molitur aliquid, vt statuam, vel lectū; semper aliquod subiectū adest, vt marmor, vel lignū; ita cū substantiæ à natura generantur, subiectū aliquod adsit oportet; quod nouã formã accipiens maneat, illamq; sustentet; atq; omnino ex quo omnia fiant, & in quod omnia abeant: hoc autem est materia prima. Ac veluti si quis semper personatus incederet, siue eandem siue varias personas gereret, sciremus quidem aliquod esse illis personis subiectū; quale tñ istud esset, quamq; formã haberet, ignoraremus; ità cū semper materia prima formis prædita, & quasi personata, dicebat Simplicius, appareat; scimus quidem illã esse formarū subiectū; sed qualis nã, cuiusq; naturæ sit, difficillimè, ac non nisi accerrima mentis agitatione possumus intelligere. Explanemus aūt primùm illã Themistii digressionem; deinde cætera afferemus. Dubitat Themistius, quî nã materia æterna esse queat, si sua substãtia potestas est; potestas autem priuationem adiunctam habet (non. n. materia pôt recipere formã, quã iam habet; sed illam, qua caret) priuatio aūt aduentante forma abo letur. Dissoluit hunc nodū statuens, dupliciter aliquid alicui inesse posse, absolutè, & respectu ad aliquid aliud habito: ligno, exempli causa, esse bipedale absolutè conuenit; esse autem duplū vel simplū, cōuenit quã cū alia magnitudine cōfertur. Ita materiæ primæ duplex notio est, vna absoluta, altera ex collatione. Si materia p se spectetur, conueniunt illi hæc attributa, esse ens, & substãtiã actu; sin ad formas referatur, esse potestate; quod idē hoc loco ex Philopono notauimus. Cum aūt hæc natura tùm materies, tùm subiectū nominari soleat, censec subiecti nomen propius ad illã accedere absolutè consideratã, nomen aūt materiæ significare potius respectū ad formas. Subiectum. n. dicitur, quã formam iam habet. Cum aūt adest forma, adest etiam absoluta illa essentia materiæ, quàmuis corrupta sit potestas ad hanc formã recipiendã. Materia aūt dicitur, quã pôt recipere aliquam formã: sic respectus ad formã isto nomine significatur; qui respectus priuationem includit, & aduentante forma delebitur; cæterum neutrum ex istis nominibus naturã istam omnino absolutè considerată exprimit: de quibus nominib. aliàs à nobis copiosius differetur. Addit, vocem illam, exquale, quam solemus materiæ attribuere, esse potius negationem quandam, quàm veram priuationem, neque in ea consistere essentiam materiæ: quod diligenter ab Alexan. explicatur 2° quæst. nat. c. 7° & ostenditur materiã suaptè natura, nec esse qualem, nec exqualem, hoc non qualem, sed potius dicendū non esse qualem i. non habere in sua natura inclusam qualitatem, aūt absentiam, & negationem qualitatis: ac licet quale, & non quale sint contradicentia, tñ hoc loco non efficiunt enunciationes contradicentes, idcircoq; ambo de materia falsò afferuntur. Adest. n. modus iste *suapte natura*, à quo modo diiudicantur enunciationes, sint ne contradicentes, an secus. Quamobrem, sicuti ambæ hæ falsæ sunt, Pompeius necessariò est iustus Pompeius necessariò est non iustus; ità hæ ambæ sunt falsæ, materia suaptè natura est qualis, materia suaptè natura est non qualis. Idcirco Arist. 7° Metaph. 8° inquit materiam secundum se nullum esse ex prædicamentis, neq; etiam esse negationem illorum. Contradicentes aūt erunt, si ita proferantur. Materia suapte natura est qualis, materia non suapte natura est qualis; atq; ità vt prior falsa, sic posterior vera erit; quod etiã vidit quadãtenus Zimara in tabulis in illis verbis, *materia secundum se non est quid*, & in illis *materia prima est vna numero*.

Idem aūt Theore. xv. & in xxxiii. cōtradict. pri. phy. & in tabulis in illis verbis *materia substentatur per posse*, hunc locū de natura materiæ ptractans, reprehēdit eos, qui putant in materia duplicē spectari debeī potestatē, alterã remotam, per quã nullam certã respicit formam; alteram propinquam, per quã ad certã formam respectum habet, atq; in pri notione materiæ includi remotam illam potestatem, propinquã autem minimè, sed in secunda notione illius. Reprehendit autem eo nomine, quòd materia in prima notione tanquam absolutum quiddã vt Themistius dicebat, concipi debet; at omnis potestas relationem significat: atque omni no ista materiæ remota potestas est potestas patiendi (aliã. n. speciem potestatis esse non posse

De natura materiæ.

Explicatio digressionis Themistii.

De nomine materiæ, & subiecti.

De voce illa exquale.

Interdum contra dicentia non diuidere verū à falsò.

An in materia duplex spectetur potestas.

K ostendit

ostendit) potestas autem patiendi, vt satis constat ex illius definitione v. Metaph. tradita, refertur ad aliud, à quo pati, & imutari res pôt. Affert igitur ipse tres notiones materiæ (quãuis verbo duas ponat, sed re ponit tres) in quarum prima materiam vult esse absolutè ens, & substantiam; sicque pertinere ad primũ philosophum, congruenter iis, quæ ab Auerroe dicũtur ii. phy. iiii. & xxi. & vii. Meta. ix. & viii. Meta. iiii. In 2. autem, cũ iam accipiat relationẽ & respectum quendam ad formas, euadere ens, & substantiam potestate, sed transcendenter tantum (vt illius verbis vtar) considerari; quatenus. s. illi conueniunt ista attributa transcendentia, ens, substantia, potestas; quòd Auerroi etiam placet eodem vii. Meta. com. ix. Ex quo ab Aristot. 8. Metaph. disputatum est, quomodo ex materia tanquàm potestate, & forma, tanquam actu fiat verè vnum. Tertia aũt notio ipsius erit, si tanquàm potestas limitatè consideretur. i. quà per motum, & mutationem variis formis subiicitur; atque illhæc notio philosophi naturalis est. Ergo in prima illa notione materia est absolutum quiddam; nec substentatur per posse primo phy. lxx. at in in secunda, ac tertia notione substentatur per posse primo capite de substantia orbis: quare paulòpost addit Auerroes, *posse, quo substantiatur hoc subiectum, differre à natura subiecti, quod substantiatur per hoc posse*, propterea quòd *posse* significat respectum ad formam; hoc autem subiectum est vnum entium existentium per se. Ita omnes Auerrois sententiæ mirificè inter se consentient.

Variæ notiones materiæ à Zimara traditæ.

Aduersus Zimaram.

Sed aduersus hanc Zimaræ sanctionem multa dici possunt. Primum adsunt aliæ Auerrois sententiæ, quæ à Zimara non expenduntur. Nam in Epistola de connexione intellectus abstracti inquit entitatem materiæ esse in potentia, & ad finem libelli de animæ beatitudine materiam esse ens, & in se ipsa, & in sui natura propter formam. Ergo in se ipsa non est absolutũ quippiam, sed semper potestas est, ac refertur ad formam. Ex quo Arist. vii. Metaphy. viii. *materia secundum se non est quid, nec quantum, nec quale, sed potestate hæc omnia*. Ergo *secundum se*. i. in natura sua est potestate. Deinde non videt Zimara, si materia in prima notione sit tantum ens, & substantia, fore, vt illius essentia absoluta sit notio tantum quædam, non aũt res. Ista. n. attributa, ens & substantia, sunt communia æternis, & caducis rebus; quibus rebus nulla natura communis esse potest, sed tantum notio quædam; vt infra ostendemus: quare si materia in prima notione esset tantum ens, & substantia, profectò esset notio quædam, non aũt natura realis. Præterea Zimara in eo theoremate xv. inquit Deum in sua essentia esse actum purissimum; ergo materia in sua essentia erit purissima potestas; cum sit alterum extremum latitudinis entium. Præterea viii. Metaph xv. ex materia & forma fit verè vnum, ꝙ illa est potestas, hæc actus; in composito aũt manet non tantum respectus, sed etiam essentia ipsa materiæ, & formæ; nec volumus nos scire, quî ex illarum mutuo respectu fiat verè vnũ, sed quî ex vtraq; illa essentia; quare essentia vera materiæ, potestas: formæ actus sit oportet, quod eò magis Zimaram condemnat, quòd ille reprehendit eo in loco ponentes actum entitatiuum in materia, reprehenditq; ob eam causam, ꝙ causa vnitatis ab Aristotele allata nulla esset. Eadem igitur aduersus ipsum ratio valet.

Quod absoluta materiæ cognitio ad naturalem pertineat.

Quod etiam inquit Zimara, materiam in prima & 2ª notione ad primum philosophum ptinere, in 3ª tantum ad naturalem, mihi non satis probatur; præsertim si sequar, quæ ab illo dicta alio loco sunt. Nam putat ille in annotationibus in Iandunum, hominem, vt est absolutè animal rationis compos seclusa ratione motus, pertinere tamen ad philosophum naturalem, quoniam ex illa essentia absoluta sequitur deinde motus: cur igitur non ego absolutam materiæ essentiam ad philosophum naturalem pertinere putem, cum ex illa absoluta essentia pendeat, & sequatur habilitas, & propensio ad motũ? præsertim cũ idem fateatur, à pri. philosopho essentias rerũ speciatim non cognosci, sed tñ vniuersè; essentia aũt materiæ absoluta speciale quiddam sit oportet, non aliis rebus commune. Profectò absoluta ista, & peculiaris essentia materiæ non est abstractum per essentiam, neq; per indifferentiam; ergo ad primum philosophum profectò non pertinet.

Propria opinio.

Acriter mihi in hanc rem considerationem intendenti, visa est hac similitudine posse aperiri. Accipiatur cera ita mollis, ac flexibilis, vt in omnes species formari queat. Mollicies ista & flexibilitas, licet instituta ab effectore sit ad formas accipiendas, tñ est absoluta quædã qualitas; ad quam qualitatem sequitur habilitas ad formas accipiendas. Talem ego putarim esse naturã materiæ primæ, infinitã, vt ita dixerim, molliciem, ac flexibilitatẽ; quare absolutũ quiddã esse: verũ ad istã talem naturã absolutã sequi potestatẽ formarũ accipiendarũ. Quãobrem si materia vt absolutũ quiddã spectetur, non erit tantũ ens, & substantia, atq; ita mera quædã notio, vt Zimaræ confitendũ erat; sed erit substantia, & ens, tale, id est ens quiddã tenuissimũ vt aiebat Simp. ii. de aĩa. ii. mollissimũ, ac maximè flexibile; ita habebit certã & specialẽ nãm. Quemadmodum autem molle, & durum, licet absolutæ quædam qualitates sint, tamen à nobis per respectum quendam definiuntur, tanquàm nobis notiorem (molle enim definitur

tanquàm

quod facilè in se ipsum cedit, durum quod difficulter iiii. Meteor. xxix. cedere autem significat respectum, & habitudinem ad comprimens) ita isthæc natura materiæ absoluta, quã ego non absurde, nisi fallor, infinitã quandam molliciem voco, à nobis per respectũ ad formas, & per potestatem illarum excipiendarum intelligitur; idcircoq; ab Aristotele materia secundum se dicitur esse potestate. Auerroes autem sedulo anquirens, quo cõmodiore vocabulo istam absolutã naturã materiæ posset exprimere, in libro de animæ beatitudine capite secundo possibilitatẽ vocabat, docebatq; possibilitatem differre à potentia, qm̃ possibilitatis nomẽ indicat ipsam naturã rei, potentia aũt refertur ad recipiendũ; vt in ferro est possibilitas, qua in ensem cõuerti põt; est etiã potẽtia. Sed possibilitas ipsam naturã ferri magis significat, estq; vt inquit, magis substantialis, & generalis, & præcedit in intelligentia, quia est præparatio fixa & stabilis in substantia talis rei, per quam etiam habet potentiam, vt efficiatur hoc, vel illud. Volebat .s. Auerroes nomen aliquod inuenire, quod minus significaret respectum, quàm potestatis nomen (in hoc enim statim elucet respectus ad actum) vt nos flexibilitatis, & molliciei nomina vsurpauimus; quàmuis neque hæc satis propria, sed nonnihil absolutam illam naturam significantia. Quemadmodum igitur (res enim est sæpius repetenda) ex duricie ferri sequitur habilitas ad formam ensis accipiendam, ita ex hac molli & flexibili natura materiæ, quam possibilitatem Auerroes vocauit, sequitur potestas omnium naturalium formarum excipiendarum. Quàmuis autem re ipsa videatur posterior isthæc potestas; quàm essentia illa absoluta; tamen, quòd ad naturæ consilium pertinet, prior est. A fine enim materia suas accipit conditiones; quemadmodum ferrum idcirco durum est, quoniam est factum ad incidendum. Ita materia prima est flexibilis, ac mollis, vt formam possit accipere. Forma enim est finis materiæ. Quamobrem dicebat Aristoteles ix. Metaph xv. & alibi sæpè, quæ sunt posteriora generatione, esse priora naturã, vt infra diligentius ostendemus. Si igitur Naturæ ac Dei consilium spectes, prima notio materiæ est hæc, vt sit instituta, ac referatur ad formam; eamque accipere, & substentare queat, idque sibi volebat Auerroes in verbis à me allatis ex fine libelli de animæ beatitudine. Secunda autem notio est, vt talem molliciem, ac flexibilitatem habeat, per quam istum finem consequi queat. Ita respectus erit prior, quàm absolutum. Re ipsa autem, & origine primo materia est istiusmodi natura; deinde ad talem naturam sequitur potestas formæ accipiendæ. Ita origine prius est absolutum quàm respectus, illudque ad primam materiæ notionem, hoc ad secundam pertinebit. Est igitur essentia quædam absoluta materiæ, quæ à forma non pendet, nisi tanquàm à fine; atque ista absoluta materiæ essentia, quoniam caremus nominibus commodioribus, exprimitur à nobis quidem infinitæ cuiusdã molliciei, & flexibilitatis voce (quàmuis isthæc nomina esse tralata probe sciamus) ab Auerroe aũt possibilitatis, ab Aristotele potestatis, vt ix. Metaphy. viii. & primi subiecti, vt primo phy. lxxxii. Potestatis autem nomen accipiendum est de remota illa, quæ formã generatim, minimè aũt speciatim, & hanc potius, quàm illã spectat. Idcirco quàmuis diuersæ notiones sint materiæ, vt est absolutum quiddam, atque vt est potestas vniuersè spectans formam; tamen quasi eadem accipiuntur; quoniam absoluta illa essentia non nisi ista voce potestatis, aut simili quapiam exprimi potest.

Explicatio sententiæ Auerrois in lib. de anima beatitudine.

Verum sit prior absoluta materiæ natura an philosophias.

In notione autem ista, cum potestas ista remota sit tam accipiendæ, quam substentandæ formæ; & nobis etiam indicet quodammodo absolutam naturam materiæ; materia non consideratur vt priuata. Nam ista absoluta essentia, istaque potestas remanet etiam sub forma; idcircoque dicebat Aristotele v. Metaphy. ix. materiam ex sua potestate esse immutabilem, & Alex. ii. questionum naturalium cap. vii. aptitudinem .i. vt Auerroes loqueretur, possibilitatem materiæ docebat remanere susceptà etiam formà. Ac præterea, quemadmodum in materia non possunt recipi omnes formæ simul, ita non potest verè dici omnibus priuata. Potius igitur materia in ista notione non habet formam, quàm sit priuata formis; quẽadmodum Arist. vi. Top. loco xxxii. cõcedit genus non habere differentiã. At si materia spectetur, vt iã suscepta aliqua forma, reliquas eodem tempore substinere non põt; sic priuata illis dicitur, & ad illas tñ potestatem habere; quæ potestas est potestas recipiendi; non posset autem recipere, nisi priuata esset. Hæc igitur illa potestas est, quæ à Them°. accidens vocatur materiæ, & caduca ponitur, qm̃ includit priuationem, qua deleta ob aduentũ formæ, ipsa quoq; aboletur. Est aũt nihil aliud quã absoluta illa & remota potestas materiæ arctata iã, & quasi specialis reddita ad aliquã formã recipiendã per priuationem illius. Atqui, vt absoluta essentia materiæ nõ pendet à forma, nisi tanquã à fine, ita potestas ipsa pendet quodammodo formaliter à forma. Habet .n. potestas suã essentiã in hoc, vt referatur ad formã & actũ. Ita materia absolutè spectata, & forma sunt relatiua tñ secundũ dici, potestas aũt, & actus relatiua secundũ esse, non tñ secũdũ dici; ita .n. nři loquũtur; neq; vnũ sine alterius distincta cognitione distinctè cognosci potest. His ita constitutis age iam videamus, quã materia per se spectata sit actu.

Quid sit specialis potentia materiæ.

Quomodo materia per se spectata sit actu.

Esse actu plerunqoe significat per se, suisque viribus posse in rerum natura consistere, & esse hoc aliquid, vt Aristoteles loqui solitus est; quod formis à materia solutis conuenit; quæ sunt & actus, & actu; ac præterea cœlo, & corporibus inferioribus, ex materia, & forma coostantibus. Nam neque materia, oeque forma, cum minimè siot integra quo dammodo cotia, sed dimidiata, possunt per se coosistere; sed voa alterius auxilio eget. Cou iunctæ enim integrum quiddam ens coostituerunt, quod per se ipsum constare valet. Hoc igitur actu, qui à nostris vocator Demonstratus, noo cohæret materia per se, si congruenter initiis Aristotelicis loquamur; in quo decepti sunt Scotus, & qui è Scoto. Quod si congrueoter sanctæ fidei loquamur, puto diuinæ voloocatis vi materiam per se cohærere posse; atque ita Scotum potius, quàm Thomam sequor. Arbitror enim magis pendere accidentia à subiecto, quàm materiam à forma, & tamen in Sacrosaocta Eucharistia accidentia sine subiecto coosistunt. Sed ad philosophos reuertamur: vidimus, quid significet esse actu vna notione; verùm est & altera. Esse enim actu interdum oil aliud significat, quàm habere essentiam suam extra facultatem efficieotem mouentis causæ, & patientem materiæ; quemadmodum illud dicimus potestate esse, quod adhuc latet intra vim efficientem mouentis, & facultateio patieotem materiæ. Significauit hunc duplicem modú existendi actu Alex. v. Metaphy. com. ix. dicebat enim materiá, quàmuis naturam & essentiá suam semper retineat, per se tameu nihil esse actu, vt hoc aliquid; quasi esset tamen actu nó vt hoc aliquid, sed alio quodam modo; qui nunc à nobis est patefactus. Materiæ enim essentia nó latet inclusa io vi efficiente Dei, aut in facultate patieote alterius materiæ; cæteroqui gigocoda adhuc esset; sed actu existit, quod sibi Themistius, & Philopoous, & cæteri præstantissimi Philosophi voluerunt.

Responsio ad argumenta cótraria

Hæc suot quæ mihi de natura materiæ diceoda visa sunt; quibus constitutis non magno negocio, quæ oobis oegocium facessebant, tollentur. Dicebat Zimara absolutam essentiá materiæ noo esse potestatem patieotem, quoniam hæc, vt ex definitione liquet, refertur ad aliud. Coocedimus nos istud oomen potestatis non vsquequaque aptum esse; veruntameo vt molle, & durum, quàmuis absolutæ quædam res sint, tamen per respectum, qui notior est, à oobis definiuotur; ita absoluta illa mollicies materiæ significatur à oobis isto nomine potestatis, quàmuis respectum quendam significante; quooiam iste respectus oobis ootior est, & naturæ consilio etiam prior. Ita dicimus Deum suapte natura esse purissimum actum, & materiam purissimam facultatem; quoniam istis nominibus absolutæ illorum essentiæ à oobis sigoificautur. Noo erit autem materia conceptus, & notio mera, quod Zimaræ valde timeodum erat; quooiam noo dicimus oos ablolutam essentiam materiæ esse tantum ens, & substantiam, sed dicimus substautiam talem. i. tenuissimam, mollissimam, maximè flexibilem. Fit autem vnum quiddam ex materia, & forma; quoniam illa est potestas, hæc actus. i. tales naturæ sunt, ita non integræ, atq; perfectæ, vt vna egeat alterius ad consistendum, voaque alteri subiiciatur, tanquàm facultas actui. Quòd .n. tales naturæ sunt, idcirco vna est potestas, altera actus; ita oou tantum ex respectibus, sed ex illarum esseutiis fit verè vnum corpus.

6 *Vtrum materia recipiat quâ formata est, an quâ non formata.*

Videtur materia recipere quatenos formata; recipit enim per motum; oihil autem mouetur, quod non sit actu viii. phy. com. xxx. Videtur etiam recipere quatenus nou formata; nam si haberet formam, nihil causæ esset, cur ad illam recipiendam moueretur. At hæc inter se videntur pugnare, recipere quatenus formatam, & quateous nó formatam. Dicimus ista optimè ioter se coouenire, formam præsentem, & priuatiooem formæ veuturæ: atque vtrunque est præparatio quædam materiæ ad formam venturam; forma quidem præsens, quoniam per illam materia moueri potest; priuatio autem, quoniam per illam materia appetit formam venturam. Ex qua forma præseos, & priuatio veoturæ formæ; si conferantur cum materia, formæ sunt; nam & priuatio est forma quædam ii. phy. xv. sin conferantur cú forma ventura; sunt præparatiooes quædam materiæ, ac dispositiones vt vocant, materiales. Cum igitur dicimus, materiam quatenus formatam, & quatenus nó formatam recipere; vtrunque verè dicimus, formatam. s. aliqua præsenti forma, priuatam ventura; atque ista vox, *quatenus*, pertinet ad eum modum inhærendi per se (nam per se & quà ipsum idem valent, vt ex iiii. cap. primi post. patet) quem innuit Arist. v. Metaphy. tex. xxiii. explicauit Themistius ii. de anima lxvi. quo quidem modo dicimus superficiem esse per se visilem, quoniam est per se colorata; Nam, vt superficies quatenus colorata cernitur; ita materia, quatenus formata forma præseote, & priuata forma ventura recipit.

Quæ sit vis istius vocis quatenus.

7 *An materia sit causa aeterna generationis, & interitus ex tex. xv.*

ATtulit Aristoteles naturam materiæ tanquam causam æternæ generationis, & interitus. Ex altera parte multi dubitant. Contrariorum sunt contrariæ causæ iiii. Meteor. xlii. & ii. de generatione lvi. Generatio & interitus sunt contraria: ergo contrarias non autem eandem causam habere debent. Respondent omnes, materiam per se esse causam generationis, per accidens autem interitus; neque absurdum esse, ab eadem causa duo contraria effecta prouenire; quotiescunque vnum per se, alterum per accidens proueniat. Ego autem dico materiam nunc afferri causam vnius effecti, non autem contrariorum. Quæstio enim proponitur, cur perpetuò duret generatio, & interitus. Perpetuò durare est vnicum quiddam effectum; quamuis commune sit rebus contrariis. Contraria enim semper aliqua in re conueniunt, vt auaritia, & asotia sunt vitia contraria: ambo tamen immoderata sunt: candor, & nigredo sunt contraria: ac tamen eodem modo cernuntur, per impressionem .s. suarum formarum in oculo. Ita generatio, & interitus sunt contraria: sed hoc commune habent, quòd perpetuò durant. Istud commune effectum à communi causa proficiscitur, nimirum à materia prima. Non tamen satis esset materia: nisi adesset etiam efficiens.i.cœlum. Valet tamen hæc ratio. Adest in rebus inferioribus materia ob suam infinitatem nouas semper formas appetens, atque dum vnam exuit, alteram induens, dum vnam induit, alteram exuens; ergo perpetuò durabit generatio, & interitus; eam scilicet ob causam, quòd facultati isti patienti, cum frustra esse non possit, respondeat facultas efficiens oportet; quo etiam pacto intelligenda est ratio illa Aristotelis de motus cœlestis æternitate, quam ponderat Auerr.in primum de cœlo com. 100.

8 *An generatio vnius sit alterius interitus ex tex. xviij.*

ADuersus istam propositionem, generatio vnius est interitus alterius,& vicissim vnius interitus est alterius generatio, multa afferri possunt. Primũ, si istæ propositiones veræ essent, sequeretur generationem esse interitũ; quod est absurdissimũ. Deinde oritur aliquid sine interitu, vt formæ carentes contrario, quemadmodũ lumen, scientia, sensus. Præterea interit aliquid sine vllius rei generatione: vt cũ mistũ dissoluitur in elementa. Interit.n. forma misti; nec tñ vlla noua forma generatur, Postremo esset semper æqualis earum rerũ, quæ in hac vniuersitate continentur, numerus; quod tamen falsum videtur. Nam grassante pestilentia, malaque vigente anni constitutione, minor, quàm antea esset, euadit rerum multitudo. Non ergo vna re intereunte semper oritur altera. Respondeo, multas propositiones non esse intelligendas formaliter, vt aiunt; dicimus enim quadraturam circuli esse inuentionem mediæ ii.de anima xii. putredinem esse interitum caloris iiii. Meteor. vi.& eclypsim esse interiectionem terræ; quæ omnes attributiones alio quodam pacto sunt intelligendæ, quàm formaliter. Quis enim putet, vt de postrema tantum loquar, eclypsim .i. priuationem formaliter esse interiectionem, quod est positiuum quoddam. Eleganti igitur quodam iudicio opus est, & æquitate quadam ad propositiones intelligendas. Præsens quidem ita à nobis exponatur, Generationem vnius esse interitum alterius, & vicissim.i. generationem vnius rei semper habere adiunctam interitum alterius, & vnius interitum semper habere adiunctam generationem alterius; ac præterea præparationes, quæ ad vnam generandam faciunt, ad aliam corrumpendam facere, & contra. Hinc primum argumentum satis est confutatum; vt omittam, vbi sunt termini distrahentes, non valere consequutionem à coniunctis ad diuisa; quod scribitur ad finem iii. secti libri de interpretatione. Isti autem termini *vnius,& alterius* euidenter distrahunt. Quamobrem vt non sequitur pater Chærephõtis est filius Sophronisci, ergo pater est filius; ita etiam non sequitur, generatio vnius est interitus alterius; ergo generatio est interitus. Secundum argumentum aduersus nos nihil facit, qui loquimur de substantiarum ortu, & interitu. Hæ enim sunt, quæ in sese vicissim mutantur. Ex quo in Epilogo literatè addebat Arist. *& in substantijs generatio vnius est interitus alterius*. Istæ autem formæ, lumen, scientia, species sensilis, sunt perspicuè accidentia. Tertio ita in præsenti occurrimus (nam infra res copiosius, & accuratius tractanda est) in dissolutione, & interitu misti generari, & oriri elementa, quæ per se possunt consistere: nam eum in misto erant, vix substantiæ vocari poterant; quòd ita remissa, ac fracta erant, vt per se, suisque viribus consistere non possent. Quod postremò afferebatur, hoc modo dissoluimus. Ferè æqualis est semper rerum numerus; quoniam, tametsi grassante pestilentia decrescat hominum numerus, crescit contra ex copia cadauerum terra; ac potest etiam ex

multis

multis fieri vnum; quod tantundem posit, & multò etiam plus, quàm illa multa; vt cum ex multis lignis fit vnus ignis. Nibil autem causæ video, cur omnino æqualem semper esse rerum singularium numerum fateri necessariò debeamus.

9 *Vtrum sit prior naturâ generatio, an interitus.*

CVm omnis generatio habeat adiunctum interitum, & omnis interitus generationem dubitari solet, quid nam prius natura sit, generatio, an interitus. Ne in re non valdè difficili longiorem ponamus orationem, omittentes, quæ ab aliis afferuntur, ita dicamus. Ista vox φύσις interdum significat procreationem, & originem, & vt Græci dicunt γένεσιν, vt ii. phy. & v. Metaphy. docet Arist. & ea notione ipse vsurpat vii. Metaph. (vt notat Alex. comm. xvii.) & iii. de anima xvii. quod alio tempore ostendemus. Interdum autè eadem vox significat vim, & essentiam, & perfectionem rei; quod satis notum est. Si priore igitur notione ista vox sumatur; interitus est prior naturà quàm genereratio; non potest enim induci noua forma, nisi vetus antea labefactetur; quare cum interitus vnius sit quasi præparatio ad alterius generationem (non sic autem diceres generationem vnius esse præparationem ad interitum alterius) idcirco prior origine est. Sic prior naturà est potestas, quàm actus. Sin eadem vox ii. notione accipiatur; nemo dubitat, quin generatio prior sit naturà; cum via sit ad veram essentiam, & perfectionem rei. Ob hanc homonymiam aliquando animal dicitur prius natura homine, aliquando posterius ii. de partibus animalium cap. pri. & ix. Metaphy. xv. Nam origine prius est animal; essentia, & perfectione posterius; quamuis, vt animal causa est hominis, sic posit etiam quodammodo vocari prius essentia; quod ex pri. de cœlo xvii. satis constare potest.

10 *Quomodo in substantia sit magis & minus ex tex. xviii.*

QVòd Aristoteles concedit inueniri aliquam substantiam magis substantiam alterà; dubitat D. Thomas, qui istud non pugnet cum eo, quod in categoriis cap. proprio dicitur, in substantia non habere locum magis, & minus; præsertim cum hic substantiæ accipiantur in eadem latitudine, vt ignis, terra, aqua, aër. Scitis. n. profunditatem categoriæ constitui ex superioribus, & inferioribus, latitudinem autem ex differentiis, aut speciebus æqualiter sub eodem genere, aut indiuiduis æqualiter sub eadem specie collocatis. Et quamuis Aristoteles concedat in profunditate substantiæ habere locum magis, & minus (nam primæ substantiæ sunt magis substantiæ, quàm secundæ, & species, quàm genera) tamen in latitudine nullo pacto concedit. Pugnat igitur ipse secum. Rursus ex diligenti vocum notatione dissoluetur hic nodus. Vox ista οὐσία, id est substantia interdum significat id, quod substat, & suis viribus consistit; interdum significat essentiam, & naturam rerum; vt Græci & Auerroes sæpisimè animaduerterunt, quinimò Arist. ipse v. Met. cap. de substantia. Si priore notione sumatur, in latitudine substantiæ non est magis, & minus; quoniam æquè substat terra suis accidentibus, atque ignis suis, atque vtrunque suis viribus consistit. Sin posteriore; non est dubitandum vnam essentiam esse perfectiorem alterà: quoniam, vt in sequenti quæstione dicam, non possunt esse plures essentiæ æque perfectæ. Inuenitur igitur magis, & minus substantia, id est essentia perfectior, & ignobilior. Hac distinctione ostendit Alex. vii. Met. com. ii. materiam esse magis substantiam, & minus substantiam, quàm formam. Hac eadem possumus sedare controuersiam inter Græcos asserentes, compositum esse maximè substantiam (quod præcipuè habes ab Alexan. vii. Metaphy. com. xvii) & Auerroem affirmantem formam esse magis substantiam quàm compositum. Nam priore notione solum compositum verisimè substantia est, materia autem paulò verius, quàm forma, quod est Alex. pri. de anima cap. ii. Posteriore notione, forma vocari potest magis substantia, quàm posit non modo materia, sed etiam compositum; quoniam ipsa est tota, ac sincera rerum essentia, atque perfectio.

An forma sit magis substãtia quã compositum.

11 *An primæ qualitates sint formæ elementorum ex eodem tex.*

QVòd exempla ab Aristotele allata perspicuè viderentur significare primas qualitates esse formas elementorum; idcirco de hac re dubitauit hoc loco D. Thomas; quam occasionem nos non dimittentes, tractabimus istam quæstionem accuratissimè, vt melius postea, quæ de mistione dicturi sumus, percipiantur. Non modò Alexander, de quo scribit Auerroes, sed

etiam

Opinio Ammonii de formis elementorum.

etiã reliqui ferè Græci videntur existimare primas qualitates esse formas elementorum. Ammonius in capite de substantia tradit de omnium philosophorum sententia primum esse materiam, deindè quantitatem, postea primas qualitates, quæ constituunt, & formant elementa; idemq́ue repetit in capite de quantitate: quo nihil clarius. Nam quæ materici quantæ p°. aduenit, & illam format; sine dubio forma substantialis est. Item explicans quomodo substantiæ nihil sit contrarium, & ignis tamen aduersetur aquæ per calorem & frigus, non negat qualitates illas esse formas, quæ promptissima responsio erat; sed tantum inquit non aduersari, & esse omnino contrarium ignem aquæ, quoniam in materia saltem, & corpore conueniunt: Præterea neque etiam omnino simul qualitates pugnare. Contraria enim circa idem subiectum fieri apta sunt; modò calor ignis in aqua esse non potest; nec frigus aquæ in igne. Item, vbi explicat quomodo substantia non suscipiat magis & minus, qualitates istas considerat & vt formas, & vt accidentia; quà formæ, non intenduntur, nec remittuntur; quà accidentia, & intenduntur, & remittuntur. Idem & Porphyrius, & Dexippus (quamuis hic paululum hæsitauit, vt postea dicemus) & Simplicius in eorundem locorum explicatione dixerunt. Idem Simplicius ii. phy. com. xi. & v. phy. com. xi. eandem dubitationem de cotrarietate substantiæ ita dissoluit; vt dicat elementa secundum subiectum non esse contraria; ità neque omnino contraria. Addebat autem præterea formam ignis constare ex his differentiis, calore, siccitate, leuitate, claritate simul; quæ quidem simul sumptæ nulli alterius elementi formæ reperientur contrariæ. Nam & si forma ignis pugnat cum forma aquæ per calorem, siccitatem, & leuitatem; tamen per claritatem non omnino pugnat cum aqua, sed magis cum terra. Idem vii. phy. com. xxiii. vocabat mutationem in his qualitatibus non alterationem, sed generationem. At generatio ad formas substantiales videtur pertinere. Idem primo cœli com. xxxvi. eam dubitationem de contrarietate substantiæ eodem modo dissoluebat; ac dicebat leuitatem in igne esse idem cum calore. Clare idem

Porphyrii, & Simplicii opinio.

Opinio Philoponi, & Alexandri.

affertur à Philopono de primis qualitatibus, & perspicuitate primo de generatione com. lxxii. Idem ii. lib. com. x. & com. xxx. Item Alex. in libro de sensu cap. de sapore ad eandem dubitationem de contrarietate substantiæ eandẽ solutionem accõmodat, dicens elementa nõ omnino pugnare; quoniam in materia, & corpore conueniunt: quod etiam repetitum est 4° quæstionum naturalium cap. iiii. Idem primo de anima cap. ii. de primis qualitatibus & grauitate, & leuitate; vbi etiam inquit leuitatem non moueri; quoniam substantia est. Idemq́; rursus de leuitate capite iii. ad finem: Ac iii. de cœlo, vbi inquit Aristoteles differentias non esse accipiendas à figura, sed maximè proprias differentias esse illas, quæ secundum affectiones, & opera & virtutes; ità interpretatur referente Simplicio, & approbante, vt significari putet primas qualitates; quæ virtutes sunt, quatenus possunt agere; affectiones, quà ex his corpora commutantur; nec sanè videntur verba illa aliter posse exponi, vt patet ii. de generatione 59. Ex quo si hæ sunt maximè propriè differentiæ, iam Aristotelis quoque sententiam possumus agnoscere. Idem clarè ii. de generatione vi. tex. & viii. vbi rationem etiã videtur reddere, quam Alex. & pri. Meteororum com. ii. & initio 4. animaduertit. In quo enim prima naturalia corpora à Mathematicis distinguuntur, & per quod agunt & patiuntur; in eo debent essentiam suam obtinere; at per primas qualitates istud fit; ergo in iis essentiam suam obtinebunt. Fuerunt hæ autoritates tanti ponderis; vt Auerroes, cum videret has primas qualitates vocari maximè proprias differentias, principia agendi, initia elementorum, in principio pri. Meteororum, in principio iiii. ii. de partibus animalium cap. ii. ii. de generatione à vi. vsque ad x. coactus fuerit iiii. cæli xl. affirmare, non esse absurdum accidentia esse causas substantiarum; quo tamen mihi nihil videtur absurdius. Nihil enim agit vltra gradum proprium; quomodo igitur accidens, tantò imperfectioris naturæ cum sit, efficiet substantiam? Ex quo idem Auerroes iiii. Metaph. primo videtur Alex. adhærere. Soluit Zimara in solutionibus contradictionum iiii. de cœlo dicens, physicè primas qualitates esse causas elementorum, metaphysicè autem minimè; sed ipse secum iterum pugnat. Confitetur enim, vt necessariò confitendum est (cæteroqui sublatis primis substantiis Physica non esset adhuc prima philosophia) philosopho naturali agendum esse de corpore, vt constat ex materia & forma; verùm illud addit, quod ad elementa attinet, esse tractatum in libris Physicorum, ibique de eorum materia, & forma actum esse; quo apud me nihil absurdius. Nam in illis libris, qui communes sunt, agitur communiter de materia, & forma, non autem de propria forma elementorum. Præterea in libro de generatione vi. vbi inquit elementa constare ex materia & contrarietatibus, quæ sunt differentiæ, dicit id tractatum esse in physicis. At in physicis actum est de constitutione rerum ex materia & forma: ergo perspicuè significat contrarietates illas esse formas. Præterea vult Zimara, & omnes ferè ex Iunioribus

Auctoritas Arist.

An accidẽs queat esse causa substãtiæ aduer. Auerroem.

Aduersus Zimaram.

nioribus elementa moueri ad locum per qualitates mouentes, id est grauitatem, & leuitatẽ per patibiles autem alterari tanquam per causas; ergo accidentia erunt principia motus, & naturæ nominari debebunt: formæ autem minimè debebunt naturæ nomine dignæ censeri, quandoquidem, vt isti volunt, formæ non sunt principia motus primo, & per se, sed ociosissimæ manent. Verùm pro Græcorum opinione alias affero rationes. Mistio fit secundum formas elementorum; & mistio fit secundum qualitates, & virtutes, vt omnes concedunt; & clarè asserit Aristoteles initio secundi de partibus animalium; ergo qualitates sunt formæ; quæ etiam videtur ratio Gal. primo de elementis. Maior propositio est omnium Græcorum: Aliòqui, nisi remanerent formæ elementorum, mistio non esset corporum miscibilium alteratorum vnio, sed corruptorum; & Latini multa quidem dicunt, vt hanc rationem dissoluant, sed nihil proficiunt; quod diligenter illorum scripta perpendenti patebit; & nos infra accuratè ostendemus. Præterea ex illis verbis, quæ in libro de sensu scribuntur, *Ignis agit, non quâ ignis, sed qua calidus*, argumentor ego hoc pacto; ignis agendo quà calidus, generat ignem; ergo si calor est accidens; accidens erit causa efficiens substantiæ.

Rôes pro Græcorum opinione.

Respondent ibi D. Thomas, & Leonicus, calorem esse instrumentum formæ, Formam autem esse principium efficiens. Sed contra, si id ità se habet; ergo ignis primò agit quà ignis non autem quà calidus: actio enim absolutè tribuenda est causæ efficienti, minimè autem instrumento; cæteroqui iniustè reprehenderetur Empedocles secundo de anima quarto, & secundo de generatione liiii. Dicebat Lucatellus clarus philosophus, quocum de hac re differebam, accidens aliquando per se, & primò agere, vt candor disgregat radios oculorum per se, non autem tanquam instrumentum formæ; idque ego concedebam; sed addebam, non posse id de calore dici, dum ignem efficit; ne accidens generet substantiam. Omnino mirum videtur, Aristotelem, cum sæpè significet quibus rebus non sint posita nomina (vt initio quarti de cœlo de actu grauitatis & leuitatis, & alibi sæpè) de elementis tamen disputantem, nunquam dixisse formas carere nomine; sed semper primis qualitatibus, & grauitate & leuitate tanquam formis vsum esse. Quare Græcorum videtur sententia fuisse, vnam quandam elementi formam gigni ex multis qualitatibus coniunctis, quasi differentiis; vt formam ignis ex calore, siccitate, & leuitate summa (quemadmodum homo componitur ex ratione & mortalitate) quæ tamen simplex forma dicatur; quoniam priorem formam simpliciorem non habet; esseque substantiam, & accidens, vt in dissolutione argumentorum apparebit: Non me fugit esse iuniores nonnullos, qui multis ex auctoritatibus à nobis allatis vtantur ad ostendendum longè aliam fuisse Græcorum sententiã, atq; eam quæ à nobis est exposita: sed isti ità oscitanter lectos à se præclaros libros præseferunt, vt à nobis non sint refellendi. Verùm contra Græcos disputat Auerroes 8° Metaph. v. illud inquiens absurdi sequi; vt quod est in elementis substantia, mistis sit accidens, contra Aristotelem primo phy. 27. & 30. Addit v. phy. x. qui ponit substantias secundum formam esse cõtrarias, euertere totam Aristotelis demonstrationem; quàmuis de hoc aliò se reiiciat. Nam certè alibi, & ipse statuit formas elementorum esse contrarias. Respondet etiam eo loco cuidam argumento, quod ex Alexandro adducit: qui probabat calorem esse formam ignis quoniam illud, quo ablato destruitur ignis, est forma ignis: At calor est illud, quo ablato destruitur ignis; ergo calor est forma ignis. Dicebat Auerroes interitum ignis primò prouenire non ex absentia caloris; sed ex absentia formæ, cum qua tamen vnà abest calor. Ita si ridendi facultatem de medio tollas, interibit homo; non tamen quasi ob primam causam; sed quoniam facultas ista non perit, nisi intelligentia vnà pereat, per quam homo est homo. Illud igitur duntaxat est forma rei, ex cuius absentia primo sequitur interitus rei. Cæterum fortasse homo sine ridendi facultate concipi potest; ignis autem sine calore minimè. Sed quicquid de hac ratione sit, putauit Auerroes, quantum ex tertio de cœlo 67. & aliis locis colligi potest (tametsi alibi, & præsertim secundo de anima 108. videtur grauitatẽ & leuitatem ponere formas veras; quod sequutus est Achillinus) putauit inquam nomine carere formas elementorum, & admittere magis & minus, idcircoque esse contrarias. Aristotelis autem auctoritati respondet, has esse medias inter substantiam, & accidens, corrumpiq; secundum medietatem in generatione misti; in quo cum Græcis omnibus sentit.

Quid videatur ex Græcis colligi.

Auerrois opinio.

Latini autem, & eorum princeps. D. Thomas contrà Græcos speciatim, & communiter contrà Græcos, & Auerroem argumentatur. Contra Græcos quidem primo de generatione lectione octaua, hunc in modum. Forma substantialis non est comprehensibilis sensu, (Nam ipsum quid est ad intellectum pertinet tertio de anima) primæ qualitates sunt comprehensibiles sensu; ex quo dicuntur patibiles in categoriis cap. de qualitate; ergo non sunt formæ substantiales. Communiter autem contra Græcos, & Auerroem argumentatur lec.

Argumenta D. Thomæ aduersus Græcos.

Argumenta eiusdem aduer. Græcos & Auerroem

xxiiii. Illa enim absurda collegit, fore, vt substantia admittat magis, & minus; vnaque alteri sit contraria. Præterea accidens est in subiecto; substantia non est in subiecto; ergo sunt contradicentia; ergo inter illa nihil est interiectum intermedium. Præterea ridiculum est ponere medium inter ea, quæ non sunt eiusdem generis x. metaph. xxii. vt inter calorem, & saporem. Accidens aût & substantia non sunt vnius generis; ergo inter illa nihil pôt esse interiectum intermedium. Præterea omnis forma admittens magis, & minus est diuidua per accidens; quatenus subiectum vel magis, vel minus particeps illius fieri potest; at secundum id per quod res est diuidua per se, vel per accidens, licet esse motum continuum vt vi. phy. patet; ergo si forma elementi admittit magis & minus, in substantia erit motus continuus; qui tñ tribus tantùm categoriis attribuitur, qualitati, quantitati, vbi. Nec desunt alii doctissimi viri, qui aduersus Græcorum opinionem argumententur. Forma inquiunt essentialis nunquàm est proximum principium actionis, sed vtitur instrumento; vt anima vtitur spiritu; idq; inductione patere inquiunt: At istæ qualitates agunt sine instrumento; ergo formæ naturá minimè redolent. Præterea, cum in vno quoque elemento sint duæ qualitates, vt in igne calor, & siccitas: aut erunt duæ formæ; aut saltem composita, non simplex erit cuiusque elementi forma: neq; verò vna substantialis, vt calor, altera accidentalis, vt siccitas statui pôt. Nam tunc siccitas non posset esse substantialis terræ; quod tamen Græci ponunt. Cômuniter autem contra Græcos, & Auerroem illud sequeretur, categorias esse permistas & confusas si idem & substantia, & qualitas esset. Præterea cum istæ sint formæ corporeæ, & ex illorũ sententia omnes misceantur, & remaneant in misto; certè corpora sese penetrabunt, atque eundem occupabunt locum; quo nihil absurdius.

Alia argumenta aliorum aduersus eosdem.

Idcirco Latini cum Auicenna existimarunt formas elementorum carere nomine, non esse contrarias, non admittere magis, & minus; sed qualitates esse, quæ sint contrariæ, & admittant magis, & minus. Quæ videtur fuisse sententia Dexippi & Simplicii (si modo Simpl. fuit; mihi enim non fit verisimile) in secundo de anima 46. & 106. Discrepant ea in re, quòd Auicenna elementa tamen remanere secundum formam in misto voluit, Latini tantum secundum qualitates: contra Auicenná argumentatur Auer. iii. de cœlo 67. & D. Thomas lect. 24. de qua re infra. Latini autem nunquàm tuebuntur mistionem; sed erit planissimè nisi nobis ipsis assentemur, interitus elementorum; & semper torquere Aristotelis verba necessarium erit; quod suo loco planum faciemus.

Opinio Auicennæ & Latinorum.

Aduersus Auicennã & Latinos.

Ego quidem ita crediderim aut Auerr. aut Græcorum opinionem veram esse; verùm de illis etiam conciliandis cogito. Quærens Ammo. cap. de quantitate, cur corpus, quod substantia est, per quantitatem definiatur, & inter species quantitatis reponatur, ita constituit, inueniri quantum substantiale, vt dimensionem materiei, & quale substantiale, vt calidum ignis; ex quibus verbis videor mihi rectè coniicere, prout ob imperfectam naturam materiei, vt actu diuidi, & recipere formas posset, necesse fuit in ea ponere dimensionem, quæ & ipsa principium patiendi dicitur (ex quo interdum dimensio loco materiæ censetur, quod ex Philopono elici potest primo de generatione commentario cxi.) sic vnà cum formis elementorum, quæ nomine carêt, esse à natura coniunctas qualitates istas: quæ & ipsa principia, causæq; sint efficiendi; quod idem significat Dexippus in categoriis cap. xxx. quàmuis ipse ad omnes formas procêdat, & à reliquis Græcis, & à se ipso desciscens videatur cum Auicenna statuere formas veras elementorũ neque magis, neque minus accipere; sed hoc infra, & supra tñ nostram sententiam satis exposuimus. Ergo quemadmodum materia cum dimensione vnum quoddam censeri potest (ex quo Plato materiam vocabat magnum, & paruum primo physicorum 59. & Philoponus in hunc librum commentario 100. dicebat magnitudinem substerni tanquàm materiam formis) vtque ex materia, & dimensione vnicum constituitur patiendi principium (ex quo eadem ferè corporis naturalis, & mathematici est definitio, possunt enim ambo recipere, & pati diuisionem omnem) ita formæ elementorum, quæ primæ formæ sunt, vnà cum primis qualitatibus adiunctis, vna quædam natura censeri queunt; quòd ex ambobus simul iunctis conflетur vnicum efficiendi principium. Sicque etiam qualitates erunt initia elementorum, quatenus ipsa reddunt efficientia. Nec tamen formæ erunt ociosæ; quãdo & ipsæ vim efficientem adhibent, & substentant qualitates. Nec sequitur quod prius in Auerroe timebamus, accidentia procreare substantiam. Nam nec dimensio procreat materiam, quàmuis ipsam disponat ad patiendum; nec qualitates procreant omnino elementa; sed illorum quasi sociæ sunt ad efficiendum. Iure autem hanc nos opinionem Græcis ascribere ii fortasse credent; qui considerabunt iisdem locis, quibus qualitates primas differentias formatrices elementorũ vocant, vocari etiam dulcedinem formatricem mellis, candorem niuis, conuersionem cæli; cum tamen in melle, niue, [illegible] cœlo

cœlo aliæ quædam ab istis accidentibus formæ ponendæ sint. Non laborarunt aût exquisitius distinguere; quoniam videbant ex formis, & primis qualitatibus constitui vnicum efficiendi principium, istudq; principium posse à notiori parte .i. à primis qualitatibus appellari præsertim cum formæ & qualitates obtineant vim, & conditionem simillimam. Quamobrem cum dubitarent, quî substantiæ non esset contraria substantia, si calor igneus aduersabatur frigori aqueo, ac præterea quî substantia non admitteret magis & minus; haud poterant ita respondere, qualitates istas non esse formas; quandoquidem istarum qualitatum, & formarum par conditio erat; & si qualitates contrariæ, ipsæ quoque formæ necessariò contrariæ futuræ erant, & magis, & minus admissuræ. Idem Aristotelis puto fuisse consilium; cum qualitates loco formarum censeret. Dixit ergo *ignem non qua ignem*, id est non secundum se totum, suamque materiam, & quantitatem, vt stoici, sed *qua calidum*, id est secundum formam agere; sic secundo de partibus animalium dixit ex virtutibus .i. formis, & qualitatibus elementorum fieri mistionem; vt excluderet materiam & quantitatem. Sic easdem qualitates vocauit maximè proprias differentias; quia in illis vera intelligebatur adesse forma: & ex ambabus vnicum constituebatur efficiendi principium. Atque hoc illud est; in quo mihi cum cæteris Latinis non conuenit. Omnes.n. putant qualitates ab Aristotele accipi, tanquàm diuersas à formis: Ego autem tanquàm easdem; idq; mihi videor satis probasse.

Explicatio illius sententiæ, Ignis agit, nô quà ignis, sed quà calidus.

Sed argumenta, quæ aduersus Græcos afferebantur; refutemus oportet. Primum ex illa propositione ducebatur, substantia nulli est accidens. Nos autem simpliciter accipiendo qualitates pro formis, respondere possemus, vt Ammonius innuit capite de substantia, substantiam .i. essentiam ignis esse calorem in tanto gradu; qui nulli accidens esse potest; vt omittã elementa esse substantias imperfectas; quare non maximum fortasse absurdum fore, si alteri rei accidere statuantur. Sed nos facilius respondentes dicemus, istas qualitates esse quale formale, & substantiale, sed non simpliciter formam, & substantiam; Ac præterea propositionẽ illam Aristotelicam de substantia composita esse intelligendam: nàm nomine substantiæ, & verè entis illud ibi perspicuè significabatur; quod per se, suisq; viribus constare poterat. Ad secundum argumentum, quod eo fundamento nitebatur, formam substantialem nõ percipi sensu, concedimus intimã formam, quam nos ponimus, non percipi sensu. Præterea, vt qualitates essent simpliciter formæ, diceremus à sensu nõ percipi quà substantias .i. essentiã purã, & vniuersè, sed admistas accidentibus, & conditionib. singularibus s. com hic & nunc, vt inquiunt. Ad tertium vbi timent, ne substantiã habeat contrarium, multis modis respondent Græci. Interdum.o. vt supra notauimus, inquiunt calorem ignis & frigus aquæ non pugnare, quoniam in eodem subiecto fieri non possunt (cum enim dicimus subiectum, dicimus quiddam actu existens; at si primæ qualitates sint veræ formæ, puram tantum materiã quæ potestate est, substratam habent) contraria autem in eodem subiecto vicissim recipiantur oportet. Sed istud fortè ad rationem Aristotelis v. phy. allatam non multũ facit; omninoq; in categoriis cap. de oppositis species quædam contrariorum recensetur, quorum alterutrum duntaxat habere locum potest in suo subiecto; vt calor in igne, candor in niue. Interdum autem, atque adeo plerunque respondent, totam substantiam non esse contrariam toti substantiæ; quàmuis formæ contrariæ sint. Idem dicebat Madius præceptor meus in causa esse, cur quantitati nihil esset contrarium, quoniam quantitas suam materiam habet; at in qualitate erit contrarium; qm̃ in illa non apparet materia. Dubitaui ego diu, an istud verè diceretur. qm̃ quidem omnes categoriæ ex actu & potestate, ea materia & forma componuntur, vt ex vii. metaph. & xii. constat, & ea Auerroe iiii. de cœlo a a a v. Sed diligentius rem perpendens video in substantia, & quantitate illam imitante reponi composita tanquàm notiora, cũ formæ occultæ sint; at in qualitatis categoria reponi potius formam, quàm concretum; concretũ.n. videtur significare accidentalem & denominatiuuam prædicationem, vt rectè Achillinos secundo de elementis obseruabat ea Aristotele 2°. Top. cap. iii. Verùm ab eodem Ammonio & Simpl° p° de cœlo com. xxxvi. aliud etiam responsum excerpn. Inquiunt.n. si formæ considerentur vt tribuunt ipsum subsistere, non esse contrarias (subsistens.n. non est contrarium subsistenti) sin vt initia efficiendi, sic esse contrarias, quàuis etiam non omnino; quãdo in forma ignis intelligitur vis ad locum supremũ, & ad summũ calorem, secundum quam duplicem vim nulli omnino repugnat, sed secundũ priorem terræ, secundũ posteriorem aquæ. Non admittit etiã magis & minus vt substantia formatrix ignis; requirit.n. certũ quendã, & indiuiduũ gradũ; sed vt accidens, admittit; pro ut declarat Ammonius cap. de substantia. Id vero bonã in partẽ accipi volumus. Scimus.n. non dari vltimũ esse rerũ permanentiũ: sed hoc aliàs. Quòd verò addunt, nihil posse interiici intermediũ inter substantiã, & accidẽs, qm̃ sunt contradicentia, & categoriæ non sunt simul permistæ, & confusæ; dicimus idem diuersis rationibus in pluribus contineri categoriis necessarium esse, vt alibi diximus de differentiis; & istas formas esse substantias, sed ità imperfectas, vt ad accidentium naturam videantur accedere

Refutatio argumentorum aduersus Græcos allatorum.

An in omnibus categoriis sint cõposita.

ſedere, vt Zeophyta, quámuis ſint animalia, dicimus tamen eſſe interiecta inter animalia, & plantas. An vero ſit futurus motus in ſubſtantia? Reſpondebat Simplicius quinto phyſi. xi. quem ſequbatur Zimara in contradictionibus, verè non eſſe motum, quoniam ſubiectum non eſt actu; & ſi dicas; cum iam eſt genita aliqua pars formæ ignis, tunc, dum reliquæ partes adiunguntur, accesſionem iſtam fieri per motum; dico, neque tunc ſubiectum eſſe actu; quoniam, niſi ad ſuam integritatem perueniret, non conſiſteret. Non eſt etiam motus ratione termini, qui ſubſtantia eſt; vt idem Simplicius vii. phy. com. xxiii. oſtendit. Cæterum ſubtilius, & verius puto poſſe reſponderi, non eſſe motum in generatione elementorum; quoniam formæ, vt formæ ſunt, habeat ſuum eſſe in quodam indiuiduo; quámuis ad hoc indiuiduum per motum aliquem perueniant. Patet id in ſtatua, & globo ex Alexan. vii. Metaphy. com. xvii. quare ab his etiam rebus, quæ ſont in quarta ſpecie qualitatis, remouit motum Ariſt. vii. phy. xiiii. atque hæc ſanè imitantur ſubſtantiam; vt ex eodem vii. phy. xiiii. & Alexandro ix. Metaph. cum. xii. patet; quare ſimpliciter dicuntur oriri pri. phy. lxiii. Ergo, vt ſtatuæ forma per motum acquiritur; ſed quoniam indiuiduum illud, in quo conſiſtit, puncto, & momento temporis erumpit in actum, dicitur ſimpliciter fieri; ita etiam formæ elementorum, quámuis per motum quendam acquirantur; intenduntur enim, & remittuntur; tamen, cum ad indiuiduum illud ſuum, in quo tanquàm formæ conſiſtunt, momento perueniunt; ſimpliciter dicuntur oriri, & non moueri. Illud autem, quod in altero argumento afferunt, nullam formam, quæ ſubſtantia ſit, proximè agere; equidem non ſatis queo intelligere, qua ratione adducti afferant: non enim forma eſſet natura, niſi eſſet proximum principium agendi. Anima, inquiunt, mouet intercedente ſpiritu tanquàm inſtrumento; ſed ſpiritum, addo ego, quo intercedente mouet? Mihi quidem hac in re Scoti potius, quàm D. Thomæ ſententia probatur: Sed tamen ad omnes difficultates euitandas, nos formæ adiunximus comites iſtas qualitates efficientes. Sequebatur aliud argumentum, formam elementorum non fore ſimplicem. Nam in igne erit calor, ſiccitas, leuitas. Reſponderi poſſet, eſſe ſimplicem reſpectu habito ad reliquas formas, quæ ſunt magis compoſitæ vel eandem formam eſſe calorem cum ſiccitate, ac leuitate, itemque in aliis elementis; ſed quoniam verè differentiæ ſunt tanquàm numeri, & vna alteram debet ingredi; quod in calore, ſiccitate, leuitate, & aliis huiuſmodi non euenit; & qualitas ſymbola in mutua elementorum conuerſione remanet, tanquàm diuerſa ab ea, quæ non eſt ſymbola; tutius exiſtimo ponere formam carentem nomine præter iſtas qualitates, quod nos fecimus. Vltimú fuit de penetratione corporum; quod in ſermone de miſtione fuſius explicabitur. Nunc illud teneatis, corpora minimè poſſe ſe penetrare, id eſt plura eundem locum occupare, nó ratione ſubſtantiæ, ſed ratione quantitatis. Ex quo Ariſt. iiii. phy. xlvii. inquit, ſi corpus cubum ponatur in aqua, facit diſtare partes: tertio autem libro de cœlo laborauit, vt oſtenderet elementa non habere quantitatem, & figuram propriam: Nam tunc ſeſe penetrare nó potuiſſent. Quare oſtendemus nos formas elementorum poſſe ſe penetrare, & miſceri; quoniam ſubſtantiæ ſunt; quantitates autem non miſceri, ſed ex eadem materia cum eadem quátitate plures educi formas. Ex quo rectè dixit Ariſt. miſtionem potius eſſe virtutum, quàm elementorum, intelligas tu eum ſua mole, quemadmodum veteres ponebant. Verùm infra hanc de miſtione vtiliſſimam quæſtionem copioſius tractabimus. In præſenti hæc ſatis erunt.

De Generatione autem, & alteratione dicamus, qua nam re differant: aſſerimus enim mutationes has inter ſe diuerſas eſſe. Quoniam igitur quiddam eſt, quod ſubiectum eſt, & alterū ipſa affectio quæ de ſubiecto apta eſt dici, & vtriuſque horum mutatio eſt: alteratio igitur eſt, cum ipſo ſubiecto, quod ſenſile ſit, manente mutatum fuerit in ſuis ipſius affectionibus, quæ vel contrariæ ſint, vel intermediæ: veluti corpus valet, & paulo poſt laborat, idem planè manens: & æs rotundum, aliquando autem angulare, idem remanens; Cum autem totum mutatum fuerit nullo ſenſili manente eodem, vt ſubiecto: ſed veluti ex omni genitura ſanguis, vel ex aqua aër, vel ex omni aëre aqua: generatio iam hoc, illius autem interitus. Præcipuè autem ſi mutatio facta fuerit ex inſenſili ad illud, quod ſenſile ſit vel tactu, vel omnibus ſenſibus, veluti cum aqua facta eſt, vel corrupta in aërem: aër enim ferè inſenſile.

Margin notes: An in ſubſtantia ſit motus. — An forma ſubſtantialis immediatè agat. — Cap. 4 Tex. com. .. — Tex. com. 24.

Satis hucusque fecimus quæstioni illi, quæ prima semper proponi solet, An simplex generatio, & interitus sit, non tam probantes argumentis generationem, & interitum simplicem esse, nam vel sensibus ipsis patebat, quàm ea propulsando, quæ officere poterant, tollendoque, & antiquorum dogmata, & nonnullas alias dubitationes, quibus non sublatis generatinni & interitui simplici locus esse non poterat. Ita primo cap. pri. post. satisfit quæstioni illi, An demonstratio, & scientia sint; refellendo scilicet argumenta Memnonis, & sophistarum, quæ scientiam omnem è medio tollere videbantur. Cæpimus etiam explicare sequentem quæstionem, quid nam sit generatio, & interitus simplex, & quomodo ab alteratione differat, leuiter indicauimus. Nunc autem eam iam ad exitum perducere aggreditur Arist. totamque istius vtriusque mutationis naturam accurata definitione euoluit. Quemadmodum autem sententiæ ipsæ, quas affert, grauissimæ sunt, & in quæstionibus diligentissime perpendentur; ita verba sanè facilia; quasi scilicet rerum obscuritas orationis perspicuitate compensetur. Inquit igitur quiddam esse, *quod subiectum est*, id est per se, suisque viribus constat, nempè substantiam compositam, & concretam ex materia & forma; esse etiam alterum quiddam, quod est affectio, & qualitas, *quæ de subiecto dici apta est*, quæ in subiecto isto versatur, & consistit. Nam hoc loco *dici de subiecto*; non significat superius prædicari de inferiore; quemadmodum in categoriis; sed adhærere, & niti ipso subiecto, & sine eo nec dici, nec concipi posse; quemadmodum primo poster. in tertio modo dicendi per se. Hæc autem istius locutionis varietas notatur persæpe à Græcis, & præcipuè à Simplicio secundo phy. com. tertio, & ab Alex. primo Metaph. com lxiii. & ab Ammonio in lib. de enunciatione cap. de verbo. Hoc ita constituto; definit alterationem, & generationem ac primò illam, quoniam alteratio multò nobis generatione notior est. Manet igitur interdum in mutatione subiectum, *quod sensile sit*, id est actu sit, & proximè sensum ferire queat, quatenus proximum est subiectum accidentium, quæ sentiuntur; tale autem est compositum ex materia, & forma, & propterea quòd sensile est, differt à materia prima, quæ licet vocari subiectum quodammodo possit, non tamē est sensile; prius enim, quàm sentiri queat, formá & accidentibus exornetur oportet: ergo cum tota hac ipsa substantia manente mutatum ipsum subiectum fuerit *in suis ipsius affectionibus*, id est ex vna affectione in alteram, quæ priori aut contraria sit, aut inter contrarias sit constituta; vt cum corpus manens idem substantiá, mutatur ex colore candido in nigrum, aut in rubrum, tunc isthæc mutatio erit alteratio. Idem v. phy. ix. Adduntur autem illa verba, *in suis ipsius*, vel vt significet, quæ ipsius propriæ affectiones sunt; quod in sequentibus verbis intelligetur; vel vt excludat illa, quæ mutantur, non tamen ob mutationem factam in ipsis; vt cum oratio ex vera, redditur falsa; qua de re in categoriis cap. de substantia actum est. Definita est alteratio; nunc generatio definietur. Interdum .n. subiectum non manet, sed ipsum totum mutatur: Non intelligas autem mutari totum, quasi etiam materia ipsa mutetur; sed eo modo, quo totum ipsum mutatur mutatá formà; nempè quòd amittitur forma, à qua totum illud habebat nomen, & definitionem. Igitur, cum totum ipsum mutatum fuerit *nullo sensili manente eodem vt subiecto*, id est non remanente eadem substantia sensili, & composita, vt cum sanguis fit ex tota genitura, ità vt non manserit amplius tota ipsa genitura, sed loco istius substantiæ successerit substantia, sanguinis; tunc existit generatio, & interitus simplex; generatio quidem illius substantiæ, in quam facta est mutatio; interitus autem substantiæ illius, ex qua mutatio facta est. Verissimè autem & maximè propriè tunc existet generatio, cum mutatio facta fuerit in substantiam sensilem, vel tactu, quo vulgares homines maximè vtuntur (istud enim dictū ab Aristotele videtur ad explendum vulgaribus animum) aut omnibus sensibus; quemadmodum cum ex aëre fit aqua; aër enim propemodum est insensile quoddam, aqua autem maximè sensilis. Illa autem verba, *ex omni genitura* exposuimus, ex tota genitura, quoniam istá vocem πᾶς ϗ πᾶν, id est omnis, & omne, significare interdum idem, quod totum, & vniuersum præsertim in continuis, & homogeneis, præcipueque humidis, patet ex v. Metaph. cap. de toto; & ex Simplicio ad initium pri. de cœlo: item apud Latinos, cum dicimus, omni mente in hanc rem incumbere, idem significare, atque vniuersa, & tota mente, satis notū est.

Quòd si qua in his ex contrarietate affectio eadem manserit in genito, & corrupto, veluti cum ex aëre aqua, si ambo perspicua vel frigida: nihil opus est huius alterum affectionem esse, in quod mutatur: cætero quin erit alteratio: veluti cum Musicus homo corruptus est, factus autem expers musicæ, ipse autem homo manet illud idem.

Vidis

Vidit Aristoteles exorientem ex dictis dubitationem, illique statim occurrit. Dicet enim aliquis, si in generatione simplici nullum sensile manere debet; cum in mutatione aëris in aquam maneat perspicuum, & frigidum, non videbitur esse generatio verè, & propriè. Occurrit autem huic quæstioni Aristot. hoc pacto. Est contrarietas inter qualitates earum rerum, quæ generantur, & corrumpuntur; vt inter calorem, & frigus, humorem, & siccitatem, perspicuitatem, & opacitatem, grauitatem, & leuitatem. Manet autem interdum in genito, & corrupto eadem qualitas *ex contrarietate*, quæ scilicet qualitas est vna pars vnius contrarietatis, vt cum mutatur aër in aquam, manet perspicuitas, atque etiam de multorũ sententia frigus; quarum qualitatum vtraque vocatur contrarium, non quòd inter se pugnent, sed quòd occupent vnum latus vnius contrarietatis. Perspicuitas enim est vna pars, atque vnum latus contrarietatis, quæ versatur inter perspicuitatem, & opacitatem: similiter frigus occupat alterum latus contrarietatis, quæ est inter frigus, & calorem. Vno igitur aliquo contrario manente fit mutatio in alia contrarietate; quemadmodum, cum mutatur aër in aquam, manente perspicuitate fit conuersio leuitatis in grauitatem: Attamen *nihil opus est huius alterum esse affectionem, in quod mutatur* minimè, inquam, propterea sequitur aduenientem grauitatem, in quam facta est conuersio, esse affectionem manentis perspicuitatis tanquàm subiecti. Nam si esset affectio perspicuitatis, vt subiecti; certè isthæc mutatio aëris in aquam, alterationis, non generationis nomine appellanda esset (quemadmodũ alterationem esse dicimus, cum homo ex Musico fit expers Musicæ) neque argumento, quod dubitationem faciebat, possemus occurrere; quod in sequentibus verbis exponitur; quæ cum describentium vitio mirificè essent perturbata, nos ex Philopono ita in suum locum restituimus.

Si quidem igitur huius non erat affectio per se musica, & priuatio musicæ; huius quidem generatio erat, illius autem interitus. Nunc autem affectio hæc manentis: quamobrem hæ hominis quidem affectiones; hominis autem musici, & hominis immusici generatio & interitus: quare alteratio talia.

Finge, inquit Arist. (diximus enim huiusmodi fictiones esse illi familiares) Musicam, & priuationem musicæ non esse affectionem *huius*, id est ipsius hominis *per se* naturaliter illi, tanquàm aptissimo subiecto hærentem; nam & frigidum aliquando dicitur inesse humido; verum non per se, id est minimè naturaliter, sed quatenus ambo cuidam tertio insunt. Ergo si musica non esset affectio hominis tanquam subiecti, certè cum musicus homo interiit, & factus est homo immusicus; quamuis remaneret aliquid sensile, homo scilicet; tamen quoniam non remaneret tanquàm subiectum; verè, & simpliciter dici posset immusici generationem extitisse, & musici interitum. *Nunc autem affectio hæc manentis*, omissa fictione, musica, & musicæ priuatio sunt affectiones manentis hominis, illique vt aptissimo subiecto hærent, semperque tu hominis affectiones appellaueris; quàmuis liceat dicere hominem musicum corruptum esse, & hominem immusicum esse ortum; constituimus enim ante, alterationem etiam esse generationem, & interitum quendam, verùm non simpliciter; *quare alteratio talia*, quare cum talia, id est musica, & priuatio musicæ, & cætera huiusmodi sint verè affectiones, & in mutatione vnius in alterum maneat subiectum, mutatio isthæc alteratio propriè dicetur, non generatio. Ita, non in quacunque mutatione manet aliquid sensile, debet vocari alteratio, sed in quacunque manet sensile, vt subiectum: Est autem ista vox *nunc*, quasi nota sanctionis, & decreti interpositi aut vitatæ absurditatis, ac veritatis in suum locum restitutæ; quem dicendi modum Victorius apud M. Tullium, & Lucretium obseruauit in castigationibus in secundum ad Atticum. Vocem autem illam καθ' αὑτὸ interpretati sumus naturaliter: habere enim istam vocem duplicem notionem, atq; interdũ significare, quod est secundum naturam, interdum, quod secundum essentiam, notat ex Aristotele Ammonius in librum de enunciatione ad finem tertii sect. Sic secundo Eudem. cap. secundo dicitur, virtutem inesse non per accidens, id est naturaliter, & per se. Habes, & Themistium pri. post. ex tex. xxxv. idem obseruantem. Philoponus etiam hoc loco notat illud per se inesse, quod fit in ipso corpore, vt color, non extrinsecus, ac per habitudinem ad aliud, vt si quid ex dextro sinistrum fiat; quomodo videtur Arist. in lib. de sensu, & iis, quæ cadunt sub sensum definiuisse lumen colorem perspicui per accidens. Notetur etiam illud, exempli causa ab Aristotele positum esse in mutatione aëris in aquam manere perspicuum & frigidum de illorum sententia, qui aërem frigidum statuerunt; aut alteram coniugationem

iugationem aquæ, & terræ spectauit; quorum vno in alterum mutato remanet tamen frigus; ità vt hoc pacto verba illa *vel frigida* sint interpretanda. vel si in mutatione aquæ in terram ambo sint frigida, ità vt frigus maneat, fiat autem mutatio in alia contrarietate, vt ex tenuitate in densitatem.

Cum igitur secundum quantum mutatio contrarietatis fuerit, accretio, & diminutio: cum secundum locum, latio: cum secundum affectionem, & quale, alteratio: cum verò nihil manserit, cuius alterum sit affectio, vel accidens omnino, generatio, illud autem interitus. Est autem materies maximè quidem, & propriè subiectum, quod est generationis, & interitus capax, quodam autem modo, & quod alijs mutationibus substernitur: eoquòd omnia subiecta capacia sunt contrarietatum quarundam. De generatione igitur, & interitu, vtrum sit nec ne, & quomodo sit, & de alteratione, hoc pacto sit constitutum.

Ex dictis aliquis suspicari potuisset, omnem mutationem factam in subiecto manente esse alterationem; huius.n. duntaxat est facta mentio: quare ad hãc pellendã suspicionẽ simulq; ad proximè sequentẽ de accretione disputationem quasi gradum faciens ità sancit Arist. quandoquidem omnis mutatio fit inter contraria saltem cõmuniter, vt in quæstionib. intelliges, cũ mutatio facta erit in quanto, esse vel accretionem, si ex paruo in magnũ, vel diminutionẽ si ex magno in paruum; cum in loco, esse lationem; cũ in affectione, & quali.i. in tertia specie. quæ affectio, & patibilis qualitas dicitur, esse alterationem. Affectionis nomen communiter sumptum continere in se patibilem qualitatem, quomodo dispositio continet habitum, sæpè notauimus; addit autem, *& quale*, vt ostendat accipi affectionem propriè, quæ in categoria qualitatis continetur. Omnino enim, vt se habet vox affectionis, ita alterationis nomen; quare quantitas etiam potest vocari affectio communiter, vt motus in quantitate alteratio. Quocirca vt intelligatur propriè nunc accipi vocem affectionis, rectè adiunctum est, *& quale*. Ita igitur sunt constitutæ mutationes in accidentibus. Generationem autem, & interitum vel hac vna conditione docet posse ab omnibus istis mutationibus distingui; quòd in hac nihil manet idem, cuius illud, quod aduenit, sit affectio, vel aliquo modo accidens: quod additum est ad excludendam mutationem in quanto, & in loco, in qua subiecto manenti eidem aduenit nouum accidens, quàmuis non propriè affectio. In generatione igitur non manet idem tanquàm subiectum accidentis aduenientis; sed substantia ex qua fit mutatio, interit, & illa in quam fit mutatio, oritur; materia tantum prima, vt subiectum manet. Hanc enim maximè dignam esse, quæ materies nominetur, sequentia verba ostendunt; in quibus docet materiam propriè dici subiectum, in quo fit generatio, & interitus, subiecta verò reliquarum mutationum dici non absolutè, sed quoquomodo materiam. Nam quæ vicissim excipiunt contraria, illorum contrariorum dici quodammodo materia queunt; omnia subiecta reliquarum mutationum vicissim suscipiunt contraria quædam, vt subiecta lationis interdum inferum locum, interdum superum; subiectum alterationis interdum frigus, interdum calorẽ; ergo istorum contrariorum dici quodammodo materia queunt. Ita constitutum est, an sit generatio (quæ prima nobis quæstio proponebatur) & *quomodo sit* non enim est per congregationem; sed per mutationem substantiæ; constitutũ etiam est de alteratione, quænam illius natura sit (nam verum esset alteratio vix quisquàm dubitauerat) & ostensum est, esse mutationem contrarietatis in quali.

QVÆSTIONES IN QVARTVM CAPVT.

1 Quæstio de formarum multitudine ex definitione generationis tex. xxiii.

2 Vtrum in interitu fiat dissolutio vsque ad materiam primam ex com. Philoponi lxxii.

Quæstio

Quæstio de formarum multitudine ex definitione generationis tex. xxiii.

MVltæ ex definitione generationis, quæ hoc capite allata est, quæstiones exoriuntur, quas benè explicare nullo modo possumus, nisi illud antea constituerimus; sit ne vnius corporis naturalis vna tantum forma, an plures aliquando necessariò sint. Quæ quidem tractatio non tantùm ad propositi capitis explicationem mirabiliter facit; verum etiam ipsa per se magnæ vtilitatis est, multasque tollere tùm in naturali, tùm in prima philosophia dubitationes potest. Maximæ autem vtilitati maxima etiam est adiuncta tractandi difficultas. Verùm ea intendere, non remittere nostrum studium debet. Primum igitur aliorum opiniones, quæ multos amatores repererint (nam omnium rationem habere putidum esset) expendemus. Deinde nostram in medium afferemus. Duæ autem quasi extremæ & planè aduersæ sunt ista de re opiniones, vna Ianduni, altera D. Thomæ; multæ antem ab extremis aliquo modo declinantes, vt Scoti, & Achillini.

Iandunus sanè, vt ab illo potissimum ordiamur, quæstione octaua vii. physi. & x. quæstione secundi metaphy. pronunciauit tot esse formas in composito essentialiter, & realiter distinctas, quot sunt attributa, quæ per se primo modo attribuantur. Sic quoniam in quæstione ista, qua quæritur quid sit homo, respondere possumus esse substantiam, esse corpus, esse viuens, esse animal, esse rationis compos; omnia ista attributa varias, & reapse diuersas formas indicabunt; vt per aliam formam homo sit corpus, per aliam viuens, per aliam rationis compos. Confirmat sententiam suam multis rationibus, & autoritatibus. Nos potiora afferemus. Si per eandem formam homo esset homo, i. rationis compos, & per eadem esset animal; certè quicquid inest homini, quà homo est, inesset etiam homini quà animal est: at homini quà homo inest docilitas, facultas ridendi; ergo eidem inesset, quà animal. Quod aũt inest alicui quà animal, omni planè animali conuenit; quod nemo in controuersiam vocarit; ergo docilitas, & ridendi facultas omni animali conueniet; quo nihil absurdius. Respondebis ab eadem forma sumi genus, & speciem, siue postremam differentiam, vario tamen modo. Nam illa forma habet modum existendi communiorem, habet etiam specialem: ex modo cõmuniore ducitur genus; ex speciali postrema differentia. Vrgebit rursus Iandonus. Modi isti aut sunt substantiæ, aut accidentia. Si substantiæ; aut materia, aut compositum, aut forma. Nihil verisimilius quàm formas esse (quis enim aut materiàm, aut compositũ posuerit?) ergo plures formæ; sin accidentia sunt; modo accidentis inerit animal, & rationis compos homini; quod non ferendum. Neque est, quòd eò confugias, genus & speciem distingui cogitatione, non re; quoniam ante omnem cogitationem, & notionem homo est animal, & homo; & qua animal, & quà homo, habet suas reales affectiones. Nam quà animal, exempli causa, est aptus ad lætandum & dolendum, quà homo, est aptus ad ratiocinandum. Quinimo docebit Arist. 4° de animalium generatione cap. iii. Socratem generare, vt animal, vt hominem, vt Socratem; hincque non eodem modo semper parentibus esse similes filios.

Præterea illæ formæ reapse diuersæ sunt, quarum vna manet altera euanescente aut abeunte: sed abeunte forma hominis, alia necessariò manet; ergo plures in illo formæ ac diuersæ sunt. Assumptio declaratur. Sit cicatrix in homine: ea in cadauere manet eadem; nam mutari fictitium planè est; ergo forma etiam aliqua maneat oportet, cui inhæreat, & innitatur. Accidens enim materiam formatam postulat, in qua consistat. Præterea homo est mistum corpus; & tamen interit, licet mistum corpus non intereat, vt ostendemus; ergo alia forma facit mistum corpus, alia hominem. Ostendemus autem, quod polliciti sumus, hoc pacto. Mistum corpus interire non potest sine putredine; quandoquidem putredo est proprius interitus misti corporis 4°. meteor. cap. p°. at enim interit homo, non continuò putrescit; ergò intereunte homine non statim interiit mistum corpus. Adde quartam rationem. In homine duæ sunt perspicuè diuersæ formæ (velit nolit D. Thomas) vna æterna, altera mortalis; ergo plures etiam in cæteris rebus naturalibus esse nihil vetat. Adsunt etiam Aristot. & Auerrois testimonia. Aristoteles. n. pri. phy. xxviii. aduersus Parmenidem, & Melissum disputans hoc argumento vtebatur, multa esse entia, quoniam homo, & animal est, & bipes; quod explicans Auerroes afferebat genus, & differentiam esse partes reales, ac ducì à principiis, quæ reapse sint; quod & habemus primo de anima com. vii. Occurrit huic loco Zimara in xii. contradictione pri. phy. atque ita inquit genus sumi à materia, ac differentiam à forma; materiam autem, & formam esse partes essentiæ, & reapse diuersas. Verùm non audiit ipse Aristotelem, & Auerroem vbique clamantes tùm genus, tùm differentiam significare formam; quàmuis genus, si comparetur cum differentia, materia intelligibilis appelletur. Omnino & genus, & differentia formam significant, adsignificant autem materiam. Animal

Ianduni opinio.

Rationes pro opinione Ianduni.

Explicatio sententiæ Arist. & Auer. pri. phy. xxviii.

Aduersus Zimarã

mal.n significat animam sentientem non solutam, sed materiæ coniunctam, itemque rationis compos rationem ipsam materiæ coniunctam: quare si diuersæ reapse partes sunt genus & differentia, in materia autem communicant, certe diuersas formas significent oportet. Quare Theophra. referente Philopono Initio primi phy. probabat formas naturales esse cõpositas, quoniam constarent genere, & differentia. Præterea ii. de generatione animalium cap.iii. scribitur Embrionem prius viuere vitam plantæ, quàm animalis, prius animalis, quàm hominis: quæ autem diuersis temporibus generantur, eadem esse non possunt. Cui sententiæ congruenter scribebat Auer. primo Metaph. com. xvii. materiam primo accipere formas generales, deinde his intercedentibus speciales. Respondent interire priorem formam adueniente posteriore: sed responsio nulla. Natura enim non corrumpit, quod sibi prodesse potest, sed perficit, & absoluit: imperfecta enim tanquam solum, & fundamentum perfectioribus subiicit, vt egregiè docebat Themistius tertio de anima cap. xxvii. Quamobrem si animæ vegetabili optimè conuenit cum sentiente, & sentienti cum ratione; cur vegetabilem corrumpat inducens sentientem? cur sentientem inducens rationem? Sed hæc infra melius intelligentur; multaque alia Aristotelis testimonia afferentur. His igitur rationibus, & auctoritatibus nixus Iandunus existimauit hominem formæ illi, per quam est substantia, acceptum referre, quòd consistit, & vt inquiunt, substat; formæ, per quam corpus, quòd subiicitur triplici dimensioni; formæ, per quam viuens, quòd nutritur, & crescit; formæ, per quam animal, quòd sentit; formæ, per quam homo, quòd ratiocinatur.

Confutatio Iandunì.

Aduersus hanc opinionem multa afferri possunt, quæ aduersus nonnullas alias etiam valent, multa, quæ propriè in istam conueniunt. Hæc nunc exponemus; illa cõmodiore loco. Si igitur ita se res haberet, quemadmodum ipse putat; primum corpora simplicia, i. ignis, aër, aqua, terra, non essent simplicia, sed, & ipsa pluribus prædita formis: nam vnam formam habebunt, per quam sint substantiæ, alteram, per quam corpora, tertiam, per quam elementa. Arist. autem secundo horum librorum sexto perspicuè dicebat componi elementa ex materia prima, & contrarietate; aliam formam ne nutu quidem significabat. Hanc elementorum simplicitatem inculcat nobis Auerroes quarto de cœlo xxii. quarto phy. lxxi. quinto Metaph. xv. & alibi millies. Præterea materia prima, etiam per se concepta formam habebit; Est enim substantia; est infinita quædam facultas. Isthæc sunt attributa per se primo modo. Quare nulla ratio videtur afferri posse, quamobrem, si corpora naturalia sunt substãtiæ per peculiarem aliquam formam, ipsa quoque materies, non sit futura substantia per simul em formam. Cœlum item, atque adeò princeps ille Deus à nobis coagmentatus, non simplex intelligetur. Nam Deus, & substantia est, & actus purissimus. Quare si diuersa attributa à diuersis formis duci debent; in Deo quoque diuersa attributa cum sint, diuersarum in ipso formarum coagmentationem significabunt. Omnino Iandunus tùm aliis nominibus est reprehendendus, tùm isto præcipuè, quòd genus analogum ab vniuoco non distinxit. Præterea mihi quidem non satis constat, vtrum formæ sequentes formam illam primam, quã formã substantiæ dicunt, sint & ipsæ futuræ substantiæ, nec ne. Nam accidentia nemo, nisi insaniat, appellauerit: sed rursus, qui statui substantiæ queant, non video; quippe cum prima illa tãtum à Ianduno substantia censeatur. Adde mistum inanimum, vt aurum, fore bis mistum, semel per formam generis (est enim corpus mistum) iterum per formam speciei; Est enim mistum tale, quod, exempli causa, hominis animum exhilarare mirabiliter potest. Postremo illud ab ipso summopere desiderassem, vt quando genus per oppositas differentias distribuitur (dicimus enim substantiam esse vel corpoream, vel incorpoream, corpus vel animatum, vel inanimum, viuens vel sentiens, vel non sentiens, animal vel rationis compos, vel expers) illud declarasset, differentiæ illæ, quæ priuatione, aut negatione quadã proferuntur, significarent ne formam diuersam à genere, an eandem. Nam, aut priuationes, aut negationes reuera sunt; ita speciem non constituent; quod habetis ab Aristotele primo de partibus animalium cap. iii. aut si propriam formam significant, Inducendæ erunt, vt alia nunc absurda omittam, plures animæ, quàm vegetabilis, sentiens, intelligens. Nam viuens significat animam vegetabilem: ergo si differentia illa *expers sensus* propriam & ipsa formam indicat, hæc vegetabilis esse non potest; non enim diuersa esset à genere, non sentiens; nam hæc planè excluditur, & ab opposita differentia significatur; & tamen aliqua anima sit oportet: differentiæ enim præstantiorem formam indicant, quàm genera (posteriora enim generatione sunt priora natura & perfectione secundo de partibus animalium cap. pr. 9. Metaph. xv.) & animatum præstantius inanimo primo de generatione animal. cap. primo; ergo inducenda erit alia quædam anima inter vegetabilem, & sentientem interiecta intermedia. Idem necessariò dicemus, si differentia illa *rationis expers*, qua diuiditur animal, propriam indicet formam

De differentiis, quæ priuatione, & negatione quadam proferuntur vt inanimatum, & irrationale.

formam: nam hæc forma alia erit species animæ inter sentientem, & intelligentem sita. Aristoteles sanè ad finem primi de animalium generatione asserens animal differre sensu à viuentibus tantù, id est à plantis, hoc sibi videtur velle differentiam illam *expers sensus*, nullã speciem & formam significare, sed exclusionem perfectioris formæ. Viuentia .n. expertia sensus vocat viuentia tantum: dictio aût ista *tantum*, sine dubio præsefert exclusionem, & priuationem. Auerroes hoc magis viii. Metaph. x. expressit, vbi hæc verba leguntur, *Cum dixerimus in definitione animalis, quòd est corpus nutribile, sensibile, si diminuerimus vltimam differentiam, remanebit definitio vegetabilium, & si additur alia differentia .i. rationale, fiet definitio hominis*. Ergo si corpus nutribile est integra definitio vegetabilium, profectò differẽtia illa *expers sensus* nullam peculiarem formam præseferet. Hæc autem, quæ ab Auerroe dicuntur, maximè videntur illi sententiæ consentanea esse, species rerum esse veluti numeros. Quòd si Iandunus fateretur ex differentiis oppositis vnã tñ, eam .s. quæ vlteriorem perfectionem significat, à peculiari forma duci; oppositam aût, quæ priuatione profertur, nullã peculiarem indicare formam; videat quid sequatur. Sequitur .n. vnã, exempli causa, plantarum, vnam animaliũm brutorum duntaxat fore speciem. Quo .n. pacto distinguuntur inter se species plantarũ, cũ in anima vegetabili cõmunicent, neq; vlteriorem formã habeant, vnde propriæ differentiæ duci queant? quo pacto etiã distinguentur bruta animalia, cũ in sentiẽte aĩa cõicent, neq; aliam animã gerant, vnde propriæ differentiæ sumi queant? Hæc de Ianduno.

Explicatio sententiæ Auerr. viii. Metaph. x.

D. Thomas ab isto tota planè, vt inquiunt, diametro dissidens, multis locis, præcipuè aũt in opusculo xlv. huic quæstioni dicto, istam formarũ multitudinem oppugnat quantũ potest; vnicamq; vnius corporis naturalis esse formã statuit; & cur ita statuat, multas affert causas. Prima est. Species rerũ sont veluti numeri viii. Metaph. x. & veluti figuræ ii. de anima xxxi. ergo vt posterior numerus, & figura continet priorem numerũ & figurã, ita forma perfectior continet in se, atq; cohibet vim omnem formæ deterioris. Ergo superuacua esset forma deterior præsente perfectiore, quæ illius vim repræsentare, illiusq; opera præstare põt. At in rerum natura nihil superuacui. Rationẽ hãc Ludouicus Buccaferrea demonstrationẽ putauit. Verùm cũ ipse postea in eam partem propendere potius visus est, vt animã intelligentẽ formam hominis informantem poneret, ac tñ cogitantẽ retineret; profectò iudicauit non semper deteriorem contineri potestate in perfectiore. Secunda causa est huiusmodi. Fieri non potest, vt duæ formæ eiusdem generis physici simul idem subiectũ perficiant. Omnes formæ, quæ sunt substantiæ, sunt eiusdem gñis physici; ergo plures formæ ad substantiã pertinentes idem simul pficere subiectũ nõ possunt. Confirmatur primũ minor propositio. Inter formas ad substantiã ptinentes est mutatio p se tanquã inter terminos à quo, & ad quẽ; ergo sunt eiusdẽ generis physici. Cõstat .n. ex x. meta. illa ad idẽ genus physicũ referri, quæ in sese vicissim mutari queunt: cõicant .n. in materia. Esse aût mutationẽ p se inter istas formas, quod assumpseramos, sic ostendimus. Vnius ortus est alterius interitus, vt iam audiuistis; nec accidẽs põt esse terminus generationis, quæ ad substantiã ptinet, sed necessariò est forma vera. Ergo vna forma oriente altera interit; itaq; inter ipsas est p se mutatio. Accipe formã illã corporis, quã quidã in hoĩe præter aĩam ponunt. Vides corpus putrescere, & in elementa dissolui; quare si adesset ista forma corporis, nihilominus p se mutaretur in formas elementorum. Ita oẽs formas, si attente cõsideraueris, huiusmodi reperies, quæ in se vicissim mutẽtur, idcircoq; eiusdem generis physici sint. Id aliunde etiã cõfirmari põt; Nam quemadmodum diuersa genere dicitur v. meta. cap. de diuerso, quæ nõ habent idẽ recipiens, ita oẽs formæ, quæ idẽ recipiens habẽt, in eodẽ genere censendæ sunt. At oẽs formæ ad substantiã pertinentes habent idẽ recipiens proximũ, nempè materiã, quæ ad omnes recipiendas æquè est instituta; ergo in eodẽ genere censendæ sunt. Adde illud, vnã ab alia contineri, vt antea diximus; quare ordine quodã recedere à pri. illo, quod in eodẽ genere cõtinetur; idcircoq; oẽs ad idem genus referri. Satis cõfirmauimus minorẽ propositionẽ allatæ argumentationis. Nunc ad maiorem cõfirmandã aggredimur. Quæ sese habent tanquã terminus à quo, & terminus ad quem, ea pugnant inter se; non .n. inter quæcunq;, & fortuito mutatio fit, sed inter cõtraria, & secum aliquomodo pugnantia ex pri. phy. At quæ simul idem subiectum pficiunt, inter se pugnare non possunt; pugnantia n. se nõ substinent, sed interimunt; ergo nõ possunt se habere tanquã terminus à quo, & terminus ad quem; igitur in se vicissim non mutabuntur, nec eiusdem generis physici erũt. Præterea omnes formæ naturales habent idem recipiens proximum, materiam primam; idem autem non potest duo simul proximè recipere; quemadmodum neq; idem corpus potest totum à diuersis corporibus simul tangi, neq; idem locus duo corpora excipere: præterea vna quæq; forma proprias & peculiares dispositiones postulat; quòd si duæ formæ simul essent, dispositiones vtriusq; essent, iam non propriæ, sed cõmunes; vtræq; .n. vtrique inseruirent. Præterea, vt idem simul non est calidum, & frigidum, neque angulis præditum, & globo-

Opinio D. Thom.

ſum; ita etiam materia diuerſas formas ſimul accipere, & ferre non poteſt. Poſtremò forma deterior diſtinguitur à perfectiore non ſpecie, & vt aiunt, poſitiuo aliquo, ſed priuatione: anima .n. ſentiens eſt priuata perfectione illa, quæ in intelligente ineſt: quare ſi idem ſimul haberet animam ſentientem, & intelligentem, ſimul haberet priuationem, & habitum; quod nefas planè eſt. Ratio hæc Achillino etiam firmiſsima viſa eſt. Tertia cauſa. Omnis forma ad ſubſtantiam pertinens eſt natura: ergo principiũ motus; quare quicquid aliquã formam ad ſubſtantiã pertinentem habebit, moueri poterit; idcircòq; actu cõſiſtet, & erit hoc aliquid. Qoicquid .n. moueri debet, actu cõſiſtat oportet, & ſit hoc aliquid: omninoq; formæ iſtæ ſunt cauſæ vt res ſit ſubſtantia; idcircoq; ſunt cauſæ vt res conſiſtat, & ſit hoc aliquid; quod etiam perſpicuè eſt Ariſtotelis ſecundo de anima 2°. Ac ſi formæ elementorum, quæ omnium ſunt ignobiliſsimæ, in cauſa ſunt, cur res poſsit cõſiſtere, & ſit hoc aliquid, quantò magis omnes aliæ? Ergo ſi rei habenti iam vnã formã, idcircoq; acto conſiſtenti aduenirer alia forma; hæc rurſus illi rei tribueret actu conſiſtere: quare eadem res bis actu conſiſteret, & eſſet bis ſubſtãtia; nec poſterior forma pertinet ad eſſentiã prioris ſubſtantiæ, & vt vocant, ſuppoſiti; qm̃ illud iam eſt per priorem formã: eſſe aũt eſt effectũ totius, atq; integræ eſſentiæ. Quare vulgata & veriſsima propoſitio eſt, quicquid aduenit cõſiſtenti actu accidens eſſe: itaq; generatio poſterioris formæ eſſet alteratio. Addit multa Ariſtotelis teſtimonia, quæ infrà expendentur.

Confutatio D. T.

Aduerſus hanc ſententiam ſunt argumenta, quæ Iandunus ad ſuam confirmandã attulit, quæ à D. Tho. nõ refelluntur, nec facilia ſunt ad refellendũ. Adde tu illa. In miſto corpore ſunt formæ elementorũ; ergo plures in eadem re formas reperiri nõ eſt abſurdũ. At aſſumptũ ab omnibus Latinis negatur. Negent ſanè, ac peruertãt verba Ariſt. ſuo arbitratu; nobis quidem vim non afferent; vt quæ planè, & apertè ab eo dicuntur, negemus. Quæ .n. miſcentur, ſunt corpora ex lib. de ſenſu & ſenſili cap. iii. & quæ miſcentur, ſunt non corrupta, ſed alterata; ergo corpora ad miſtionem accedentia alterantur, non aũt corrumpuntur & intereunt. Præterea ex ii de generatione 49. in miſtis corporibus adeſt aqua, ne terra decidat: ſi non adeſſet terra, non decideret, neq; pulueraſceret; qualitates .n. ſolæ remanentes non poſſunt decidere; quandoquidem decidere corporũ eſt, non qualitatum. Sed hæc infra copioſius. Præterea in animalibus neceſſarium planè eſt plures formas ponere. Se ipſa .n. mouent: non mouerentur autem, niſi diſtinguerẽtur in partem mouẽtem & partem motam, pars aũt mota nõ põt eſſe materia ſola; quoniam quod eſt poteſtate tantũ, non mouetur v. phy. viii. & viii. phy. iii. ſed formata ſit oportet; ita aliam formam geret præter animã mouentem. Reſpondet ad hoc argumentũ D. Thomas in quæſtionibus diſputatis de anima quæſtione nona animam tribuere materiæ eſſe corporeum, & præterea habere facultatem cõprehendendi, & appetendi. Per has facultates mouet; materia aũt quà per eandem animam corporea eſt, eſt pars mota. Difficilius percipitur, quàm oppugnatur iſthæc reſponſio. Quæro .n. ecquid cauſæ ſit, quamobrem idem de elementis dici non queat, diuidi, inquã, in partem mouentem, & partem motã: qñ forma ipſorum, vt vim leuitatis, & grauitatis habet, pars mouens ſtatui põt, vt autem materia per eandem formã eſt corporea, pars mota. Omnino quod mouetur, ſubſtantia eſt actu. Subſtantia item eſt actu, quod mouet v. phy. iii. Et tamen neceſſariò inter ſe reapſe diſtincta ſunt viii pby. 43 Nam ſi diſtinctio rationis ſatis eſſet; vniuerſa philoſophia euerteretur. Quare ſi materia vt corporea mouetur, eſt aũt corporea per animã, certè in ſua ſubſtãtia incluſam animã habet; quare alia, quàm anima debet eſſe ſubſtantia mouens. Hinc in elementorũ motu labor non interuenit, in motu animatorum interuenit; quoniam in horum corpore eſt cõtrarium quiddam motui animæ 2°. de cœlo com. iii. Præterea animæ definitio ab Ariſt. allata ſatis indicat corpus eſſe ſubſtantiam formatã, ac diſtinctam ab anima. Inquit .n. anima eſt actus corporis phy. organici: ergo ante animã eſt phyſicum, idcircoq; mobile & organicum.

Interpretatur D. Thomas iſtam definitionem in eodem opuſculo 45. & alibi; vt animam eſſe actũ corporis organici intelligamus; quomodo calor eſt actus rei calfactæ, odor rei odoratæ, omninoq; quomodo forma eſt actus non materiæ, ſed totius concreti: ſed hæc interpretatio iam aliena ab Ariſt. mente, quàm quæ maxime. Oſtendit enim ex anima, & corpore illo fieri vnũ, tanquàm ex cera & figura, omninoque ex materia, & forma. Ergo corporis organici nomine totum animatum intelligi minimè potuit. Ex quo initio librorum de cœlo rectiſsime ex Ariſtotele, & Simplicio dicebat Auerroes viuentia potius habere corpora, quàm eſſe corpora. Idem Auerroes xii. Metaph. xxxix. declarabat non eundem motum eſſe attributorũ in rebus ſolutis à materia, atque in rebus cum illa concretis. Nam in illis ſubiectũ, & attributũ reapſe ſunt idem; in rebus cũ materia cõcretis ſignificãt aliquã etiã varietatẽ in re: quare cũ dicimus hoĩem eſſe viuẽs, eſſe animal; diuerſæ eſſentiæ iſtis nominib. ſignificabũtur. Animaduertit hunc locum Zimara in annotationibus in Iandonum ſuper quæſtione x. ſecũdi libri Metaph. atque inquit iſtam varietatem prouenire ex materia; quod nihil eſt. Nam &

Explicatio ſententiæ Ariſt. ex pri. tex. pri. de cœlo.

Explicatio ſententiæ Auerr. ex xii. Metaphy. xxxix.

ſubiectum

subiectum, & attributum æquè adsignificant:nomine.n.hominis indicatur forma in materia; itemque animalis nomine indicatur forma in materia; quare si materia cõmunis est vtrique, vt certè est, ab illa diuersitas ipsorum proficisci non potest; ergo à forma proueniat oportet; ita plures formæ in eadem re eruot. Sed alia testimonia haud multo post afferemus. Postremò illud sine dubio D. Thomam conuincit, quòd apud Aristotelẽ anima intelligens à sentiente reapse differat necesse est; quãdoquidẽ hæc oumeratur ad indiuiduorũ multitudinẽ, illa vero minime, ne aut infinitum actu admittamus, quod etiam à D. Thoma in pri. parte summæ quæstione vii. rectissimè exploditur, aut eum Platonicis animam quoque sentientem æternam statuamus. Hæc de D. Thoma. Nunc inter memoratas extremè dissidentes opiniones quasi intermedias non nullas exponamus.

Auicenna, quem Lynconiensis, Albertus, multique alii clarissimi viri sequuti sunt, posuit non formam quidem aliquam in materia per quam substantia tantum esset, vt Iandunus, sed per quam subiiceretur quantitati, & dimensionibus; cæteroquin istæ in materia esse nõ possent, propterea quòd accidens postulat subiectum actu. Hanc autem formam vocant formam corporeitatis, æternamque sociam materiæ statuunt, vt nunquàm planè ab illa diuellatur, aut intereat. Ita.n. vitatum iri, ne corpus fiat ex non corpore; quod maximum semper est habitum absurdum. Aduersus hanc opinionem Zimara multis in locis, præcipuè in castigationibus in eandem quæstionem nonam Ianduni multis argumentis disputat: sed accipit omnia ab Achillino ii. lib. de elementis hanc rem copiosissimè tractante. Quoniam autẽ complura ex illis sunt, quæ dissolui putamus posse, & à nobis pro nostræ sententiæ defensione dissoluenda erunt; idcirco illa tantum, quæ firma credimus, recensebimus. Isthæc forma aut agit, aut non agit. Si non agit; frustra est; nulla.n. forma ociosa. Sin autem aliquã actionem obit, erit natura, & mouebit secundum locum; hæc.n. prima rerum naturalium actio est. At si ista forma nondum grauitatem, aut leuitatem habet; qui mouere secundum locum poterit? Quod etiam fuit in causa, quamobrem Arist. iii. de cœlo lv. negaret vllum corpus naturale prius elementis esse; atque eodem iii. lib. tex. xlviii. tanquàm absurdum afferet esse aliquam partem ignis, quæ non esset ignis. Omne enim corpus aut elementum esse, aut ex elementis. Quam argumentationem, qui interius inspexerit, intelliget maximam aduersus istos vim habere. Atque omnino dum putãt se hac in re sequi autoritatem Arist. ferendi nullo pacto sunt. Audietis ipsum in sequenti capite, dum loquitur de conuersione aquæ in aërem, eamque esse accretionem negat, corpus istud reiicientem, ac statuentem à quantitate termi nari ipsam materiam. Ac certissimum illud est, si in materia prima sit ista forma æterna, non potuisse ab Aristotele naturam materiæ primæ inueniri: Ea enim per mutationem inuestigatur pri. phy. 5 t. & 8°. Met. com. xii. & in lib. de substantia orbis cap. pri. quod.n. vicissim suscipit diuersas formas, materia pri. est, & ex qua pri. res fiunt, & constant. Mutatio autem nos duceret ad istod compositum ex materia, & forma ista (quam vix audeo corporeitatem nominare; sed necessitas pudorem vincit) quod esse compositum ex materia nullo pacto cognoscere possemus; quandoquidem non mutatur; sed simplex quiddam arbitraremur.

Quare verisimilius loquuti sunt Stoici, & Pericles Lydus, qui vt narrat Simplicius primo physicorum lxv. putarunt apud Aristotelem, & Platonem materiam ipsamet esse corpus; reuera enim mutatio vlterius nos, quàm ad istud corpus non duceret; ac tamen ad materiam debet ducere; quamobrem sequitur materiam suapte natura fore corpus. Vidit id quodammodo Auicenna, dum duplicem materiam statuit, pri. primam, & secundo primam: priorem illam esse puram facultatem, & potestatem, spectareque ad primum philosophum; posteriorem esse corpus; & cadere sub naturalem scientiam. Verùm neque primus etiam philosophus ratione vlla ad materiam illam primo primam peruenire posset via mutationis destitutus. Albertus autem formam istam videtur caducam ponere; quod tamen à ratione abhorret; quando isti formæ nihil est cõtrarium, & ista intereunte si alia eiusdem naturæ orietur; profecto prior illa frustrà interiisset; ac nihilominus corpus fieret ex nõn corpore. Corpus enim nouum fit tantum ex materia pri. cum noua formà corporis aduentante vetus forma minimè remaneat, sed intereat. Aristotelis sanè & Auerrois verba formam istam perspicuè respuunt. Semper.n. asserunt elementa esse corpora simplicia, & componi ex materia, & contrarietatibus, tanquàm primis partibus, nulla istius formæ facta mentione. Adde, quæ dicuntur ab Auerroe 2°. de generatione, 3°. & 4°. de cœlo, xxii. & sexcentis aliis locis, quæ ab Achillino, & Zimara habes. Quod aũt isti dicunt Auicennam induxisse istam formam speciei efficientem, minimè autem generalem, quemadmodũ reuera inducenda sit; idcircoq; reprehendi ab Auer. pri. phy. vlt. & alibi; nihil est. Nam, vt constat ex Auer. in paraphrasi pri. philosophiæ tract. 2°. c. vlt. Auicen. ponebat formã istã genus summũ in categoria substãtiæ.

Opinio Auicen.

Confutatio Auicenæ.

Quòd Auicenna induxit formam corporeitatis genericam, & non specificam.

Quod primæ formæ .i. formæ elementorũ sint contrariæ.

Omnino rationi consentaneum fuit primas formas, quæ insunt materiæ, esse contrarias, vt generatio & interitus cæterarum omnium formarum posset existere. Nam vt rectè ex primo de cœlo tex.xx.dicebat Auerroes, nihil vim suam efficientem exercet in simile, sed in contrarium. Forma ignis agit in formam aquæ; ergo illi contraria est. Verba hæc de ore Arist.eo loco sanè mittuntur, in contrariis esse generationem & interitum. Generatio autem ad substantiam pertinet, non ad accidens, vt scitis; quare in substantia etiam erit contrariũ. Atqui vt contrariorum sunt contrarii motus, ita rursus contrarii motus à contrariis naturis proficiscuntur: quis dubitet? Loqui autem Arist. de contrariis ponentibus, non de priuantibus inde patet, quòd priuationem nullus sequitur motus. Ergo si elementorum motiones ad locum contrariæ sunt, si contrariæ etiam patibiles qualitates, si ipsa inter se assiduè bellum gerunt; cur non contrariis formis prædita existimes? Attulerunt nonnulli distinctionem quãdam contrarietatis: nam vnam internam, alteram externam statuerunt; elementaque extrinsecus esse contraria concesserunt, intrinsecus negarunt. Sed distinctio nulla. Externa enim qualitatum contrarietas non aliunde pendet, quàm ex intima ipsorum natura; idcircoque ipsa etiam natura contrarietate prædita sit oportet. An tu si videas duos homines gladiis sibi mutuos ictus infligentes, dicas gladios esse contrarios, an homines? Hinc Aristoteles, vt diximus, formas elementorum contrarietates vocat. Hinc Alex.pri. libro quæstionum cap. vltimo, præcipuè dicebat formas esse contrarias; & Auerroes millies, vt in eodem cap.tract. secundi, & in lib.de substantia orbis cap. pri. quo loco sententiam istam ratione etiam confirmat. Formæ enim se debẽt vicissim corrumpere; quare sibi mutuò aduersentur necesse est. Hinc Ammonius in categoriis cap. de Quanto opinionem hanc tanquàm omnium Philosophorum communem recenset, materiæ informi primum inesse quantitatem, vt dicemus, deinde primas qualitates; quarum nomine formas ipsas elementorum significari antea docuimus. Idem perspicuè habetis à Simplicio in primum de cælo com.xxxvi.qualitates, inquam, & motus esse contrarios, quoniam ipsæ formæ & naturæ contrariæ sunt.

De trina dimensione.

Cæterum quoniam corporeitas ista potest etiam tanquàm quantitas, & terna dimensio intelligi, atque hoc pacto si accipiatur, verè materiæ esse sociam perpetuam credimus; idcirco diligenter de ea agendum est. Simplicius, & Auerroes dimensiones, quas materiæ tribuunt, vocant interminatas; nec tamen nisi fallor, idem significant. Simplicius enim eodem pri. phy. com.lxv. ipsãmet naturam materiæ primæ videtur quantitatem, ac dimensionem interminatam nominare; quoniam, vt est materia substantiæ, ita etiam est materia quantitatis; & quoniam aliæ formæ aliam exigunt quantitatem, idcirco materiæ naturam esse idoneam ad crescendum, ac descrescendum, id est ad maiorem, & minorem molem accipiendam; hancque facultatem esse dimensionem interminatam; quæ quidem omnia verisimè dicuntur, & congruenter Aristoteli, ac Platoni; vt ipsemet ostendit.

Simplicii opinio.

Auerrois opinio

Auerroes autem in lib.de substantia orbis cap.primo, & in paraphrasi primæ philosophiæ capite antea memorato inducit istas dimensiones, tanquàm quantitatem distinctam à natura materiæ primæ, æternam illam quidem totam, sed caducam, atque orientem, & intereuntem ratione terminorum: quare dicuntur istæ dimensiones esse potestate ante formam, non actu: expectant enim terminum à forma (atque hoc quod dicimus, expectare aliundè terminum, est quoddam genus potestatis, de quo infra etiam loquemur) quandoquidem actus est qui terminat, ac distinguit septimo Metaph.49. Illud tamen ne vos fugiat eandem quantitatem in materia esse terminatam, & interminatam; verùm terminatam respectu habito ad formam præsentem; interminatam ad formam venturam. Probat ponendam esse istam in materia quantitatem, ne ex non quanto fiat quantum, & corpus ex incorporeo. Constat etiã id ex obseruatione effectorum naturalium. Videmus enim, cum dimensio tanta fit, quantã aliqua forma postulat, statim istam formam in actũ erumpere, pristinam autem interire; vt cum aqua ad raritatem aëris accedit, aquæ formam interire, aëris oriri. Nec putandum est quantitatem priorem amitti adueniente noua forma; sed remanet, quemadmodum alia accidentia communia genito & corrupto, vt perspicuitas in aëris in ignem mutatione. Videndum autem diligenter est; quantum ratio illa Auerrois valeat, nisi ponatur ista quantitas, fore, vt ex incorporeo corpus generetur. Eam enim considerauit Alex.pri.lib.de anima cap. ii. & Ioan. Gram.in hunc librum com.xxxv. Inquit Alex. mirandum non esse, si corpus fiat ex materia & forma incorporeis; nam quicquid fit, fit ex eo, quod tale minimè est, quale futurum est; calidum enim fit ex non calido, frigidum ex non frigido. Addit tamen non simpliciter generari corpus; quoniam corpus semper est; quasi, & ipse fateatur remanere semper eandem quantitatem in materia. Idem habetis à Philopono. Negauit ii. cap. Arist. & alibi millies ex incorporeis componi magnitudinem, & corpus, vt ex punctis; concedit

An ex incorporeo corpus generetur.

tamen

tamen componi ex materia & forma incorporeis; qua ratione? quoniam puncta actu præessent, si ex eorum cumulatione magnitudo coostruenda esset; actuque etiam consisterent, si in ea rursus esset magnitudo dissoluenda. Nunc materia nunquàm per se soluta à forma consistit, & à quantitate. Idcirco corpora fiunt quidem ex incorporeo, id est ex materia nō tamen per se consistente, sed coniuncta corpori, & magnitudini. Vt omittam puncta non eius naturæ esse, & conditionis, vt subiecta formarum possint euadere. Sed hoc aliàs. Philoponus sanè com. 90. & 99. perspicue ponit triplicem istam ternam dimensionem tanquàm sociam æternam ipsius materiæ. Quinimo, quantum intelligitur ex iis, quæ à Simplicio in primum de cœlo com.xxx. & alibi sæpè referuntur, hoc ipsum materiam nominauit, nimirum puram illam facultatem coniunctam tamen cum ista quantitate interminata. Quàobrem putarim Græcorum, & Auerrois eandem esse sententiam; itaque sanciemus non cōponi corpus ex partibus incorporeis, tanquàm sese mutuò tangentibus, & integram quantitatem constituentibus. Nam si se tangerent aut, tota tangeret tota, aut pars partem; atq; neutro modo fieri potest; vt superius ostendimus. At ex partibus incorporeis tanquàm partibus essentiam constituentibus ex materia, inquam, & forma componi corpus naturale intercedente tamen ipsa quoque quantitate, nihil absurdi est. Intercedere quidem ipsam quantitatem oportet. Efficiens enim tangere materiam non posset, nisi ea quantitatem haberet; effectio autem omnis, vt non multo post audietis, tangendo administratur. Præterea forma per se indiuidua est viii. Metaph.x.nec digereretur in partes, nisi antecederet quantitas: quàmuis D. Thomas in opusculo xxxii. afferat formam secum ferre dispositionem partium; cæterum id non vsquequaque verum. Requirit enim forma certam partium dispositionem; verùm ea non acquiritur nisi per quantitatem antecedentem (nam si per se indiuidua est, nō potest secum ferre quantitatem) quomodo etiam acquiri non potest, nisi antecedentibus qualitatibus, & affectionibus. Nam calfiat & exsiccetur lignum oportet, antequàm forma ignis educatur. Hoc tamen interest inter qualitates, & quantitatem; quod qualitates aliquando intereant oportet à contrariis qualitatibus euersæ; quantitas autem aduersario carens, interitu quoque caret. Efficiens enim non interimit, quod se potius iuuat quàm impedit.

Quæ autem a D. Thoma in eo opusculo aduersus Auerroem afferuntur, non difficillimè refellemus. Primum inquit. Si isthæc quantitas sit in materia prima, quoniam est accidens, fore, vt accidens sit in subiecto, quod minimè actu est. Id autem à natura accidentis multò alienissimum videtur. Vidit istud probè Auerr. iii. de cœlo vii. & ob hanc causam dixit superficies non posse existere in materia, nisi intercedente forma. Quid igitur nunc dicemus? Hoc nimirum. Omnia accidentia insunt subiecto actu consistenti; verumtamen quædam se quuntur naturam materiæ, & illius quasi propriæ affectiones sunt; quædam naturam formæ; quam distinctionem ab Aristotele in sequenti capite habebimus, eamque nos copiosè explicabimus. Ergo quantitas est veluti propria affectio ipsius materiæ, inest tamen materiæ, vt actu consistit: materia actu consistit per formam; quare si destitueretur vnquàm omni forma, destitueretur etiam quantitate; quinimo ipsa periret. Nunc quàmuis vnam atque alteram formā amittat, semper aliquam habet; per quam actu consistat, idcircoq; semper quantitate sit comitata. Ergo quantitatis fundamentum est materia actu consistens; minimè autem necesse est, vt per eandem formam semper actu consistat, si tueri quantitatem debet; sed satis est vt vna forma abeunte, altera eodem momento succedat. Addit aliud argumentū D.Thomas, si materia sit cū quātitate antequàm forma adueniat, fore, vt compositio per accidens sit prior compositione per se. Compositio enim ex materia, & quantitate est compositio per accidens; compositio autem ex materia & forma est compositio per se. Respondemus, si res præsens spectetur, absurdum profectò esse, si antea compositio sit, quæ per se, quam quæ per accidens; sin autem res futura spectetur, non est absurdum. Nam quemadmodum prius est materia cum priuatione, quàm cum forma, quæ fieri debet: itemque prius affectionibus formæ præparatur, quàm formam accipiat; ita prius etiam cum quantitate esse necessarium est. Quantitas ergo prius inest materiæ si tempus consideres, quàm forma generanda: forma ipsa tamen cum erit genita, magis intima erit materiæ, quàm quantitas; quoniam scilicet ex illius visceribus eruitur, & illi tribuit esse, & succedit formæ priori, quæ item tribuebat esse: sicuti antiquo seruo præfertur filius recenter natus; vt præclarè docebat Achillinus primo lib. de elementis dubio xvii. Est igitur quantitas quasi serua & ministra materiæ ad accipiendam formam; forma autem illi prorsus coniungitur; atque vnum quiddam cum ea fit; ita vt ad accipiendam formam aliquid intercedat, vt priuatio, vt quantitas, vt illæ, quas vocant præuiæ dispositiones; ad substinendam autem nihil intercedat intermediū. Quod si dubites extundatur ne quantitas ista ex materia; respondent extundi; ideircoque

Argumēta D.Thomæ aduer. Auer. confutantur.

generari, & interire ratione terminorum. Egò tamen dicerem esse propriam affectionem materiæ, nec habere materiam ex qua, vt nec cæteræ propriæ affectiones habent (quod ego alias ex octauo Metaph. xiiii. collegi) sed tantum materiam in qua substinentur, vt lux non efficitur ex mate ia solis, sed eã sequitur atq; in ea nititur. Omnino Arist. vii. met. viii. affirmat ablatis dimensionibus remanere tantum materiam primam, & in sequenti capite ipsum audietis, cum vocabit quantitatem terminum materiæ; vt mihi Auerrois sententia dogmatis Aristotelis maximè consentanea videatur. Ea igitur, quæ ad interminatas dimensiones pertinent, ita sint constituta, in materia esse quantitatem æternam, quæ terminos semper accipiat ab aduentante forma; ita esse actu respectu habito ad formam præsentem; esse autem potestate respectu habito ad nouos terminos, quos potest accipere; quod ab Auerroe ad finem secundi tractatus Metaphysici perspicuè est expositum. Nunc ad propositam quæstionem reuertamur.

Opinio Achillini. Achillinus multò, nisi fallor, propius ad veritatem accedens secundo libro de elementis hanc sententiam protulit: Corpus ex materia constans, aliud esse simplex, aliud mistum: mistum aliud animatum, aliud inanimum: animatum aliud sentiens, aliud non sentiens, aliud rationis compos, aliud expers: Simplex vnicam formam habere; mistum inanimum formas elementorum fractas, ac debilitatas, ac præterea formam mistionis: mistum animatũ non sentiens formas elementorum, & animam vegetabilem, quæ formæ mistionis officium etiam præstat, & ipsius facultatem repræsentat; idcircoque forma mistionis aduentante anima vegetabili interit; eoquòd ipsa frangi nequeat (id enim proprium elementorum, quasi imperfectas formas habentium est) cum tamen remaneant elementa certo quodam gradu collocata, & certam proportionem habentia, tanquàm præparantia materiam ad animam substinendam: Animal autem habere easdem elementorum formas, & animam sentientem; quæ vicem expleat formæ mistionis, & animæ vegetabilis; idcircoque istæ abeunt, & intereunt aduentante anima sentiente: hinc forma spermatis corrumpitur, dum homo fit pri. phy. 62. cæteroqui idem esset inanimum, & animatum, planta, & animal, vt antea pro D. Thoma argumentabamur. Postremò hominem habere formas elementorum, animam cogitantem; & postremò intelligentem; de qua tamen nihil est, cur in præsentia disputemus. Putat item distingui formam generalem à speciali, non tamen in eodem supposito, vt inquiunt, sed in diuersis: prius enim embrio viuit vitam animalis: quàm hominis; quod etiam est Auerr. pri. Met. xvii. ità prius habet formam generalem, quàm specialem; non idem tamen suppositum est, cum est animal; atque cum est homo: quia generalis forma abit adueniente speciali, quoniam tota facultas illius generalis in speciali continetur. Considerans autem diuersitatem partium vniformium, & multiformium, quæ in animali præcipuè sunt, illud addit differre istas secundum substantiam, non tamen formà substantiam constituente. Omnium enim vnica forma est, nimirum anima, sed habent varias elementorum temperationes, quæ elementa sunt substantiæ, idcircoque partes variis temperamentis præditæ differentes secundum substantiam dici queunt. Hæc Achillinus.

Aduersus Achil. Ego illud primum non verè dici arbitror formam generalem esse semper distinctam à speciali, & ante specialem acquiri; quod in nostræ sententiæ expositione magis patebit. Nam cum Embrio est animal; est speciale animal, non generale: alioqui prædicaretur de speciebus animalium. Genus enim de speciebus prædicatur. Nunquàm igitur adest forma generalis, quin aliqua speciali contineatur. Præterea quod ad partes attinet, vix animo concipi potest, tantum partium varietatem, longeque diuersam temperationem eadem tamen forma, id est, anima proximè contineri; præsertim cum hac ob violentam ac subitam mortem recedente, maneant tamen diuersæ partes, atque iisdem præditæ accidentibus, vt ossa, vt cartilagines, vt venæ, vt nerui: quo etiam pacto planta exsiccata suam vnitatem seruat ad longissimum tempus; easdemque facultates, eundem saporem, odorem, colorem retinet. Ergo cum istæ partes, abeunte momento anima, suam tueantur vnitatem, suaque accidentia, subiectum formatum postulant. Nec verò eodem puncto temporis, quo anima recessit, potuit forma mistionis exoriri, quæ animæ virem expleret. Nam & ipsa mistionis forma certas, propriasque in materia affectiones peculiaremque præparationem postulat, quæ præparatio temporis spacio absoluatur oportet: nos autem subitam mortem accipiebamus. Hæc ferè fuit argumentatio Socratis in eo Dialogo, qui Phœdo inscribitur; vbi aduersus Cebendisputat. Nonnulla præterea eorum, quæ aduersus D. Thomam diximus, contra Achillinum etiam valent.

Scoti opinio. Reliqua est digna, quæ à nobis recitetur, opinio Scoti; exposita ab ipso xi. distinctione iiii. quæstione iii. & à Trombetta fusè explicata quæstione ii, in viii. Metaphy. Putant isti

duas

duas formas speciem postremam constituentes, vt formam equi & formam hominis, simul constare, societatemque coire non posse. Vtraque enim tribuit esse integrè, & absolutè: quare si idem ambas haberet; bis esset absolutè; & vna amissa, adhuc tamen per reliquam in teg rè esset.

Non posse etiam inquiunt simul con stare illas, quarũ vna vicem alterius supplere illiusq; opera præstare potest; superuacua enim esset illa, cuius muneribus altera fungi potest. Quare cum forma mistionis repræsentet quicquid formæ elementorum præstare possent, omnéq; illarum facultatem in se se contineat, in misto inanimo vnica forma erit, nimirum mistionis forma: item, quòd anima intelligens secum affert omnia, quæcunque ab anima vegetabili, aut sentiente proficisci queunt, & sentiens quæcunque à vegetabili, idcirco in homine vnica erit anima; nempè intelligens; in Brutis item vnica, ipsa.f.sentiens. In omni tamen misto animato præter animam putant adesse m stionis formam; quoniam huius opera ab anima præstari non possunt; quippè cum forma mistionis per se quanta sit, & grauitatem corpori præbeat, ac mortalitatem; anima autem repugnet potius extensioni, & grauitati; humanaq; immortalis præterea sit. Hanc autem mistionis formam vocant formam organizationis; quinetiam cum in animalis corpore multæ partes organicæ inter se dispertitæ cernantur, his etiã suas proprias, & partiales mistionis formas tribuunt. Argumentis aũt vtuntur nõ contemnendis, atq; illo in primis, si canis de turri decidat, & in medio itinere præfocetur, atq; intereat, fore vnum motum; nullam enim in eo varietatẽ depræhendi; quare vnum etiam manere subiectum motus; vnitas enim motus vnitatem subiecti postulat; nihil autem aliud pro subiecto flatus potest, quàm corpus formatum ista mistionis forma. Illa autem, quæ afferunt ex diuersitate generis, ac differentiæ; eo minus firma sunt; quòd si pro hac formà valerent, valerent etiã ad distinguendas animas; ità vt in homine tres animæ essent; quandoquidem si genus indicat naturam diuersam à differentia, cum hominis remotius genus sit viuens, propinquius animal, differentia rationis compos; attributa hæc diuersas reapse animas indicare debebunt. Cæterùm istorum sententia aliis etiam modis refellitur. Isthæc mistionis forma tribuit esse ipsi cadaueri, tanquàm forma speciem postremam constituens, & absoluens quod fatentur: ergo antea simul cum anima cohærere non poterat. Negant enim duas formas speciem constituentes, & absoluentes posse societatem coire. Ac sanè ex hoc laqueo explicare se Scotus nesciuit. Voluit enim corpus animalis sine anima consideratum esse nõ substantiam, sed partem substantiæ, & introire categoriam substantiæ non rectà; sed reductiuè, vt inquiunt; ac tamen cum per se in morte animalis consistat; tota, atque integra substantia sit oportet. Præterea ponit vnam mistionis formam, quæ tribuit esse toti corpori, ac præterea singulis partibus organicis propriam mistionis formam assignat; ergo istæ partes duplicem mistionis formam habebunt, vnam communem, alteram peculiarem; sic erunt bis mistæ, ac bis organicæ; quod eò absurdius videtur, quòd peculiaris videtur idem præstare posse, quod communis; idcircoq; communis superuacua erit.

Verùm tempus est iam eam, quam veram credimus, sententiam exponere; quod nunc facere aggredimur. Monet nos Aristoteles primo de cœlo 100. & Auerr. vii. metaph. xxxvi. quæstionem multiplicem non esse proponendã, ac si vna esset; sed statim adhibendam distinctionem. Quare cum alii confusè de formarum multitudine, ac de generis & differentiæ diuersitate loquãtur; quasi si multæ formæ sunt, genus, ac differentia diuersas naturas indicent; sin vnica tm̃, forma, genere, ac differentiã notiones tm̃, nõ naturæ diuersæ significẽtur; nos vtramque rem seorsum tractabimus. Primum enim vtrum plures formæ in vnico corpore naturali esse queant, disputabimus; deinde, vnde ducatur genus, & differentia, ostendemus. Quod ad primam quæstionem pertinet, primum enunciationes quasdam affirmantes ponemus, deinde negantes. Prima enunciatio affirmans sit huiusmodi. Elementa quatuor singula vnicam, eamque simplicem formam habent: quæ forma, vt suo loco ostendimus, nomine sociæ qualitatis significatur. Constat id ex Aristotele ii. de generatione vi. & viii. & alibi asserente pri. corpora componi ex materia, & contrarietate. Constat etiam ex Ammonio in categoriis in cap. de quanto sanciente de cõmuni philosophorum sententia materiæ quantæ aduenire continuò primas qualitates, & constituere elementa. Secunda enunciatio. In cæteris corporibus, quæ quidem ex simplicibus conflata sunt, vnica quidem forma est, quæ totam corporis essentiam complet (cæteroqui non esset vnum corpus; vnum enim per vnam formam sit oportet) cæterum non simplex, sed ex partibus composita, ordinem tamen quendam inter se habentibus; ità vt priores partes, & minus perfectæ (quemadmodum inquit Lyncomensis in primum poster. cap. de iis, quæ dicuntur per se) sint quasi materia formalis; aut forma materialis. Comparatæ enim cum materia prima, formæ instar obtinent; comparatæ autem

Opinio propria.

Prima conclusio affirmans.

Secunda Conclu.

autem cum parte postrema, & perfectiore, materiæ instar sunt. Constat autem ex Auer. iii. de cœlo lxvii. & sexcentis aliis locis, fore vt simplex corpus non differat à non simplici; si nó simplex etiam simplicem formam habeat. Ergo in corporibus mistis inanimis tota illorum forma, & essentia componitur ex quatuor formis elementorum fractis, & quasi dimidiatis, & perfectiore præterea forma exoriente ex mistione illa: ac formæ quidem elementorum, si cū materia prima conferantur, formæ; sin cum postrema illa parte. i. forma mistionis conferátur, materiæ instar obtinent. Remanere autem elementorum, formas in mistione sæpè iam significauimus: infra autem perspicuè demonstrabimus. Quòd si de mistis animatis non sentientibus cuiusmodi sunt plantæ, loquamur; in iis quidem non iam elementorum duntaxat formæ plures: sed etiam plures mistionis formæ pro varietate membrorum distinctæ, ac postremò anima vegetabilis reperitur. Illud tamen teneatur varias illas mistionis formas intra certum quoddam, neque ità longum spacium contineri, nec longè esse disparatas. Ex eodem enim semine extunduntur: & eiusdem participes sunt vitæ. Varias autem esse, & satis primo de anima lviii. significauit Arist. & mihi omnino fit verisimile; cum maximè diuersa, & contraria membrorum accidentia, quæ ad finem iiii. meteor. recensentur, considero. Quòd si nostri putant in omnibus membris eandem formam esse, quámuis membra accidentibus, & affectionibus maximè differre concedant, non video cur non possit etiam eadem omnium anima esse; licet à nobis forma mistionis differre ipsæ partes statuantur. Nam vt apud illos diuersæ accidentium complexiones ad eandem tamen animam præparant materiam; ità apud nos diuersæ formæ mistionis præparant materiam, & quasi gradum faciunt ad eandem animam. Ergo plantarum essentia constabit formis elementorum, variis mistionis formis (quamuis ex his vna sit præcipua, & proportione respondens cordi in animalibus, ex qua totum temperamentum appellatur) & anima vegetabili; quæ quasi caput & fastigium essentiæ erit; antecedentes autem formæ instar materiæ obtinebunt. Quamobrem præclarè Auerroes iii. de anima vi. docebat, formarum, quæ sunt in mistis corporibus, alias attribui complexioni primarum qualitatum; quales sunt metallorum; quasdam autem inhærere formis his, quæ complexioni attribuuntur; cuiusmodi est anima. Sed satis de viuentibus tantum. Viuentium, & sentientium forma & essentia componitur ex iisdem rebus, ex quibus plantæ, ac præterea ex anima sentiente; quæ est postrema, & perfectior pars, & caput, vti diximus, formæ. Homo tandem nobilissima omnium inferiorū species, mentem habet cæteris iam memoratis formis, quasi fastigium, & summam absolutionem additam. Illud autem attendas remotiores essentiæ partes facilius inter se distingui, quàm propinquas: quod multis in rebus euenire, sequenti capite ex Arist. ostendemus. Quare in mistis inanimis formam mistionis à forma elementi dominantis vix aut ne vix quidem distinguas, quoniam huic illa proximè hæret; at in mistis animatis faciliter elementa ab anima, difficulter formam mistionis: ex quo vel Galenus qui medicus? qui Philosophus? animam interdum vocare temperamentum non est veritus. Sed tamen si diligenter attendas; quò ad perfectiorem formam deueneris; eò magis illam à materia seiunctam, ac dispertitam inuenies, ac distinctiorem; quod in sequenti capite ab Aristotele habebitis. Ne miremini autem, quid sit, quòd perfectior forma sit magis composita, & concreta quàm ignobilior, cum tamen simplex videatur nobilius concreto. Nam maiore ista, magisque elaborata compositione propius accedit ad verè simplices formas. Sic quámuis figura angulis prædita sit ignobilior globo; tamen quò plures angulos habet, eò ad globi figuram propius accedit. Verùm id ex ii. lib. de cœlo lxii. & lxiii. aliàs explicauimus. Quòd si quæras, ecquid causæ sit, quamobrem forma, & essentia tot partibus constans vna tamen sit; idem respondebo, quod Arist. simili in re respondit vii. Metaph. lvii. Nam quemadmodum ipse statuebat ex diuersis partibus animalis fieri vnum quiddam, quoniam natura coniunguntur, non vi, aut copulatu aliquo externo; ità cum partes istæ maximam inter se habeant affinitatem, & prior sit fundamentum posterioris, posterior sit absolutio prioris; optimè vnam quandam essentiam constabunt. Ex iis, quæ diximus constare potest enunciationem illam viii. metaph. prolatam species rerum esse sicuti numeros, non esse tanquàm vniuersalem audiendam; sed distinctione opus esse. Sunt enim quædam species æquali loco ex aduerso collocatæ, quarum vna non ingreditur in alterā, vt species elementorum inter se; species mistorum inanimorum inter se; item plantarum; item multorū brutorum animantium inter se. Non enim species aquæ ingreditur in speciem ignis, non species auri in speciem plumbi; non species lactucæ in speciem absynthii; non species equi in speciem canis. Quod si species non pari loco constitutas attendas, & compares inter se, vt species elementorum cum speciebus mistorum inanimorum, has cum plantis, plantas cum brutis animantibus, bruta animantia cum homine; ità species rerum sese habere sicuti numeros

De formis mistorum inanimorum

De formis mistorum animatorum

De formis animalium.

De formis hominis.

An semper simplex sit nobilius composito.

Explicatio illius propositionis species rerum esse sicuti numeros.

ſos non erit cunctandum profiteri. Nam prior, & ignobilior in poſteriorem, ac perfectiorem ingreditur, vt ternio in quaternionem. His probè fixis ac ſtabilitis ſequuntur negantes enunciationes. Non in omnibus corporibus naturalibus eſt vnica, & ſimplex forma, quod D. Thomas voluit. Nam, qui in animali exempli cauſa aſſerat ſimplicem eſſe formam, is ſenſui planè repugnat, neque habet, quî corpora ſimplicia à non ſimplicibus diſtinguat. Secunda enunciatio: non eſt introducenda forma illa, quam formam coporeitatis vocant: nullũ.n. corpus prius eſt corpore graui, & leui iii. de cœlo Iv. Tertia enunciatio: Nõ tot formæ in vno quoque corpore ſtatuendæ ſunt, quot ſunt ea, quæ per ſe pri. modo attribuntur; quemadmodum ſenſit Iandunus. Nam igni aëri, aquæ & terræ attribuitur corpus per ſe pº modo, itemq; elementum; nec tamen per aliam formam ſunt corpora, per aliam elementa. Iam.n. non eſſent ſimplicia, ſi pluribus formis prædita incederent. Item nobiliſsimum illud, & precioſiſſimum metallum eſt miſtum, & aurum; nec tñ per aliam formam eſt miſtũ, per aliam aurum; ne bis eſſe miſtum cogamur fateri. Item arbor hæc eſt planta, & ficus; non tñ per diuerſas formas; nam ſi per diuerſas, duplicem vegetabilem animã haberet. Item equus eſt animal, & brutum, & per eandem quidem formã: cæteroqui duabus animabus ſentientibus præditus eſſet. Sunt igitur tot formæ, aut potius tot partes formæ in aliquo corpore; quot per ſe in aliis corporibus ſine poſteriore conſtare queunt; vt in homine ſunt formæ elementorũ, formæ miſtionis, anima vegetabilis, anima ſentiens, intelligentia; quoniam formæ elementorum ſine formis miſtionis in elemẽtis conſtãt; formæ miſtionis ſine anima vegetabili in metallis; anima vegetabilis ſine ſentiẽte in plantis; anima ſentiẽs ſine intelligentia in brutis animantib. Omnino diſtinctio formarum non ex diſtinctione attributorũ petenda eſt; nimis.n. multitudo formarum excreſceret; ſed ex aliis regulis, ac præcipuè illis; quas ad finem iiii. meteor. ab Ariſt. docemur. Quarta enunciatio. Non inducenda eſt in corpore organico forma aliqua, quæ ſubſtantia ſit, & totum corpus formet, & ab anima quidem diſtincta, & à formis partium, quod putauit Scotus; ſed ex formis partium, vt capitis, thoracis, ventris, artuum ſimul iunctis exoritur integra, & ſuis numeris abſoluta animantis figura. Totum.n. apud nos nihil aliud eſt, quàm ſuæ partes ſimul iunctæ. Atque hæc de prima quæſtione ponantur. Nunc ad ii. pergamus, eamque explicemus; vt deinde, quæ primæ etiam quæſtionis explicationi officiunt, diluere queamus.

Prima Concluſio negans. — Secunda Conclu. — Tertia Concluſio — Vnde diiudicent partes formæ. — Quarta Cõcluſio.

Oſtendendum eſt, vnde ducantur genera, & differentiæ. Pateſaciemus aũt ſententiã noſtrã quibuſdã, vt in priore fecimus, enunciationib. negantib. & affirmãtib. Negantes tñ nunc priorº ponemus, vt quæ nunc dicemus, ſuperius dictis ſint coniunctiora. Prima enunciatio negans ſit huiuſmodi. Genus analogum non ſignificat aliam formam à differentia. Patet in beatis mentibus; quæ ſunt entia, ſubſtantiæ, actus puri; nec tñ per aliam formam ſunt entia per aliam ſubſtantiæ, per aliam actus puri; ne Deum etiam coagmentatam quandam, & concretam naturam fingere cogamur. Patet etiam in materia prima, & in cœlo; iactet ſe quantũ velit Iandunus. Secunda enunciatio. Non omne genus ſynonymum ſignificat aliam formã, atq; differentia; quod ſuperius etiam oſtendimus; ſed nunc etiam eſt repetendum. Auerroes in Epit. Metaph. ad finem ii. tractatus docet corpus caducum eſſe ſummũ genus in categoria ſubſtantiæ: nec tñ ſignificare põt peculiarem aliquam formam. Nam cũ ignis, aër, aqua, & terra ſint corpora, & elementa; ſi per aliã formã eſſent corpora, per aliam elementa; iam non ſimplicia, ſed cõcreta & coagmentata eſſent; neque ipſorũ formæ primæ formæ eſſent, quemadmodũ ſunt. Præterea miſtum corpus eſt genus omnium miſtorũ: nec tamen ſignificare põt formã peculiarem. Nam cũ aurum ſit miſtũ corpus, & metallum nobiliſsimũ, ſi per aliam formã eſſet corpus miſtũ, per aliã metallũ, per aliam metallum nobiliſsimũ; iam tres haberet formas miſtionis: non enim in auro alia forma adeſſe poteſt quàm forma miſtionis: non enim viuit. Patet idem in plantis & brutis animantibus, prout antea diximus.

Vnde ducatur genera, & differen. — Prima Concluſio negans. — De genere analogo. — Secunda Conclu.

Sequitur nunc affirmans enunciatio maximè attendenda. Licet genus non ſignificet formã diuerſam à ſpecialibus formis; tñ quoniam ad aliquã ſibi ſubiectam ſpecialem formã alia perfectior forma, & quidem diuerſa accedit; hinc fit, vt in perfectiore ſpecie, genus aliam, atq; differentia formam ſignificet; cuius veritatis vmbrã vidit etiam Scotus ii. ſententiarũ diſtio. iii. quæſt. vi. Illuſtremus exemplis. Animal nõ ſignificat naturã diuerſam à naturis ſpecialib. ſentientib. ne idem bis ſentiens ſit; ſed tñ inter cæteras ſpeciales naturas ſibi ſubiectas vnam habet perfectiorem; quemadmodum eam ſpecialem animam ſentientem, quæ eſt in homine; ad quam accedit alia quædam nobilior forma, id eſt mens, & intelligentia; atque ita omnibus numeris abſoluta animalis ſpecies conſtituitur, id eſt homo. In hac abſolutiſsima ſpecie, cum animal ducatur ab anima ſentiente, rationis compos à mente, iſtæ autem diuerſæ formæ ſint; ſequitur hoc quidem loco genus à differentia diuerſam formam ſignificare. Item viuens non indicat formam diuerſam à ſpecialibus naturis viuentibus: ſed inter has vna

Concluſio affirmans. — An genus ſynonymum indicet naturam diuerſam à ſuis differentiis.

est cæteris pfectior, ad quam accedit sensus; & fit animal brutum: quare bruta per aliam formam erunt viventia, per aliam sentient. Item corpus mistum non significat naturam diversam à specialibus naturis mistis; sed inter speciales mistionis formas vna est cæteris nobilior, ad quam accedit anima vegetabilis; & fit planta: ex quo planta per aliam formam est corpus mistum, per aliam viuit. Non possumus idem omnino de corpore simplici afferre, vt ad perfectiorem.s.elementi speciem sequatur nobilior forma.i.mistionis forma. Nam ad verè distinctam speciem procreandam non vnum, aut alterum elementum ob suam imbecillitatem satis est, sed omnia concurrant oportet; sed ità dices, Simplex aut per se constare, aut aliis esse admistum certa quadam ratione, & proportione; ac si rectè admistum sit, illi accedere formam mistionis; ita vt mistum per aliam formam sit corpus.s.per formam elementorum, præcipueque dominantis, per aliam mistum: ex quo ad initium iii. de cœlo mista, & præcipuè animata vocantur ab Aristotele, interpretibus Simplicio & Auerroe, habentia corpus potius, quàm corpora. Ergo in vnoquoque ferè genere synonymo reperitur vna cæteris absolutior species, in quam reliquæ ipsius species, quasi vt antea diximus priores numeri in posteriorem numerum ingrediuntur. In hac genus à differentia reapse distinguitur; at in speciebus minus perfectis cogitatione tantum: non.n. Equus, & Canis per aliam animam sentiẽtem sunt animantia, per aliam Equus, & Canis, sed vnica in vtroque anima sentiens est: sed quà similitudinem quandam inter se gerunt, eatenus ab illis genus ducitur; quà autem in similitudine quædam etiam inest dissimilitudo, ab iisdem ducitur differentia. Differunt aũt inter se animæ vegetabilis species ob varios nutriendi, & generandi modos; species animæ sentientis varia appetendi, ac voluptatem doloremq; capiendi ratione; formæ autem mistionis varia elementorum temperatione variisq; facultatibus. Sed hoc aliàs. Ex his quæ diximus, satis intelligi potest, cur ab Auerroe viii. metaphy.x. dictum sit definitionem animalis hanc esse; corpus viuens sentiens: Si ex hac oratione dematur vox illa sentiens, restare definitionem plantarum; si addatur rationis compos, euadere hominis definitionem. Nam plantæ non habent differentiam reuera distinctam ab anima vegetabili, vnde ducitur viuens, at animalia habent: rursusque quæ sunt animalia tantum, id est bruta, non habent differentiã reuera distinctam ab anima sentiente, vnde ducitur animal; at homo habet. Hinc Gal. pri. lib. de temperamentis docebat supra animal esse stirpis genus: itemq; lapidem, ferrum, æs superioris esse generis, quàm stirpem; quoniam.s.sequens species ab antecedente distinguitur per accessionem quandam; quare antecedens natura superioris generis est; quando ex illa sequens conflatur; vt rerum species sese habeant, sicuti numeri. Hinc optimè intelligetis propositionem illam Aristotelicam vii. Metaph.xliii. prolatam, Genus aut non est præter species, aut tanquàm potestas, & materia. Vtrunque verè dicitur. In speciebus enim minus perfectis ab illarum specialibus differentiis non distinguitur; in perfectiore autem formam significat, quæ sese habet tanquàm potestas, & materia ad absolutiorem actum excipiendum. Hinc etiam rationem afferre possumus, cur interdum Aristoteles ex longinquo genere, ac postrema differentia, interdum autem ex propinquo genere conficiendam definitionem doceat; quod magnis viris magnam molestiam exhibuit. Nam vbi genus propinquum diuersum à differentia sit (quod euenit in specie perfectiore) iure optimo ex propinquo definitionem conficies: at vbi idem reapse sit (quod euenit in speciebus imperfectioribus) si genus propinquum vnà cum differentia accipias; videaris nugari; quandoquidem in differentia totius generis exprimitur. Frustra.n. dicas hominem esse pedibus præditum, si continuò additurus es hominem esse bipedem. Quare hoc quidem tempore ad genus remotius confugiendũ est, quod semper est diuersum. Nam inter genus remotius, & posteriores differentias aliqua semper essentia intercessit. Hinc etiam constat diuisionem non rectè confici per priuantia, quoniam priuatio species non habet; neque in duas tantum partes, vt vulgò solent, satis cõmodè plerunq; distribui. Genus.n. complures habere potest speciales existendi modos; atque adeò habet. Simplex.n. corpus habet quatuor elementa æquali gradu collocata, corpus mistũ innumerabiles mistionis formas, viuens multas æquè propinquas plantarum species, animal multas naturas sentientes. Verùm de hac re tota in primum librum de partibus animalium copiosè disseremus. Sit igitur hoc constitutum genus synonymum minimè diuersum esse à specialibus rationibus, vt animal ab anima sentiente tali; nisi quatenus in perfectiore specie generi proximè subiectam specialem naturam absolutior forma consequitur, vt in homine animam sentientem talem, quæ proximè subiicitur animali, & ab illo diuersa non est, consequitur mens reapse diuersa; ita vt ratione huius posterius accedentis forma differat genus a differentia. Hoc igitur sibi volebat Auerroe duodecimo metaphysicorum xxxix. dum inter solutas mentes, & formas cum materia concretas hoc interesse docebat, quòd in illis nunquàm attributum re diuersum est à subiecto, in his autem est.

Explicatio propositionis vii. met. 43.

Vtrum in definiẽdo adhibendum sit proximum genus.

De bimembri diuisione.

Explicatio com. xxxix.xii.Met.

Multa

Multa enim attributa in his diuersam formam indicant à subiecto, vt omnia genera paulò remotiora; quod in solutis mentibus nunquam euenit. Idem sibi volebat Aristoteles pri.phy. xxviii. ex multitudine attributorum in definitione multitudinem entium aduersus Parmenidem conficiens.

Explicatio tex. 28 pri. phy.

Verùm dubitabis quî distinguatur genus analogum (ita n. vocant, Arist. nunquam genus dixit, sed tantum aliquando vniuersale) à synonymo. Respondeo multis modis distingui. Primò analogum vnam semper speciem habet præcipuam, vt in præfatione huius libri diximus, ad quam cæteræ ità adnituntur, vt ad genus ipsum referri non queant, nisi ad istam speciem antea referantur: quare ista species, non modo cæteris speciebus, verùm etiam genere ipso prior natura est. Sic Deus non tantum reliquis speciebus entis, verùm ipsomet ente longè prior est. At genus synonymum multas species æquali gradu collocatas continet; quarum vna, quòd particeps sit generis, alteri acceptum non refert: non enim equus idcirco est animal, quia canis sit. Idcirco species generis analogi dicuntur ad vnã naturam; species synonymi dicuntur secundum vnam naturam iiii. metaph. iii. Præterea genus synonymum semper indicat naturam aliquam eandem; quàmuis enim præcipuè formam significet, tamen vnà quoque indicat materiam primam; quæ eiusdem naturæ in omnibus est. Corpus enim caducum, quod ponimus in categoria substantiæ summum genus synonymum, significat formam, vt in materia pri. est; vnde mortalitas existit; corpus mistum significat formam, vt non modo in materia prima sed etiam in elementis tanquàm in materia residet; viuens formam vt in nobiliore adhuc materia est, atque ita deinceps. Ergo genus synonymum certam aliquam naturam indicat, nempè materiam; idcircoque à formis ducitur, quæ propinquiores speciei sunt, illique interius hærent. At analogum ducitur à conditione existendi multò ampliore, ac cõmuniore; quippè quæ solutis etiam mentibus communis esse potest; neq; intra terminos alicuius naturæ coërcetur (quemadmodũ genus synonymum intra terminos & cancellos materiæ primæ) idcircoque minus declarat essentiam speciei; quod significabat Arist. vii. met. lvii. exprimebat Auer. in Epitumate viii. metaphy. his verbis. *Id quod representatur per genus vniuocum inuenitur in specie habente illud genus multò perfectius, quàm id quod representatur per genus analogum.* Hinc substantia, si non tanquàm categoria, id est synonymum genus accipiatur, sed tanquàm analogum; non tantum formam in materia significat, verùm & materiæ seorsum, & formæ seorsum attribui potest. Triplex enim substantia est ii. de anima. ii. materia, forma, concretum ex his. Postremò genus synonymum saltem remotius indicat etiam formam aliam, atque differentia: at analogum neque remotius, neque propinquum. Nam ens, vnum, substantia neque à corpore, neque à viuente, neque ab animali, neque ab homine reapse distinguuntur; quare in definitionibus non ponuntur viii. metaph. xvi. x. metaph. viii. & alibi sæpe.

Quomodo distinguatur genus analogum à synonymo.

Hinc etiam ratio intelligi potest, quàmobrem genus synonymum suis differentiis attribui nequeat iiii. Topic. capite secundo loco decimo octauo, ens autem suis differentiis commodissimè attribuatur iii. metaphy. x. quod planissimè exponit Leui Gersonis in Auerroem de quinque vocibus cap. de specie; quamuis Alexan. de hac re in explanatione illius loci dubitarit; cuius dubitationem aliàs planissimè sustuli. Ratio autem hæc est; quòd genus synonymum significat concretum quiddam ex forma, & materia; quod in differentia, quæ simplicior est, recipi non potest tanquàm in subiecto: præterea differentia, & genere remotiore diuersæ naturæ indicantur; quàre non benè genus differentiæ attribuas. At ens, & vnum, non significant concretum quiddam ex materia & forma, sed tenuem notionem, quæ & concreto, & materiæ & formæ sigillatim conuenit; quare omnibus differentiis attribui potest, eoque verius, quò illæ minus vniuersales erunt. Quæ enim posteriore ortu sunt generata, & minus communia sunt, priora tñ sunt natura, & essentiæ perfectione. Ergo, vt hæc omnia in summam quandam redigantur, in categoria substantiæ genus à suis speciebus non distinguitur; nisi quòd genere, communior eiusdem formæ, & alias formas imitans existendi modus, differentia autem minus cõmunis & proprius significatur. Attamen, quoniam vni ex speciebus ipsius generis (illi. s. in quam reliquæ eiusdem generis, tanquàm in posteriorem numerum confluere debent) alia perfectior forma aduenit; idcirco in hac omnibus suis numeris absolutissima specie, genus etiam re à differentia hac quà perfectior illa forma exprimitur, differt. In categoriis autem accidentium non solum genus à speciebus reapse nõ differt; verùm etiam non inuenitur perfectior illa species, in quam cæteræ, tanquã in maiorem numerum confluant. Accidens enim accidenti non aduenit, nisi quoniam vtronque eidem aduenit quarto metaph. xiiii. Excipio tamen quantitatem, quòd ista, vt ex Auer. docebamus, ad substantiæ naturam proximè accedit, ac presertim numerus,

An genus de differentiis prædicetur.

Summa nostræ opinionis.

An in categoriis accidentium genus sit diuersum à differentiis.

N 2 Nam

Nam licet magnitudinis tres species sint, linea, superficies, corpus, & prior in posteriorem ingrediatur; tamen lineam à superficie, superficiem à corpore nunquàm solutam, & liberã inuenies; at numerum priorem à posteriore segregatum facilè inuenias. Adde lineam, & superficiem te m nare potius corpus, quàm ad illud constandum, & componendum concurrere; quud numerus prior in posteriore sine dubio præstat. Hæc nostra de formarum multitudine, deque vt generis, ac differentiæ sententia est; quam vobis probatum iri confidimus, si aduersariorum argumenta refellerimus, ad quod nunc aggredimur.

Confutatio argumentorum Iandunj. Veniant primò in medium Ianduni argumenta. Ea quidem, quatenus illud vult efficere, quot sunt attributa per se primo modo, tot esse formas in corpore, perspicuè falsa sunt. Nam, vt rectè notat Gregorius Ariminensis in secundum lib. sententiarum, distinct. xxvii. quæstione ii. si vera essent; etiam in beatis mentibus, atque adeo in Deo ipso multitudo, & coagmentatio formarum inducenda esset; quam qui inducat, is non sit ferendus. Primum igitur argumentum ipsius ità refellitur. Inquit si per eandem formam homo sit rationis compos, & animal, fore, vt quicquid inest homini, vt homo est, insit etiam animali, vt animal est. Id nos negamus. Nam eadem forma habet communiorem, & minus communem existendi conditionem.i.habet aliquid proprii, aliquid communis; & multa effecta consequuntur communem, multa propriam, & peculiarem existendi conditionem; quare nun quicqnid homini, vt homo est, id est vt habet peculiarem modum existendi conuenit, conueniet etiã eidem vt animal est, id est vt habet communiorem existendi modum, & conditiunem, quod perspicuè docemur ab Arist. xiii. met. summa pri. cap. ii. Verùm vrget rursus Iandunus quærens, ecquid isti modi sint. Si accidentia, genus, & differentiæ modo accidentis inerunt in specie; sin substantiæ, quot modi, & conditiones existendi sunt, tot substantiæ erunt, & formæ. Respondeo modos istos in substantia nil aliud esse, quàm substantiam cum relatione, & comparatione quadam; itemque in accidentibus nil aliud, quàm accidens cum eadem relatione & comparatione. Nam illamet substantia, atq; illudmet accidens, vt pluribus aut paucioribus rebus, aut nulli simile est, varios dicitur induere existendi modos; vn de genus ac differentiæ ducuntur; neque idcircò efficitur genus inesse in specie modo accidentis; quoniã præcipuè indicat substantiam & essentiam rei, ac relatio illa nihil ipsi in re addit, aut demit. Quare Auicenna v. Metaph. quæstionem proponens, quomodo partibus definitionis respõderent partes rei, inquit multitudinem partium definitionis re non constare, sed cogitatione, excipiendo tamen definitionẽ perfectioris speciei, in qua, vt diximus, re differt postrema differentia à genere. Res enim eadem tùm concipitur, vt non terminata, in communi notione generis (ex quo genus dicimus esse quasi partem) tum, vt terminata in notione postremæ differentiæ speciem constituentis: quare cum dicimus equum esse animal aptum ad cursum, non illud significamus equum componi ex animali, & apto ad cursum, sed equum esse animal illud, quod est aptum ad cursum; ita vt pº significetur natura equi, vt quoddam cõmune non terminatum; deinde per differentiam quasi terminetur. Reliqua autem Ianduni argumenta, quibus conficit in corpore aliquo naturali plures esse formas, ad nostræ sententiæ confirmationem faciunt: quare sint illa quidem firmissima per nos licet.

Refutantur argumenta D. Thom. Sequuntur D. Thomæ argumenta, quibus dum ille suam sententiam confirmat, nostram sine dubio oppugnat. Ea igitur confutemus oportet. Inquit primum D. Thomas in forma perfectiore contineri minus perfectam, vt in quadrangulo triangulum; quare si illa aduentante hæc remaneat, hanc certè superuacuam forè. Respondeo contineri priorem in posteriore non pura quadam, & simplici facultate, ut formæ in materia prima, sed tanquàm partem in toto. Sic ternio continetur in quaternione: non enim quarta vnitate accedente abeunt ternæ illæ vnitates; sed remanent, atque ex illis, & quarta exoritur noua numeri species. Sic triangulus fit pars quadranguli; non enim abeunt tres priores lineæ accedente quarta. Sic aduentante octauo caloris gradu, qui summus est; non recedunt septem priores gradus; sed ab octauo perficiuntur, & fit ignis forma. Ita anima vegetabilis quasi amplificata & aucta fit sentiens, neque ipsa aboletur, & sola facultas ipsius continetur in sentiente; sed manet incolumis, & incrementum potius suscipit. Et quàmuis vulgò ità dicatur formas rerum esse indiuiduas; tamen vt procedente disputatione patebit, id æquè in accidẽtibus atque in substantiis verum est, quatenus sine materia spectantur; vt autem in materia sunt, sunt planè diuiduæ. Quare asserebat Aristoteles octauo Metaphy. decimo formas rerum esse indiuiduas, nisi quæ in materia sunt.

Ergo quæ sunt in materia, diuiduntur. Atque omnino partibus constare animam non negat Aristot. 2º Eudemio cap. 2º. istudque optimè exponitur ab Eustratio in vi. Nichomachiorum cap. pri. & ad finem ii. capitis, Tenendum igitur illud est animam sentientem constare

ftare anima vegetabili, & præterea sensu, intelligentem anima vegetabili, sensu, intelligentia. Vocatur anima animalium sentiens à sensu, tanquam à postrema parte, & quæ cæterarum finis, & absolutio est; à fine autem res nominari maiorem partem solent. Itemque anima hominum nuncupatur intelligens à summo, & nobilissimo gradu. Quare si nomine animæ sentientis sensum ipsum duntaxat significares, aut nomine animæ intelligentis solam mentem, & intelligentiam; profectò nec anima vegetabilis in sensu, nec sensus in intelligentia continetur; sed sunt dispertiti gradus, ac partes; quemadmodum gradus ignis dispertiti sunt, nec primus est octauus, neque octauus primus, sed omnes simul ad ignem conflandum coeunt, & manent incolumes; nec in quaternione prima vnitas est quarta, nec quarta est prima, sed omnes manent incolumes, & quaternionem componunt; idcircoque aiebat Arist. ii. de anima iii. animas ordinem quendam, & seriem inter se habere. Ordo autem in iis locū habet, quæ manēt, & diuersa sunt. Nunc autem, quoniam nomine animæ sentientis totam animalium animam significas, intelligentis nomine totam animam hominis: idcirco vegetabilis in sentiente, sentiens in intelligente contineri dicitur, tanquàm triangulum in quadrangulo, & numerus prior in posteriore. Quemadmodum igitur in quaternione ternio non frustra manet, sed est columen quartæ vnitatis, ac simul cum illa quaternionem conficit; ità anima vegetabilis non frustra manet in anima sentiente: est enim columen, & fundamentum aduenientis perfectioris gradus, nempè sensus ipsius; vt ambo deinceps maneut ad excipiendam intelligentiam; qui summus omnium inferiorum formarum gradus est. Sed excutiamus iam secundum D. Thomæ argumentum, quod à nullo hactenus fuit satis animaduersum. Inquit duas formas eodem genere physico contentas non posse simul idem subiectum perficere, omnes autem formas, quæ in categoria substantiæ comprehendantur, esse eiusdem generis physici, quòd in sese vicissim conuertantur. Respondeo omnes ad idem genus physicum referri, veruntamen esse in iis ordinem quendam, & varietatem: vt quædam æquali loco sint collocatæ, quædam autem dispari loco, & conditione sint; ita vt vna sit amplior, & altior alterà. Ergo quæ æquali loco sunt collocatæ, vt formæ elementorum, vt mistionis formæ, eæ in sese vicissim ita conuertuntur, vt vna accedente altera recedat, vt cum ex aqua fit ignis, aut ex sanguine fit caro: Idque sibi voluit Arist ii. de generatione xxx. scribens si aër esset materia cæterorum elementorum; fore generationem omnem non generationem, sed alterationem. At quæ dispari conditione sunt, non ita in se se vicissim mutantur, vt vna abeat altera adueniente; sed ità mutantur, vt prior quæ antea esset totum, euadat pars; quemadmodum cum ex ternione fit quaternio; ternio, qui antea erat totum per se consistens, euadit pars quaternionis. Quare cum argumentaris: societatē istæ formæ coeunt, & simul degunt; ergo non sunt oppositæ; ergo vna non poterit esse terminus à quo, altera terminus ad quem, itaque in sese vicissim non motabuntur; animaduertas, monebo, in his, quæ dispari conditione, & gradu sunt, minus perfectam (quod tuum etiam in quarta maioris propositionis confirmatione est) distingui à perfectiore non specie, & quemadmodum tu inquis, positiuo quodam, sed tantum priuatione: anima enim plantarum nihil positiui habet præter animam animalium, sed tantum priuationem & absentiam sensus. Opponuntur igitur istæ formæ priuatione, & habitu, atque eò mutari in sese vicissim queunt. Nec tamen illud efficitur quod tu times, & Achillinus etiam nulla de causa timuit, opposita fore simul; nam priuatio abit, quàmuis id, quod est subiectum priuationi, maneat. Mutatur, exempli causa, calor septem graduum in calorem octo graduum; quam ob causam? quoniam in calore septem gradūum inest priuatio octaui gradus; adueniente octauo gradu intereunt ne priores illi septem gradus? minimè; sed tantum priuatio octaui abit, & priuationi isti decedenti octauus gradus tanquàm forma succedit. Sic quod viuit anima vegetabili, vt fœtus, est priuatum sensu; idcirco conuerti potest in naturam sentientem: accedente sensu, sibi opposita priuatio abit; sed anima vegetabilis, quæ huic priuationi substernebatur, incolumis manet. Eodem pacto numerus in numerum mutatur. Sæpè enim ad hanc similitudinem confugimus; sæpè etiam confugiemus. Quod autem à D. Thoma additur, omnes formas habere idem subiectum proximum, cautè est accipiendum. Nam in formis æquali loco constitutis verè dicitur, in formis autem, quarum vna in alteram ingreditur, non verè; quod clarè ostendit Auerroes primo Metaph. xvii. pri. phy. pri. iii. de cœlo lxvii. nullibi autem id clarius habemus, quàm ab Aristotele pri. de generatione animalium cap. primo, & ab Auerroe in Epitomate Metaphy. in tractatu primo in voce *Materia*. Ibi enim distinguebat materiam primam à materia habente formam; hancque in duo genera secabat, vnum quod formis elementorum fractis, & ad mediocritatem quandam redactis præditum esset, alterum, quod integram formam haberet, cuiusmodi sunt aliqua corpora homogenea,

quæ animam accipiunt; atque his verbis vtitur de isto ii. genere loquens. *Secundum est illud genus, in quo remanet forma materia, adueniente alia forma*. Quare si hoc secundum genus à priore distinguitur, quòd in hoc forma manet; profectò integra maneat oportet; cæteroqui non distingueretur à primo genere, in quo manēt formæ elementorum, sed non integræ. Omnino, qui omnium rerum vnicam, eamque simplicem esse formam volunt; nimis apertè Aristoteli, & Auerroi aduersantur. Dicitur tamen materia prima subiectum proximum omnium mortalium formarum; quoniam omnes eruuntur ex potestate materiæ primæ, illáq; intrinsecus formant. Non enim mistionis forma eruitur, atque extunditur ex forma elemēti, aut ex forma mistionis anima vegetabilis; sed omnes ex materia prima quàmuis forma mistionis eam postulet formis elementorũ antea iam exornatam, & anima vegetabilis exornatā forma mistionis. Idem de dimensione interminata, & forma notauimus superius ex Achillino secun. de elementis ad finem ii. articuli. Quod autem inculcat D. Thomas vnamquāq; formam proprias flagitare affectiones, & dispositiones; quòd si simul duæ formæ cohærerent, fore etiam vt simul propriæ illarum affectiones cohærerent; itaque non amplius proprias, sed communes fore; vtrasque enim vtrique formæ simul inseruire; non difficulter dissoluitur. Dicuntur enim propriæ; quoniam certam formam semper sequuntur, neque idcirco tamen si forma communicatur, non possunt etiam propriæ illius affectiones communicari. An non propria rationis affectio est docilitas? attamen communicetur ratio Platoni, & Cæsari; continuo iisdem propria etiam illa affectio communicabitur. Sed pergamus ad alterum D. Thomæ firmamentum, quod maximi semper ponderis est habitum. Quicquid aduenit rei iam actu existenti, est accidens; at quamcunque formam habeat res, per illam semper est actu; quare si illi noua forma adueniat, hæc sine dubio accidens erit. Hoc dissoluetur, si illud tenuerimus, de quo antea vos admonui, coniungi posteriorem formam cum priore tàm arcto vinculo, naturali. s. cognatione, & affinitate, vt ex illis vnum quiddam totum cōficiatur: quod in substantia & accidente non euenit; quoniam diuersi generis sunt, dissimilisque naturæ: quinimò per formam substantialē consistit ipsum totũ; neq; in notione totius includuntur accidentia: ex quo millies ab Arist. dictum est totum esse formam, & formam esse totum. Idcirco Alex. (si modo Alex. fuit, sed certè quisquis fuit, magnus vir fuit) in 7° Metaph. com. xvii. ostendebat formam non gigni; quoniam forma esset quædam, vt ita dixerim, totalitas, atque vniuersitas: quæ puncto temporis erumpit in actum. Id. n. significat ratio ab ipso allata, si accuratè expendatur; de qua re infra copiosius. Diligenter etiam notandus est modus ille potestatis, quo dicuntur partes esse potestate in toto vii. metaph. lvi. & vnitates in numero eodem vii. 49. neque enim eo modo sunt potestate, quo forma ignis in materia aquæ. Nam si partes distinguantur, non essentiam nouam acquirunt, sed nouos terminos. Sunt autem multæ notiones istarum vocum, potestas, & actus; quàmuis non omnes sint expressæ, neque exprimi definitione queant ix. Metaphy. xi. si tamen hic modus potestatis à nobis definiendus sit, ita definietur, vt illud dicatur potestate esse, quod non ex se, sed aliunde terminum habet. Sic ab Auerroe in Epitomate metaph. ad finem secundi tractatus statuitur dimensiones esse potestate in materia; quoniam s. ex sese terminum non habent; sed expectant à forma accedente. Hoc igitur eodem pacto dicimus dimidia esse potestate in toto, quoniam non per se terminata consistunt; sed terminantur termino totius; itemque vnitates in numero; eoque dum coniunguntur, aliam quandam vnitatem, aliumque terminum adipiscuntur. Sex enim semel sunt sex; ac substantia cuiusque est, quod semel v. met. xix. Non est igitur ista pura quædam, & absoluta facultas, sed interiecta intermedia inter actum, & potestatem; quod de genere docet Auerr. in eodem ii. tractatu in octauum met. xv. & xvi. Sed reuertamur ad argumenti confutationem. Ex formis antecedentibus & postrema non ob externum aliquod vinculum, sed ob naturæ coniunctionem, & affinitatem efficitur, vt diximus, vnum quiddam; quod præclarè ostendebat Philoponus ad finem primi de anima; sicuti etiam quælibet forma suopte nutu, suapteque natura cum materia coniungitur quoniam forma est actus; materia potestas viii. met. xv. Quare, sicuti ex materia, & forma efficitur vnũ, quia materia est potestas, forma est actus; ita cũ priores formæ sint quasi materia posterioris, & potestatem adhuc habeant acquirendi perfectiorem formam, ita vt posterior forma sit actus prioris; nihil mirum si ex priore quæ est potestate; & posteriore, quæ est actus, vnum quiddam efficiatur. Quare forma posterior non aduenit rei existenti actu, sed in vnum congregata cum aliis inhæret materiæ primæ eamque format. Nec sequitur, quod pertimescunt, rem illam bis aut sæpius fore substantiam; quàmuis pluribus formis prædita sit, quarum quælibet substantiā, & hoc aliquid possit constituere; quandoquidem in specie perfectiore prior forma cum posteriore ità cōnexa est, vt in vnam formam integram coierint:

Quomodo partes sint potestate in toto.

Quomodo ex pluribus formis fiat vna.

idcircoque

Idcircoque vnam tantum substaotiam constituunt. Constat id in numeris. Nam io quaternione, exempli causa, postrema vnitas accedens ternioni vnicam tantum numeri speciem conficit; nec quaternio bis numerus est. Videtis argumentum, quu illi maximè nituntur, à nobis facillimè reprehendi. Ferri etiam potest reprehensio, quæ à Scoto, & Ianduno, & aliis affertur dicentibus quicquid aduenit rei existenti actu, vt actu existit, esse accidens, formas autem posteriores aduenire materiæ formatæ quidem, & actu existenti, verumtamen quatenus adhuc potestate est & perfectiorem formam, atque actum expectat: distingui autẽ à nobis non incommodè posse posterius adueoientem furmam ab accidente, eòquòd forma posterius adueniens, sit nubilior & perfectior priore; accidens autem minimè. Verè isthæc dicuntur; sed tamen mea mihi responsio videtur tutior, optimis, vt audiuistis, auctoribus nixa. Hæc erant, quæ Diuo Thomæ respondenda putabamus.

An prior anima sit apparatus ad accipiendam posteriorem.

Ex iis, quæ diximus, satis constare potest, quomodo etiam Alberti argumentis queamus occurrere; quæ ille pri. & iii. de anima attulit. Inter quæ voum tamen est, quod propriè confutari postulat. Cuius explicandi occasione, illa simul explicabimus, an omnes formæ simul generentur, an generatio interdum sit motus, & fiat in tempore, an generatio terminetur ad relationem, quomodo generatio sit mutatio totius in totum, atque vnius interitus sit alterius ortus; & vtrum intereunte anima omnes priores formæ deleantur: scimus.n.harum quæstionum explicationem vehementer desiderari. Quærit igitur Albertus, vtrum anima vegetabilis sit postrema præparatio, & cultura materiæ ad sentientem accipiendam, an minimè. Si postremus apparatus est, cum benè affecta, & præparata satis ma eria repentè forma erumpat in actum; profectò quotiescunque in materia aderit vegetabilis anima, continuò etiam adfuerit simul sentiens; ita omnes plantæ, quoniam materiam habent anima vegetabili præditam, necessariò sensum quoque accipient. Sin postremus apparatus non est, profectò inter animam vegetabilem, & sentientem aliqua alia forma, & anima intercedet, quæ materiam ad sentientem accipiendam tandem reddat optimè affectam, & quantum satis sit præparatam Respondeo aliam quandam mistionis formam requiri in materia, aliamque partium distinctionem. & conformationem, vbi anima tantum vegetabilis est extundenda, aliam, vbi præterea sentiens. Quare tunc anima vegetabilis erit postremus apparatus ad sentientem accipiendam, cum talem elementorum mistionem sortita fuerit, vt ex ea non solum ipsa, verumetiam sentiens queat emergere; quòd si mistionem nacta fuerit ad se tantum accipiendam idoneam, minimè autem ad sentientem, tunc se ipsa contenta erit, neque aliam formam expectans plantam constituet. Nec verò negandum est priorem formam esse apparatum materiæ & culturam pro posteriore forma accipienda, quàmuis Albertus omnem istiusmodi apparatum velit genere accidentium cootineri. Nam ad nobiliorem furmam accipiendam ignobilior tanquam fundamentum necessariò requiritur; quod Themistii est iii. de anima cap.xxvii. Quare non tantum cultura materiæ, verumetiam pars totius, & fundamentũ est. Ad constandum enim totum partes aotea existant uporet, atque ideircò præparationes rectè vocari queunt.

An omnes formæ simul generentur

Quæres fortasse an istæ animæ eodem puncto temporis in animali exoriantur. Dubitauit hac de re Iandunus; verumtamen in eam partem propendere visus est, vt existimaret diuersis temporibus generari; quod ego multo verissimum, & Aristoteli maximè consentaneum puto; qui fœtum inquit primum viuere vitam plantæ, deinde animalis; atque ante animæ aduentum aote elsisse formam mistionis verisimile est. Sed argumentaberis. Si dum fœtus fit animal, iam aliquam formam habet, ergo isthæc animalis generatio motus est, & quod generatur, erit: adest.n.forma, per quam subiectum est actu: Aristoteles autem v. Physi. viii. perspicuis verbis dicebat, quod generatur, non esse. Præterea animalis generatio, quando tot formis constat, quæ non eodem puncto temporis exoriuntur, aut erit continuata, aut certè multis motibus constaos; quod vtronque naturæ generationis videtur aduersari, quã omnes asserunt mumento obiri, & absolui. Ad hanc quæstionem explicandam valdè mihi opus est benignitate, & æquitate vestra. Scio enim quæ dicam, inaudita his temporibus esse, sed verba Aristotelis, & veterum peripateticorum sententias expendatis, vehementer vos oro. Ita enim maiorem fortasse mihi fidem habebitis. Alexander vii. metaph.com.xvii.quẽ locum superius etiam obseruandum proposuimus, hac ratione probabat formam non generari, sed compositum corpus; quoniam quod generatur, partium est compos, ac diuiditur in partem prior genitam, & in partem posterius generandam; furmam autem tunc existere, & exoriri asserebat, cum res vndique absoluta, & perfecta esset; quòd.s.esset, vti diximus, vniuersitas, & totalitas quædam indiuidua non quidem simpliciter, sed quòd in similes vniuersitates non diuiditur; quomodo etiam aliàs notauimus ab Aristotele in libro de

Vtrum generatio animalis sit motus, & fiat in tempore.

sensu

sensu & sensili cap. iii. multiformia, & heterogenea vocari indiuidua. Ergo vniuersitas ista, quoniam indiuidua est, puncto temporis erumpit in actum; acquiritur tamen per partes, quatenus ad istius vniuersitatis ortum necessario requiruntur partes; licet non sint partes ipsius vniuersitatis, quæ indiuiduum quiddam est, sed ipsius totius, atque vniuersi compositi corporis. Sic domus fit per partes, & tempore, quamuis tota ipsa figura domus, quæ ex compositione partium existit, momento erumpat in actum. Atque omnino idem semper iudiciū ab Aristotele fit mutationis in substantia, atque mutationis in quarta specie qualitatis. Quare ab Aristotele pri. phy. lxiii. æque simpliciter dicuntur oriri, quæ fiunt per compositionē, aut additionem, aut diminutionem, atque illa quæ fiunt alterata, & affecta materia. Atq; Alexā der nono metaph. com. xii. ex Aristotele notabat plurimum interesse ea, quæ formæ alicuius subiecti sunt, ab iis, quæ affectiones. Nam ex affectionibus subiecta nominantur (dicimus. n. hominem esse album, minimè autem album esse humanum, aut hominem) contra formæ non de subiecto dicuntur, sed potius ex subiecto ipsæ nominantur; non enim dicimus æs esse statuam, aut elementa esse hominem, sed statuam esse æream, hominem constare ex elementis. Quod apertè est Aristotelis vii. phy. à xv. textu vsque ad xviii. Quare idem Alexan. cū vii. metaph. loco iam notato, de generatione loqueretur, globi, & domus exemplum afferebat. Ergo vt globus tempore fit, diuersæque partes ipsius diuersis temporibus, ipsa autem vniuersitas, id est globi integra, suisque numeris absoluta figura momento prodit, ita intelligendū corpora naturalia tempore generari, ac diuersis temporibus formam mistionis, animam vegetabilem, sensum; integritatem autem illam existentem ex compositione omnium partium, & præcipuè ex præsentia postremæ esse finem mutationis, & momento exoriri. Mutationem verò omnem tempore obiri, & absolui, Arist. est. & Auer. vi phy. à xxxii. vsque ad xl. quā obrem rectè dicebat Auer. pri. phy. lxii. non cessare partes spermatis (id est sanguinis menstrui) recedere & fieri partes hominis quousque forma humana perficiatur. Atque idem vi. phy. 59. egregiè ex Arist. declarabat generationem rerum compositarum, vt domus, vt hominis, vt aliorum corporum organicorum non solum egere tempore, verùm etiam obiri, & confici ex rebus mutatis, quæ diuersæ speciei sunt, vt fundamentum, & paries, vt cor & cerebrū; quamuis mutatio tota statuatur eadem specie, quoniam ad eundem terminum, tanquam ad finem tendit. Galenus etiam pri. de locis affectis aureis planè verbis docebat in rebus homogeneis vnà cum generatione adesse essentiam, at in heterogeneis, & multiformib. essentiam esse posteriorem generatione; quandoquidem generatur primò cor, cerebrum, iecur, deinde partibus omnibus constitutis tota ipsa essentia prodit in lucem. Hæc igitur essentia, hæc forma est terminus mutationis, & momento existit; quamuis vt ad eam perueniatur, tempore sit opus, non solum pro immutanda, & alteranda materia, verùm etiam pro diuersis ipsius concreti corporis partibus procreandis. Hoc enim est, quod generatur, vt ex Alexandro diximus. Multò tamen minori tempore in suis operibus moliendis eget natura, quàm ars; quod à Theophrasto pri lib. de causis plantarum docemur *In prima plantarum generatione prouenit quidem prius radix, quàm germina, sed non adeò, vt spacium quiddam temporis amplum præcedat, sed ità vt breue admodum intelligi possit, quemadmodum in animalium generatione cor; quæque circa cor ipsum consistunt. Natura enim, vt ita loquar, nullam penitus rem particulatim, vt ars, facere solet, sed omnia vniuersim simulque procreat, quamuis alia prius, quàm alia conficiat.*

Vtrum accidentia tempore, vel momento generentur.

Verùm dubitabis. Ex accidente etiam & subiecto fit totum quiddam, & ista vniuersitas puncto temporis videtur existere. Item ex pluribus gradibus caloris fit totus quidam calor; quare hæc etiam caloris vniuersitas momento existet; ergo nihil causæ erat, cur substantiā potius, quàm accidentia, & patibiles qualitates momento existere statueremus. Alexander sanè in viii. metaph. com. xi. idem asserit de albo, ac de forma substantiam constituente, album scilicet momento indiuiduo ingenerari, quàmuis lignum tempore albescat; nimirum spectans ille ad postremam candoris absolutionem, quæ & ipsa indiuiduo momento existit; est enim finis. Verumtamen hoc inter formas, & patibiles qualitates interest, quòd in patibilibus qualitatibus subiectum ex ipsis nominatur: quare eum ipsum subiectum dicamus illas accipere, vt lignum fieri candidum, vel frigidum, idque tempore fiat, idcirco accidētia tempore asserimus generari; Formæ autem vt antea ostendimus, non sunt huiusmodi ex quibus subiectum nominetur (non enim dicimus, æs esse statuam) eoque in generatione formæ non extat tempus, quomodo in affectionum generatione. Præterea plures illi gradus caloris eiusdem naturæ sunt, vt infra ostendemus, idcircoque vno gradu adepto statim est calor; non autem facto fundamento, aut iecore continuò est domus, vel animal. Mitto formas (præter illas elementorum, de quibus infrà) tempore generari ob accidentia, quæ inter se

pugnant

pugnant; accidentia autem non ob formas, sed ob suam ipsorum contentionem, & pugnam. Illud etiam attendas velim, illa verè esse totum, quæ sunt verè vnum; tanquàm vniuersitas sit vnitas v. metaphy. xxxi. quare cum ex subiecto, & accidente non fiat verè vnum, quòd diuersi generis sunt; neque verè etiam totum quiddam ex illis exoritur; quare materia formata statim est totum ante omnia accidentia.

Dubitabis adhuc: ista vniuersitas, ac totalitas videtur sanè esse comparatio, & relatio quædam; quare si generatio ad istam, tanquàm ad finem peruenit; certè relatio finis generationis erit, quod multò absurdissimum. Dico, totum mea sententia nihil aliud esse, vt aliàs osten di, quàm partes simul iunctas, veramq; rei formam esse vnicam, ex pluribus tamē persæpè formis, tanquàm partibus artificiosissimo inter se naturæ vinculo coniunctis coagmentatam, & compositam, vt in plantis, & animalibus; generationisque terminum, & finem esse postremam partē cæteris tamen antecedentib. partibus connexam; ex qua coniunctione exoritur vniuersitas illa. Ideirco dicebat Aristoteles iii. de cœlo xxiiii. ordinem esse propriam naturam sensilium. Sic generatio non desinit in relatione, sed in re, quam relatio comitatur; vt patris effectio desinit in filio, id est in effecto, quod comitatur relatio illa. *An generatio sit ad relationem.*

His ita fixis, & stabilitis iam ostendere possumus, cur ab Aristotele v. phy. viii. dictum sit quod generatur, non esse. Interpretatio quidem Scoti nullo pacto contemnenda, omnem formam, quæ substantia sit, tribuere esse simpliciter, eoque, quod generatur non esse, id est nō habere illud esse simpliciter, quod habebit ab adueniente forma. Videtur istud ex ore Auerrois mitti iii. de cœlo lxvii. Dubitans eo loco, qui materia formis elementorum iam prædita, aliam præterea in mistione accipere formam queat, cum tamen recipiens expers esse debeat naturæ recipiendæ; respondet, si subiectum omnium formarum capax esse debeat, carē dum illi omnibus formis esse, cuiusmodi quidem sit materia prima. Sin aliquarum tantū capax esse debeat, istis illi esse carendum, minimè autem omnibus; quemadmodum oculus, qui capax colorum est; illis careat oportet, minimè autem primis qualitatib. Ita materiæ secundæ possunt habere aliquam formam, dūmodo eius sint expertia, quam recepturæ sunt. Sed verè propemodum reprehenderes Auerroem D. Thomas in opusculo, ostendens id subiecto etiam accidentium conuenire (nam subiectū accidentium non est illud, quod debet euadere per motum; ex quo possemus eodem sensu dicere, quod mouetur non esse; ita quod generatur ab eo, quod mouetur, non interesset) nisi iam ex Scoto quasi Auerrois mentem explicā te audiuissemus, eum ita diceret, quod generatur non habere illud esse simpliciter, quod habiturum est. At subiectum motus habet idem esse simpliciter initio, atque in fine motus. Possumus tamen nos tutius, nisi fallor, respondere, cum ex formis antecedentib. & postrema fiat quædam vnica forma, & quod istam vnicam, atque integram formam sustinet, sit materia prima; idcirco quod generatur non esse: nam materia prima, quæ totam istam formam per generationem debet inducere, non est actu; qua etiam in explanatione à Simplicio non videmur discedere. Vt omittam eo loco de generatione vniuersè pertractari. Quare cum in elementorum ortu dum materia vnam formam induit, alteram exuat, nullamque retineat; ita in elementis, quod generatur non sit; hac ratione potuit generatio à motu distingui, quòd in motu semper subiectum existat, in generatione autem non semper, sed persæpè quod generatur, nō sit, vt in elementis. Indefinitæ enim propositiones, qualis illa est, minimè rarò particularium instar obtinent. *Quomodo, quod generatur, non sit ex v. phy. viii.* *Explicatio sententiæ Auer. iii. de cœlo lxvii.*

Non multò secus illa altera propositio est interpretanda, quod generatur, non esse in loco. In loco enim certo, ac definito illud tantum est, quod simpliciter existit: quare cum quod generatur, eatenus generetur, quatenus simpliciter non est, ideirco neque in loco etiam reponitur: Quæ autem mouentur, mouentur vt actu sunt; ita in certo quodam iam loco existere intelliguntur. Nec tamen mihi maximè displicent quæ ab aliis, & à Scoto præcipuè de ista propositione afferuntur; de qua re infra dabitur commodior disserendi locus. *Quomodo, quod generatur non in loco.*

Sed iam occurrendum est difficultati; quæ ex definitione generationis hoc capite nobis tradita existit. Ita ad hoc caput rectè explanandum necessariam fuisse huius quæstionis explicationem cognoscetis. Generatio igitur est mutatio totius in totum nullo sensili manente vt subiecto, inquit Aristoteles. Ergo si statuamus, dum anima sentiens generatur, aliam priorem adesse formam in materia, profectò aduersabimur Aristoteli. Iam enim manserit aliquod sensile vt subiectum, id est materia, à priore forma iam expolita; neque fuerit mutatio totius in totum. Zimara theoremate xx. contemnit eos, qui hoc argumentum attulerunt, & inquit homonymia esse deceptos. *Quomodo generatio sit mutatio totius in totum.*

Alia.n.generatio est, quæ hic definitur; alia, quæ iiii. Meteor. quam reapse putat esse idem, atque mistionem ad finem huius libri definitam, ratione duntaxat diversam; alia postremò, quæ in libro de vita, & morte; vbi scribitur generationem esse primam communicationem animæ calori naturali, & vitam esse eiusdem animæ in eodem calore permansionem. Hic igitur definitur generatio elementorum (quando hi libri elementis præcipuè dicati sunt) in qua fit mutatio totius in totum, solaque materia prima non sensilis manet vt subiectum. Cæterū D. Thomas haud paulò accuratius verba Aristotelis perpendens inquit hanc generationis definitionem nunc traditam omnibus rebus naturalibus debere conuenire. In primis.n.proœmii verbis scribit Aristoteles de generatione in vniuersum esse agendum, & paulò post reprehendit Platonem, qui elementorum duntaxat generationem tradiderit, ac definierit, cum vniuersè omnium rerum afferenda esset. Quare puto ego omnem generationem corporum naturalium esse mutationem totius in totum; quoniam mutatur ipsa vniuersitas, & totalitas; quemadmodum cum ex ternione fit quaternio, est mutatio totius in totum: aliud enim totum ternio est, aliud quaternio. Sic cum ex vegetabili fit sentiens, mutatur totum in totum, quòd semper vnica forma adest, quæ quidem integra, ac tota essentia fit: quare nullum etiā sensile manet tanquam subiectum. Nam cum ex omnibus formis materiæ inhærentibus vnica forma fiat, istique vnicæ, atque integræ formæ sola materia prima substernatur; meritò sola tantum materia, quæ suapte natura non est sensilis, dicitur in omni generatione tanquā subiectum manere. Simile quiddam habetis à Philopono com. lxxii. vbi ostendit frigidum non esse affectionem humidi, sed ambo materiæ ex substantia autem, & accidente non fit simpliciter vnum; ac propterea dicimus manere idem totum, id est eandem substantiam concretam. Hæc.n.vt diximus, sine accidentibus totum est. Sic etiam in animalis interitu, cū restat cadauer, quàmuis nulla noua forma prodeat in lucem, tamen fit mutatio totius in totum: quā doquidem alia emergit vniuersitas, alia integra, atq; absoluta essentia; & quod erat potestate, fit actu.i. forma illa mistionis, quæ antea à forma animalis terminabatur, post animalis interitum euadit ipsa terminus materiei; quemadmodum cum ex quaternione fit ternio, tertia vnitas, quæ in quaternione à quarta terminabatur, in ternione ipsa euadit terminus; idcircoque actu dicitur existere, cum antea fuisset potestate. Atque hoc modo facillimè nos dissoluimus, quod & Scoto, & iis, qui è Scoto, magnam attulit dubitationem, quomodo vnius interitus sit alterius ortus. Semper.n.vel postrema duntaxat forma intereunte interit totum ipsum; & fit aliud totū ex formis remanentibus. Ità ortus semper comitatur interitū. Ita corpus, quod antea erat pars animalis, anima abeunte euadit totum, qua in re diximus errasse Scotum.

Quomodo semper vnius interitus sit alterius ortus.

Verùm hoc loco alia difficultas est tollēda. Dubitauerit.n.facilè quispiā hanc ob causam. Animæ nihil est aduersarium; quare per se non interit; quin si senex acciperet oculum iuuenis, videret, vt iuuenis pri. de anima lxv. ergo eatenus interit, quatenus aliqua prior forma abit, quam tanquàm columen, & fundamentum suum anima requirebat. Talis erat forma mistionis, vel etiam formæ ipsæ elementorum; quare abeunte anima, necesse est omnes priores formas iam interiisse; sic nunquàm remanere poterit idem corpus. Non malè respondet Scotus lociatam esse mistionis formam suis quibusdam qualitatib. quæ tñ absolutiores, & perfectiores sint oportet, cum anima accipienda est; quàm cum ipsamet mistionis forma integrè formare debet: propterea deprauatis istis qualitatibus interire quidem animam, quæ perfectiorem ipsarum gradum, & conditionem postulabat; manere autem posse mistionis formā, quæ inferiore quodam gradu contenta esse queat; non tō manere diu, quandoquidem cum istæ qualitates semel fœdus fregerint, impositumque ab anima ordinem prætererint, non faciunt seditionis finem, quò ad mistum in simplicia fuerit dissolutum. Sed verius ità puto dici (nam apud nos, qui sine dubio censemus elementa manere in misto, non fit verisimile est, immutari, ac variari primas qualitates, & nihilominus formas elementorum, aut mistionis formam eandem manere) animam, vt ex Aristotele audiuimus, communicari calori naturali tanquàm præcipuo subiecto, & in viuentibus perfectioribus calori naturali præcipuæ, ac certæ partis, cuiusmodi e i cor; interire autem hunc calorem aut naturà, aut vi, prout ab Aristotele in libro de spiratione, & alibi sæpè est ostensum, & intereunte ipso animam interire; quare potest forma mistionis cordis, aut spiritus interiisse, & manere tamen peculiaris aliarū partium forma, vt musculorum, neruorum, ossium; quàmuis in his etiam partibus calore, à corde influente destitutis, forma etiam insita, quæ ab illo fouebatur, citius euanescit; quod à Gal. habes in extremo pri. lib. de locis affectis; præterquā in partibus valdè siccis, cuiusmodi sunt ossa. Animaduertendum etiam est corpus cadaueris non ità esse vnum, vt viuens erat viuens n. erat vnum, non tantum opera vinculorum & compage mutua, sed etiam vi animæ, quæ in omnes partes sese fundebat, omnesque amplectebatur, & fouebat. Cadauer autem est vnum, eo quod compagem priorem seruat. Hine

An intereunte anima omnes priores formæ deleātur.

Hinc ratio reddi potest, cur sæpenumero dicat Aristoteles manũ mortuam esse homonymè manum, itemque carnem, quamuis non ita euidenter homogeneas partes, quemadmodum heterogeneas, de qua re in sequenti capite. Manus enim viua nuncupatur manus ex postrema forma, id est anima, per quam potest suum munus obire; mortua autem dicitur manus ex figura, quæ remansit. Omnino, quemadmodum iam statuimus, in omni ortu, & interitu variatur forma, ac totum; idcircoque si maneat idem nomen significans totum, homonymum sine dubio erit. Hæc quantum ad formarũ multitudinem attinet, satis esse duximus ad omnes tollendas dubitationes, quæ ex verbis Aristotelis possent exoriri. De Auerroe autem nihil dicemus; quoniam iisdem modis sententias ab illo prolatas interpretari possumus; illud tamen admonentes non omnia semper argumenta, quæ ipse aduersus Auicennam, & alios, aut odio, aut ambitione ductus attulit, firmissimis niti fundamentis; sed satis esse si aliquo loco necessaria afferantur, interdum verò probabiliter tantum agatur.

Quomodo manus mortua sit equiuocè manus.

Quòd verò ad genus à differentia distinguendum pertinet, vt nihil in hac quæstione quã tum in nobis est, possitis amplius desiderare; nonnullæ aliæ Aristotelis sententiæ sunt expendendæ; primaque nobis se offert illa, quæ Zimaræ obscura fuit, ex vii. metaphy. xx. In his quæ per se dicuntur, non esse diuersum subiectum ab attributo; sic enim illam affert Zimara. Primùm non verissima interpretatio est. Loquitur enim Aristoteles non de subiecto, & attributo, sed de essentia, atque eo, cuius est essentia; ac docet in substantiis idem esse. Deinde, vt vera sit: dicimus semper in substantiis aut totum attributum esse idem cum toto subiecto, aut idem cum parte subiecti. Nam cum hominem asserimus esse animal rationis compos, totum attributum idem est, atque totum subiectum; at cum dicimus, hominem esse animal, vel hominem esse rationis compotem, attributum idem est, atque pars illa subiecti, vnde ducitur; animal enim idem est, atque natura illa sentiens, quæ est in homine, & rationis compos idem, atque intelligentia; & mens, quæ in eodem homine. Quod de accidentibus minimè affirmari potest, quoniam accidentia non sunt partes, sed consequentia subiecti. Sequitur alia sententia ex eodem vii. 43. in postrema differentia omnes superiores contineri, cæteroqui definitionem futuram vnam coniunctione; quippe cum vna differentia futura sit extra essentiam alterius; prout etiam docemur primo de partibus animalium cap. tertio, qua præcipuè auctoritate nititur D. Thomas. Contra sexto Topicorum loco vigesimoseptimo, id præcepti definientibus datur, vt aut proximum genus speciei definiendæ afferant; quandoquidem in eo superiora omnia continentur; aut si remotius genus accipiant, adiungant illi omnes differentias, per quas proximum definitur. Ergo in postrema differentia superiores non continentur, cæteroqui superuacuæ illæ forent in definitione. Primùm diligenter notanda sunt quædam Auerrois verba in illud iii. caput pri. de partibus. Inquit .n. differentias essentiales non se mutuo continere; sed tñ accidentales, vt bipes continet habens pedes; idque verissimè puto dici; quoniam, vt ostendimus, in accidentibus non est multitudo formarum; eoque differentia inferior inde dem ducitur, vnde superior; at substantiæ perfectiores pluribus sunt præditæ formis; à quarum vna superior, ab altera inferior differentia ducitur: Aristoteles aũt eo loco considerare etiam diuisionem per accidentia opus habebat; quandoquidem multæ animalium species accidentibus potius, quàm internis formis distingui à nobis possunt. Deinde, vt omnes scrupuli tollantur, dico postremam differentiam in substantiis dupliciter spectari posse; aut .n. consideratur, vt significat totam, atque integrã rei formã; quæ semper, vt diximus, in vnico corpore vnica est; nominatur tñ ex postrema, & nobilissima parte (sic anima intelligens totam hominis essentiam significare põt, sic anima sentiens totã animalis) atque ita superiores oẽs differentias, tanquàm partes continet, cuius veritatis vmbrã vidit Scotus in post. analytica quæst. xxiiii. & idcirco sola cũ summo genere sufficit ad definiendũ; ac fortè nihil etiam opus esset addere genus (definitio .n. est ratio ex differentiis eodem ii. met. 43.) nisi quòd res tanquàm consistentes concipiantur, acceptũ referãt generi; differentia .n. mõ qualitatis profertur. Aut eadem postrema differentia spectari põt vt non totam formã, sed postremã tantũ, & nobilissimã formæ partem significat; quemadmodum sentiens seorsum tantum, rationis compos tñ mentem; atque ita superiores nõ continet sed perficit; quare aut proximo generi socianda est, aut certè omnes differentiæ exprimendæ. Huc addas, quæ superius hac de re diximus. Tunc igitur rectè sese habere diuisio intelligetur rectéque differentiis vti, ex quibus verè, & non tantum coniunctione vnum efficiatur; cũ posterior erit perfectio, & absolutio prioris, & posterior quasi forma, prior quasi materia; quod non fit in reprehensis illis ab Aristotele diuisionibus; animal aliud implume, aliud plumiferum, plumiferum aliud vrbanum, aliud sylnestre, vrbanum aliud album, aliud nigrum. Declaremus postremò illud, quod D. Thomæ, & Achillino maximam exhibuit molestiam; quomodo s. genus speciei attribui queat. Genus .n. vt exempli causa animal, sumitur à parte

Quomodo genus à differentia distinguatur.

Explicatio sententiæ Arist. vii. met. xx.

Explicatio sententiæ Arist. vii. met. xxxxiii.

An in postrema differentia priores contineantur

Quomodo genus de specie prædicari queat.

homini.i ab anima sentiente; pars autem toti non verè attribuitur: nam si dixerimus hominem esse manum, falsò dixerimus. Res igitur satis obscura. Dicimus nos genus, dum attribuitur speciei, concipi quasi totum quoddam, licet præcipuè vnam partem significet. Animal enim idem significat, atque habens animam sentientem: habens autem animam est totũ quoddam: id significat .n. subiectum quoque animæ sentientis. Quamobrem, vt hominem esse manum fallò diseris, at hominem esse præditum manu, non falsò; ita hominem esse animam sentientem minimè verum est, at esse præditum anima sentiente.i animal, multò verissimum. Explicata à nobis ista obscurissima quæstio est longè quidem secus atque ab aliis sit factum, sed Arist.& veritati, nisi fallor, congruenter, multæque eiusdem autoris sententiæ illustratæ. Vos isthæc sæpè animo, & cogitatione versate. Ita.n. fortasse, & quæ nunc videntur difficilia, facillima videbuntur, & multas alias vbique exorientes expedient difficultates.

2 Vtrum in interitu fiat dissolutio vsque ad materiam primam ex com. Philoponi. lxxii.

Proponitur quæstio à Latinis, quam etiam tractauit Philoponus, vtrum in omni generatione, & interitu fiat resolutio vsque ad materiam primam (ità enim loquuntur) tam ex parte formarum ad substantiam attinentium, quàm ex parte accidentium; quod tantundem est, ac si quæras, vtrum in aduentu nouæ formæ materia prima exuat omnes formas omnino, tùm quæ categorià substantiæ, tùm quæ aliis nouem continentur. D. Thomas (à quo etiam non multum videtur dissentire Philoponus) se ipse audiens, suorumque principiorum non oblitus, non dubitat, quin omnis forma substantiam constituens intereat; quandoquidem vnius rei vnica est, & simplex forma; & nisi hæc interiret, neque res ipsa etiam interiret, neque alia posset generari; neque etiam dubitat, quin simul omnia accidentia dispereãt quandoquidem omnia substantiæ compositæ necessariò adhærent; illaque intereunte manere ipsa non queunt. Sed hæc nimium pugnant cum sensu. Nam cum elementa fiunt mistum corpus, manent illorum formæ; cum fœtus fit animal, manent formæ partium organicarum. Ac de accidentibus quidem, quis non videt manere eandem figuram in cadauere primo de partibus animalium cap. primo, eandem quantitatem, eandem cicatricem? quinimo vires manent in plantis; etiam cum exaruerunt. Dicere autem priorem cicatricem abire, & aliam similem, quæque sensum fallere queat, in locum prioris succedere, nihil aliud est, quàm totam Aristotelis philosophiam euertere. Rescinditur enim iudicium sensus; accidentium generationem momento absolui, ac multa alia absurda demus oportet.

Alii putarunt manere in genito, & corrupto eandem formam corporeitatis: quam satis explosimus; Scotus in animalibus formam illam organizationis; quam nos sine anima substantiam esse nolumus, sed ad quartam speciem qualitatis esse referendam. Totum enim, vt iam constituimus, nihil aliud est, quàm partes simul iunctæ, & fiunt vnum naturæ coniunctione, minimè autem ob aliquam formam ex illis exorientem vii metaph. li. i. Nos igitur congruenter iis, quæ fixa, & stabilita sunt, dicimus in mutatione elementorum nullam formam manere, quæ substantia sit; quoniam illa vnicam, & simplicem formam habent. Cum ex elementis fit mistum, manent illorum formæ fractæ & remissæ; cum ex misto elementa; aliquod vnum ex ipsis interit, aliqua autem maiores vires accipiunt (quod infra ostendemus) ità, vt per se constare queant. In corporibus animatis formæ priores manent, & accipiunt nouam, ac perfectiorem formam; hac autem abeunte, saltem in principe parte, vt in corde forma mistionis interit; quàmuis in aliquibus, vt in cute, in neruis, in osibus, manere aliquandiu posit. De accidentibus autem putamus, quæ aut materiam primò sequuntur, aut formas istas manentes, & ipsa manere; quæ autem sequuntur formam abeuntem, & ipsa abire, nisi à simili quadam forma adueniente conseruentur; vt in mutatione aëris in ignem perspicuitas manet, quòd à forma ignis idem accidens postulante conseruetur. Quomodo autem generatio sit mutatio totius in totum, iam diximus. Semper enim mutatur vniuersitas, ac tota ipsa forma; quod in causa fuit, vt quæstionem de formarum multitudine explicandam duceremus. Videbamus enim hæc, quæ à nobis hoc loco proponuntur, inde omnia pendere.

Quomodo ablatis speciebus auferatur genus.

Idem etiam constare illud potest, ablatis speciebus auferri quoque genus proximum, non tamen remotum. Cadauer enim amissa speciali anima, neque etiam amplius genere animalis continetur; retinet tamen categoriam substantiæ; quoniam non amisit illud, vnde ad genus substantiæ referri queat; nam & antecedentes formæ, substantiæ erant. Quomodo autem dicatur manere eadem perspicuitas, aut calor in mutatione aëris in ignem, si ponendum tur (quod Philoponus non satis potuit concoquere) in ii. lib. disputabimus. Non.n. sunt oĩa vnũ in locũ conducenda; eòque etiã differimus quæstionem illã à Latinis nunc nulla occasione tractatã; an idem effectũ à diuersis numero causis, ac diuersis temporib. procreari queat.

Reliquum

Reliquum autem de accretione dicere: & quã nam re differat à generatione, & alteratione: & quomodo crescat crescentium vnumquodq́, ac decrescat decrescentium quodcunq́. Principiò sanè considerandum, vtrum differentia, quæ ipsis inter se ipsa est, consistat duntaxat in eo quod est circa quod, veluti, quòd hæc quidem ex hoc in hoc mutatio, vt ex substantia potestate in substantiam actu generatio sit: quæ autem circa magnitudinem, accretio, ac diminutio: quæ verò circa affectionem, alteratio: Vtraq́ autem dictarum ex potestate entibus in actum mutatio est: an & modus mutationis differat. Nam illud quidem, quod alteratur, non videtur necessariò mutari secundum locum, neque quod generatur: sed quod crescit, & decrescit: alio tamen modo, quàm id, quod fertur. Quod enim fertur, totum mutat locum: quod autem augetur, sicuti quod extenditur. Hoc enim manente partes mutantur loco, non quemadmodum, quæ globi. Nam hæ in æquali loco mutantur, manente toto: quæ autem eius, quod crescit: semper in ampliorem locum: in angustiorem autem eius, quod decrescit. Quòd igitur mutatio differt non solum eo circa quod, sed etiam modo, eius quod oritur, & alteratur, & augetur, manifestum.

Caput quintū. Tex. Com. 25.

Tex. Com. 26.

Iis, quæ ad generationem, & alterationem pertinebant, satis constitutis, aggredimur iam ad accretionis naturam explicandam, quæ sine generatione, & alteratione intelligi nequit, vt audietis, & animantium propria est; quare de generatione, & alteratione tanquàm de simplicioribus, & communioribus mutationibus est antea disputatum. Non proponimus autem anquirendum, Vtrum accretio sit; quoniam nullus vnquàm, vt notauit Philoponus, illam è rerum natura sustulit. Sed naturam tantum illius sedulò inuestigamus: quam probè percipiemus, si ipsius differentiam à reliquis mutationibus nouerimus; id autem túc propè erimus assequuti; cum modum ipsum, & rationem crescendi, & decrescendi intellexerimus; quæ scilicet materies, quæ forma, quæ efficiens causa. Aliquo enim horum, aut omnibus etiam aliquando res inter se differre solent. Sed de efficiente causa posterius. In præsenti consideremus, an materia tantum, & categoria in qua versetur, diuersa sit; an etiã modus id est forma, & facies ipsa, vt ita dixerim, mutationis. Materies quidem, & categoria sine dubio diuersa est. Generatio enim in categoria substantiæ versatur, & à substantia potestate ad actu substantiam it: accretio verò, & diminutio in quantitate, & magnitudine; alteratio in affectione, & patibili qualitate, *& vtraque dictarum*, id est mutatio in magnitudine, & mutatio in affectione (nam de generatione iam diximus; & videtur istas duas nunc coniungere, quoniam ambæ in accidentibus sunt) *ex potestate entibus*, ex quanto, & quali potestate *in actũ mutatio est*, id est in actu quantum, in actu quale. Videntur aũt isthæc verba, *vtraque autem dictarum ex potestate entibus in actum mutatio est*, idem valere, ac si diceret, propterea dubitamus; quoniam forma ambarum mutationum, quæ in accidentibus & ipsius generationis eadem videtur. Verùm ne erres, addit Aristoteles, si attentius consideraueris, modum etiam, & formam harum mutationum differre tibi visum iri. Quod .n. alteratur, alterari potest non mutato loco; vt aqua calfieri in eodem loco manens. Item quod oritur, oriri non mutato loco, vt ex sanguine fieri eodem loco lac; *sed quod crescit, ac decrescit*, supple tu, necessariò mutat locum. At, ne fortè putes, quoniam in accretione & diminutione mutatur locus, ideo mutationem istam à latione non differre; idcircò Aristoteles istarum inter se differentiam notat; cæteroqui nihil opus erat, vt de latione sermo haberetur; de qua in physicis, & in libris de cœlo cumulatè est actum. Ergò quod fertur, totum mutat locum; ita vt nulla illius pars sit amplius in eadem loci parte, in qua prius erat. Quod autem crescit, quasi quod extenditur (nam omnino in accretione extensio quædam requiritur, vt audietis) hoc pacto mutat locum; vt totum ipsum id est maiores, & plures ipsius partes in eodem loco maneant; quædam autem particulæ alium occupẽt locum. At ne rursus putes idem mutationis genus esse accretionem, & lationem, quæ in orbem, quoniam in hac etiam totum manet mutatis partibus; aliis differentiis in aliud tempus dilatis, hoc nũc

notasse satis sit; quòd partes globi in æquali loco voluuntur; ità vt tantum spacii occupet post motum, quantum ante motum occupabatur; At partes eius rei, quæ crescit, semper ampliorem crescendo occupant locũ; sicut illius quæ decrescit, semper angustiorem. Quare mutatio eius, quod oritur, & eius, quod alteratur, & eius quod augetur, perspicuè differunt; non tantum eo *circa quod* subiecto, & categoria, *sed etiam modo*, modo ipso, & forma quadam, quamuis differentiam istam procedente disputatione multò subtilius exponemus.

Illud autem circa quod est mutatio, quæ ad accretionem, & diminutionem pertinet (circa magnitudinem autem videtur esse id, quod crescere & decrescere dicimus) vtro modo sumendum est? Vtrum ex potestate quidem magnitudine, & corpore, actu autem incorporeo & magnitudinis experte fieri corpus, & magnitudinem; & cum hoc dupliciter accipi queat, vtromodo accretio fit? Vtrum ex ipsa soluta per se materia, an inhærente alteri corpori? an vtroque modo nefas? soluta enim si existat: vel nullum occupabit locum (nam veluti punctum quoddam) vel vacuum erit, & corpus non sensile. Horum autem partim quidem non potest, partim autem necessariò in aliquo inest: semper enim alicubi erit, quod gignitur ex ipsis: quamobrem, & illud vel per se, vel per accidens.

Tex.Com.27.

Libauimus quasi differentiam propositæ nunc mutationis ab aliis antea expositis leuiterq; attigimus. In præsenti autem diligentius agendum: Nam hoc ferè perpetuum est Aristotelis institutum, vt initio quasi leuiter res informet, deinde optimè exprimat. Veniant igitur primo in medium dubitationes; vt quò, si rei naturam assequi velimus, perueniendum sit, intelligamus. Vt autem allata nunc quæstio à vobis benè percipiatur, notetur oportet, duplicem in accretione materiam esse; alteram, cui fit accretio, eamque magnitudinem esse diximus, Aristoteles autem vocat *circa quod*; alteram, vnde, & per quam fit accretio; cuiusmodi est alimentum; quam nunc propriè materiam vocat. Sumendum igitur est, vtro modo se habeat id *circa quod*, id est quomodo magnitudini adueniat materia, per quam crescat; quoniam enim duplex videtur statui ista materies posse, nimirum corporea, & incorporea; idcirco dixit *vtromodo*, idque clarius explicans addit, vtrum corpus & magnitudo fiat ex potestate quidem magnitudine, & corpore, actu autem incorporeo, & magnitudinis experte, an supple tu, ex actu corporeo, & magnitudine; quod secundum membrum partim tanquã ex vi sermonis facilè supplendum, omisit Aristoteles, partim eam ob causam, quòd in priore tantum membro nunc disputationem prouecturi sumus, vt scilicet eo euerso secundum necessariò concedendum sit. Cum igitur prius membrum dupliciter adhuc intelligi queat, rectè à nobis est distinguendum; idcircoque his verbis à nobis quæstio proponetur. Vtromodo fiat accretio ex actu incorporeo, & magnitudinis experte, Vtrum inquam ex ista incorporea materia per se constante, solutaque ac separata, an minimè seorsum consistente, sed inhærente alteri corporeo: *an vtro modo nefas*? Incipit profligare quæstionem, atque inquit, vtrocunque modo intelligatur ex incorporeo fieri accretionem, nefas esse: ac primùm ostendit, non posse fieri ex materia soluta, & separata, argumento illo vsitato, quod Græci vocant dilemma, M. Tullius complexionem, quæ vtrumuis concesseris, debet tollere. Ità argumentatur. Materia ista soluta, *& separata si existat; vel nullum occupabit locum (nam veluti punctum quoddam) vel vacuum erit, & corpus non sensile*; sed neutrum est concedendum; ergo materia ista incorporea per se, & separata consistere non potest, Scripturam hãc quam nos sequuti sumus, testatur Philoponus in nonnullis codicibus reperiri; elicimus tamen nos ex ea aliam, atque Philoponus, sententiam. Ea autem est huiusmodi. Varias enim quæ afferri possent, interpretationes, omittendas iudicauimus. Si materia ista incorporea seorsum consisteret; profectò vel nullum occuparet locum, esset enim veluti punctum quoddam, vel si aliquem occuparet locum, induceretur vacuum, in quo esset corpus non sensile. Didicimus enim iiii. phy. 51. & 52. Vacuum à veteribus fuisse conceptum locum priuatum corpore sensili. Quare si ista materia sit expers quantitatis, & idcirco corpus non sensile, qualem proponimus materiam primam informem; profectò si alicubi sit; vacuus erit ille locus; quod idem asserebatur iii. de cœlo 29. & 54. quos cõtextos si quis diligenter attenderit probabit opinor, nostram interpretationem. *Horum autem partim quidem non potest, partim*

eim autem necessariò in aliquo in est, est assumptiò argumentationis, in qua vtraque pars cõsequentis tollitur; sed tamen, nisi fallor, permistè. Ea igitur, quæ in connexo illo asserebantur, partim esse non possunt, quod de puncto, & vacuo intelligi putarim (nam neque vacuũ vllum est vt quarto phy. ostendimus, neque ex punctis potest generari, aut augeri aliquid) partim in aliquo necessariò sunt; quod de corpore insensili, id est de materia informi præcipuè intelligi velim. Nam ea quidem est in rerum natura, & ex ea omnia generantur, & augentur, non tamen per se constat, *sed necessariò in aliquo inest*, id est pars alicuius corporis est, idcircoque locum aliquem semper occupat; illa enim voce *in aliquo* vtruoque significari puto, esse inquam materiam in corpore aliquo, & idcirco in loco: ostenditur materiam esse in aliquo verbis sequentibus. *Semper enim alicubi erit quod gignitur ex ipso; quamobrem & illud vel per se, vel per accidens*: loquitur de generatione Aristoteles, quasi argumentetur à maiori ad minus. Nam si in generatione, vbi non quantitas, sed substantia procreanda est; materia corporis expers esse non põt; quantò minus in accretione, in qua ipsa etiam generatio cõtinetur, & debet noua quantitas fieri? ostendit igitur in generatione materiam necessariò esse in aliquo id est corpoream, & idcirco in loco (quod enim loco continetur, corpus est) hoc argumento. Si quod gignitur *ex ipso* ex ipsa materia *est alicubi* corporeum est, & in loco; certè, *& illud*, id est materia ex qua gignitur, *vel per se vel per accidens*, vel per se corporea erit, & in loco; vel saltem continebitur in loco per accidens, & operâ alterius; idest quòd sit pars ipsius corporis. Sed consequens verissimum est (satis est enim ad illius veritatẽ secundam partem esse veram, materiam inquam esse in loco saltem interuentu alterius, nempè compositi corporis) ergo & antecedens. Connexum ex eo perspicuum est; quoniam si aliquid, quod in loco sit, fieret ex eo, quod non esset in loco, certè locus ille antea fuisset vacuus, vt iii. de cœlo xxix. dicebatur: vacuum autem nullum.

Quod si in aliquo inerit; si solutum quidem sic, vt illius neque per se neque per accidens quippiam sit: multa sequentur, quæ fieri nequeunt: dico autem hoc pacto, vt si fiat aër ex aqua, non aqua mutata erit, sed quòd materia ipsius in aqua, sit tanquàm in vase. Infinitas enim nihil prohibet materias esse: quare, & fieri actu. Præterea autem neque sic videtur fieri aër ex aqua, tanquàm exiens ex manente. **Tex.Com. 28.**

Vlterius promouet dubitationem. Sit iam effectum, accretionem fieri ex materia, quæ in aliquo sit. Rursus de hac re ità ambiginus; Si materia ista in aliquo inest; aut in illo inerit ita separata, vt neque *illius aliquid per se*, id est neque pars essentiam constituens, *neque per accidens*, id est neque affectio, & accidens sit, sed in eo contineatur, quo pacto aqua in vase; aut (supple tu) erit aliquid illius, id est pars aliqua vel essentiam constituens, vel certè nõ nihil illi conducens: omittit rursus hoc membrum Aristoteles, tanquàm ex altero supplendum, & tanquàm illud, quod veritatem obtinet. Concurrit enim cum superiore membro, quod eandem ob causam diximus prætermitti; Siquidem parum interest, fiat ne mutatio ex materia quanta, & corporea, an ex materia non quanta, quæ tamen corporis, & magnitudinis pars sit. Sed hæc infra melius intelligentur. Expendamus nunc, possit ne materia hæc contineri in aliquo corpore separata sic, vt illius, in quo continetur, nullo modo sit pars. Ac sanè si ita ponatur contineri; multa videntur sequi, quæ fieri nequeant. Simile enim illud est, ac si dicas, cum ex aqua fit aër, nihil mutatam esse aquam, sed materiam quandam, quæ in aqua, quasi in vase continebatur, foras egressam prosiluisse, & factam esse aërem. Quòd si materia in aqua continebatur tàm ampla, quæ aëri procreando sufficeret; certè, & alteram contineri nihil prohibet, & item alteram: nulla enim ratio afferri potest, cur hæc contineri queat, illa non queat; cum materiæ istæ sint non quantæ, & locum non occupẽt; quo pacto etiam quàrto phy. probatur, posita corporum penetratione in grano milii contineri montem posse: quare res abibit in infinitum. Quòd si infinitæ materiæ sunt in aqua, ex egressione istarum materierum infinita actu fient. Sequerentur autem istam opinionem multa alia absurda; ipsamque probantes repugnaremus sensui. Ex quo addit Aristoteles, non ita videri fieri aërem ex aqua tanquàm exeuntem ex manente: sensu enim ipso deprehenditur non exire ex aqua manente aërem, cum ex aqua aër fit: sed aquam planè interire. Item cum ex pane fit sanguis, euidenter mutatur forma panis, non autem ex manente pane prodit sanguis. Mementote, quod antea monuimus, licet exemplum mutationis aquæ in aërem pertineat ad

generationem

generationem & interitum, tamen accretioni etiam accommodari posse, ea nimirum ratione, quòd si generatio existere non potest ex materia ita soluta ac separata; multo minus existere accretio poterit; quod sequentia verba indicant.

Tex. Com. 29. *Satius igitur est omnibus materiam ponere inseparabilem esse: quasi eadem, & vna numero sit, ratione autem non vna.*

Quasi dicat; quod de generatione docuimus, valet etiam in cæteris mutationibus. Satius.n. *est omnibus*, omnibus mutationibus tam generationi, quàm accretioni, & alterationi subiicere materiam *inseparabilem*, ita annexam rebus, vt illarum sit pars, eamq; reipsa eandē & vnam numero, ratione autem non vnam; quatenus generationi subiicitur, vt potestate substantia est; alterationi vt potestate qualitas; accretioni vt potestate quantitas. Ita.n. diuersas quasdam rationes, diuersosque existendi modos induit. Hæc, nisi fallor, vera est huius loci interpretatio; quamuis eam Philoponus non viderit.

At verò corporis materiam neque ponendum puncta, neque lineas ob easdē causas. Illud autem, cuius hæc extrema, ipsa materies, quæ nunquam affectionis, & formæ expers esse potest. Generatur quidem igitur simpliciter alterum ex altero: vt in alijs est constitutum.

Tex. Com. 30.

Occurrit, nisi fallor, dubitationi cuidam. Nam quispiam fortasse audiens connexum illud supra positum, si materia incorporea per se consistat, vel nullum locum occupaturam, (fore enim veluti punctum) aut fore corpus insensile in vacuo, dubitare potuisset, nū aliquid sit omissum. Posset enim fortè materia ista esse non tanquàm punctum, sed tanquàm linea, aut superficies. Notat igitur Aristoteles, easdem rationes, quibus probari potest puncta nō esse materiam per se consistentem corporum, valere etiam ad probandum lineas non esse istā materiam; ne quis forte in hanc opinionem imprudenter veniret; nam & ipsæ lineæ, quoniam indiuiduæ secundum latitudinem, & profunditatem sunt, in loco (si ponantur seorsum) neque per se, neque per accidens esse queunt; quàmuis cum in corpore spectantur, per accidens sint in loco. Non est igitur materia rerum, quæ oriuntur & augentur (nam ad verā que semper spectare Aristotelem crediderim, præsatum iam omnibus mutationibus eandem subiici materiam) aut punctum, aut linea; sed bene illud, *cuius hæc extrema*, id est essentia materiæ primæ; quæ quoniam nunquàm affectionum, & formæ expers est, idcirco semper actu corpus est, terminatur que à punctis, & lineis, & superficiebus; & ob hanc causam, quia materia nunquàm priuatur formà; & antea in hoc libro, & pri. phy. & iii. de cœlo statuimus generari simpliciter, & vniuerse, *alterum ex altero*; id est ens actu, ex ente actu, quàmuis per accidens; per se enim oritur ex materia prima, cui accidit forma prior.

Et verò ab aliquo, quod actu sit, aut eiusdem speciei, vt ignis ab igne: vel homo ab homine, aut ab actu: Durum enim non fit à duro.

Constituta materia omnium mutationum, quæ vna suapte natura est, verùm diuersas rationes, diuersosque existendi modos subit, paucis verbis indicare voluit Aristoteles, & alterā causam, id est efficientem, quam in omnibus mutationibus esse aliquid actu ens necesse est, atque ita actu ens, vt eam speciem actu gerat; quam res gignenda habere debet, vt cum ignis ab igne, homo ab homine fit; aut saltem aliquo alio modo fit actu; gerat.s. eandem formam si non specie, saltem genere; si non genere, saltem analogià, & vi quadam. Nam durum fit à non duro, vt à frigido; quod quidem frigidum non est eiusdem speciei, neque fortè generis, proximi saltem, cum duro, & tamen efficit durum, quoniam actu est, & vim quandam habet similem duriciei gignendæ. Ergo vtraque illarum causarum, quas in omni generatione spectari antea diximus, materia, & efficiens actu consistit.

Tex. Com. 31. *Quoniam autem & substantiæ materia est corporea, corporis autem iam huiusce, corpus enim commune nullum; eadem, & magnitudinis, & affectionis*

nis est, ratione quidem ipsa separabilis, loco autem minimè, nisi, & ipsæ affectiones separabiles. Perspicuum sanè ex dubitatis, accretionem non esse mutationem ex potestate magnitudine, actu autem nullam habente magnitudinem. Nam separabile sanè esset commune ipsum. Hoc autem esse nefas, dictum est antea.

Interposita mentione de causa efficiente, vt similitudinem ipsius cum altera causa, quæ materia est, ostenderet, nam vtraque actu consistat oportet, redit Aristoteles ad naturam ipsius materiæ magis constituendam, & explicandam; ac demonstrat nullo pacto esse incorpoream. Vtitur autem duplici argumento; quorum primum ex antea dictis repetitur, & est quædam, vt solent Græci dicere, ἔνστασις, id est integra quædam sententiæ alicuius explosio; alterum autem ἀντιπαράστασις, in quo pars exploditur, pars conceditur; quare à Latinis rethoribus concessio nominari consueuit. Primo igitur argumento nullo pacto materiã vnquam esse quantitatis expertem demonstrat; Secundo, etiam si concedamus aliquando materiam expertem magnitudinis, vincemus tamen in accretione talem esse non posse. Primi argumenti fundamentum est hoc. quoniam substantiæ corporeæ materia est, ex qua generetur, & in qua cohæreat *corporis autem iam huiusce*, id est substantiæ corporeæ singularis, ne fortè erres, *corpus enim commune nullum*, quod, scilicet oriri, aut interire queat (scribit.n. Aristoteles in proœmio pri. philosophiæ, rerum singularium esse ortus & effectiones) hæc inquam eadẽ materia, quæ generationi subest, est quoque materia, *& magnitudinis* ideireoq; accretioni subiicitur, *& affectionis* idcircoque etiam alterationi, ratione quidem, & cogitatione separabilis, vt antea diximus, quũ alia ratione subiicitur materies generationi, alia accretioni, & alterationi *loco autem minimè*, nõ enim vno loco sita est materia substãtiæ, alio materia quantitatis. Hoc minimè fieri potest; *nisi & ipsæ affectiones separabiles*, quasi ità argumentetur. Si materia substantiæ esset loco seiuncta a materia quantitatis, & affectionis; affectiones, & accidentia ipsa essent separabilia à substantia. Id fieri non posse, perspicuè patet; ergo neque illud etiam, ex quo sequitur. Connexum facilè declarari potest. Nam si alio loco contineretur materia substantiæ, alio materia affectionum; certè affectiones consisterent minimè substantiæ, tanquam fundamento innixæ. Cum hæc ita se habeant *perspicuum sanè ex dubitatis* constat ex argumentis iam conclusis, accretionem non existere ex materia, quæ potestate tantum magnitudo sit; sed flagitare materiam quantam; cæteroqui separabile esset *commune ipsum* materia, quam communiter omnibus mutationibus subiici diximus, per se soluta consisteret, vt antea ostendimus; idque nefas esse diximus. Quòd si magis placeat, quod in nonnullis codicibus reperitur *vacuum ipsum* (verba.n. Græca κενὸν. & κοινὸν ita similia sunt, vt vnum pro altero facilè accipi potuerit) idem nihilominus absurdum significatur; nam spacium, vbi erit ista materia incorporea, vacuum fore diximus: est enim locus priuatus corpore. Ergo esset vacuum *separabile* reperiretur vacuum aliquod, & spaciũ separatum à corpore; nam spacium quidem vacuum reperitur cogitatione ipsa; vt si superficiem corporis continentis consideres tanquàm superficiem, minimè autem tanquàm locum; at reapse spacium separatum à corpore, in quo spacio tamen queat excipi corpus, nunquàm inuenias. At si statuas materiam incorpoream per se consistentem; erit istud spacium, in quo continetur, vacuum, non tantum cogitatione, sed reapse separabile; ita vt locus esse queat sine corpore.

Præterea huiusmodi sanè mutatio non accretionis propria, sed generationis omnino. Accretio enim est pristinæ magnitudini facta additio. Diminutio autem detractio. Quare quod crescit, magnitudinem aliquam habeat oportet; quo circa non ex magnitudinis experte materia decet accretionem esse ad magnitudinis actum: generatio enim potius esset corporis, non accretio.

Vtitur argumento per concessionem; de quo diximus: *Vos autem istam argumentandi rationem, quam nostri concessionem nominant, ab Ammonio in categoriis cap. de quanto, & ab Hermogene animaduersam inuenietis.* Esto igitur; ex materia incorporea per se consistente possit aliquid fieri; adhuc tamen mutatio illa, quæ ex huiusmodi materia fieret, esset

generatio, *omnino*, simplex, & absoluta, quæ ad substantiam pertinet; minimè aũt accretio. Nam veluti in notione substantiæ generandæ non est inclusa quantitas; Forma enim sine quantitate concipi potest; ita etiam materia, vnde fit, videtur posse concipi sine quantitate. At quod primò acquiri per accretionem intelligimus, est quantitas, quæ priori quantitati additur, vt in diminutione intelligimus quantitatis decrementum, omninoque quod crescit *magnitudinem aliquam habeat oportet* cum magnitudine sit, nec sine magnitudine vllo pacto concipi queat: quare materia etiam, vnde fit, cum magnitudine erit, & intelligetur: minimè autem ex magnitudinis experte materia fiet mutatio ad magnitudinis actum. *Generatio enim potius fuerit corporis, non accretio*, id est si vllo modo reperiretur materia per se consistens non quanta, ex ea corpora generarentur, non crescerent. Sed reuera neque generatio existit ex materia non quanta; licet in illius notione non ita includatur quantitas, vt in notione accretionis: idcirco inquit *potius*, quasi dicat, in generatione id ferri magis posset, quoniam saltem concipi sine quantitate commodius potest; quod in accretione nullo pacto licet. Dicimus tamen interdum in accretione illud circa quod, esse potestate magnitudinem, non absolutè intelligendo, sed magnitudinem tantam ad quantam est perueniendum.

Tex. Com. 32. *Magis autem accipiendum est, quasi ab initio ad quæstionem aggredientibus, cuiusmodi nam cum sit crescere, & decrescere, causas anquirimus. Apparet igitur eius quod crescit, quamlibet creuisse partem; itemq́ in decrescendo minorem esse factam: præterea accedente aliquo crescere, ac decedente decrescere. Atqui necessarium est vel incorporeo crescere, vel corpore. Siquidem igitur incorporeo: erit separabile ipsum commune: nefas autem magnitudinis materiam esse separabilem, vt antea diximus: sin corpore; duo in eodem loco corpora erunt; quod accretionem accipit, & quod præbet: verùm hoc etiam nefas.*

Magna nobis ad explicandum quæstio est proposita; quare sæpius easdem dubitationes quasi in manus sumere, diligenterque tractare, atque expendere debemus: sæpius.n. contrectando, & versando extundetur tandem veritas, nostrisque oculis illucescet. Benè autem dubitationum tùm difficultatem, tùm explicationem percipiemus, si antea constituerimus, quæ conditiones ab omnibus ferè hominibus in accretione concipiantur; quasque illius, cuius nunc causas inuestigamus, prænotiones & anticipatas intelligentias habeamus. Nam si istis prænotionibus causæ, quæ à nobis afferentur, conuenient: veras attulerimus; sin minus; falsas. Ita ad loci naturam inuestigandam his communibus notionibus, quasi ducibus quarto phy. idem Aristoteles est vsus. Scimus autem nos ex analyticis, accidentium duplicem esse definitionem, alteram nominis vim, & notionem explicantem, quam Gal. ὅρον ἐννοηματικὸν vocauit, vt cum dicimus, eclypsim esse priuationem luminis; alteram autem afferentem præterea causam, á qua res illa pendet tanquam efficiente, & conseruante. Prior autem, & leuior à nobis antea constituenda est (id autem assequemur consideratis iis, quæ vna omnium voce illi attribuuntur) quâm ad alteram multo grauiorem & perfectiorem accedamus; quod verba illa apertè indicãt *accipiendum est, cuiusmodi nam cum sit crescere, & decrescere, causas anquirimus*. Censet.n. constituendã primum notionem ipsius vocis; & hac constituta indagandas causas. Tres autem conditiones sunt, quæ in accretione, & diminutione ab omnibus ferè agnoscuntur; quarum duas nunc recenset Aristoteles; tertiam procedente sermone addet. Prima est, quæ *apparet*, id est ab omnibus agnoscitur; eius, quod crescit, quãlibet partem creuisse, ac item decrescentis quamlibet decreuisse; (ponit autem *creuisse* pro crescere more Græcis vsitato, aut significat in motu semper aliquid esse acquisitum, & aliquid acquirendum) secunda conditio est; accedente aliquo fieri accretionem; decedente diminutionem; Tertia, de qua mox dicemus; rei quæ augetur, seruari pristinam formam, atque speciem. Ergo ex secunda conditione statim cuiuis dubitare in mentem veniet (quæ dubitatio iam à nobis tacta est, sed nunc inspicietur interius) quod nam sit istud, quod in accretione accedit, vtrum incorporeum, an corpus; vtrumque enim suas habet difficultates; si incorporeum *separabile erit ipsum commune* hoc inquam, sequetur, materiam, quam iam diximus esse communem omnibus mutationibus per se posse consistere. At nefas est magnitudinis materiam esse separabilem, & posse per se consistere, vt iam ostendimus: ergo nefas etiam est illud ex quo sequitur; sequebatur autem ex illo, quòd incorporeum esset quod in accretione accedebat.

Ergo

Ergo probauimus, si in accretione incorporeum aliquod adueniat, sequi id, quod absurdum sit. Sin asseras corpus aduenire; certè duo corpora erunt in eodem loco, quod iiii. phy. est repudiatum. Nam si omnis pars crescit, quam primã conditionem posuimus; certè aut quod crescit, totum nihil aliud, quàm vacuus meatus erit; aut per omnes partes adueniens corpus penetrauerit. Itaque in eodem loco, vbi sunt partes crescentis, erit etiam corpus accedens, & præbens incrementũ. Rursus loco illius vocis κενὸν in aliquibus codicib. legitur κοινόν, quæ scriptura si probaretur, duæ in allatis verbis argumentationes continerentur; vna, quòd si accedens in accretione esset incorporeum, sequeretur inueniri vacuum per se consistens, altera, quod sequeretur materiam magnitudinis per se consistere; vtrunque autem nefas est. Sed mihi illa vox δὲ videtur significare verba illa *nefas autem magnitudinis materiam* minimè nouam argumentationem cõtinere, sed obtinere locũ assumpti; in quo consequens euertitur; omninoque, vt superius etiam dicebat Philoponus, videntur omnia magis conuenire, si legamus *commune*: Itaque puto legendum.

Cæterum neque sic licet dicere, accretionem fieri, & diminutionem, quemadmodum cum ex aqua aër: tunc enim maior moles est facta. Hoc enim minimè accretio; sed illius quidem, in quod mutatum fuerit, generatio erit: contrarij autem interitus: neutrius autem accretio: sed vel nullius, vel si quid vtriq; commune est, & genito, & corrupto: veluti si corpus: minimè autem aqua, aut aër creuit: Sed hoc quidem destructum est; illud autem factum: corpus autem, siquidem creuit. Verùm, & hoc nefas. Tueri enim ratione oportet, quæ crescenti, & decrescenti insunt. Hæc autem tria sunt: vnum quidem, quamlibet crescentis magnitudinis partem fieri maiorem, vt caro carnis: alterum, accedente aliquo: tertium verò, seruato, & manente eo, quod crescit. Nam cum aliquid simpliciter oritur, & interit: non manet: at cum alteratur, vel crescit, vel decrescit: manet idem, quod crescit, & quod alteratur. Sed hìc quidem affectio, ibi verò magnitudo eadem non manet. Quòd si ea, quæ dicta est, esset accretio: liceret sanè nullo accedente, neque manente crescere, & nullo decedente, decrescere, & non manere crescens. Verùm hoc tueri oportet. Posuimus enim accretionem esse huiusmodi quiddam. Tex.Com.33.

Depellit Aristoteles errorem, qui facilè in animos nostros irrepere potuisset, vt propositas dubitationes facilius dissolueremus. Putare enim fortè possemus, quemadmodum cum ex aqua fit aër, maior quædam moles fit, nec tamen vlla sequitur penetratio corporum, nec fit noui corporis accessio; ità etiam in accretione rem se habere. Occasione autem huius erroris depellendi ponit Aristoteles tertiam conditionem, quam supra omissam diximus, in eo lumem scilicet manere formam eius, quod crescit. Inquit igitur mutationem aquæ in aërem non esse accretionem, quàmuis maior moles sit facta; sed esse generationem, & interitum; generationem quidem aëris, interitum autem aquæ; *neutrius autem accretio*, neque aquæ, ex qua est facta mutatio, neque aëris, in quem est facta mutatio. Quamobrem sequitur, vel nullius in mutatione ista esse accretionem, vel esse alicuius alterius, quod remaneat idem in genito, & corrupto; vt si poneremus formam corporis eandem remanere in aëre genito, quæ prius erat in aqua corrupta; forte probabiliter ipsi corpori accretionem tribuere possemus. Aquam quidem, aut aërem non creuisse perspicuum est. Quod enim interiit, aut quod ortum est, dum oritur, nemo vnquàm dixerit accretionem suscipere (ita significat tertiam cõditionem, quam deinceps apertè explicat) in ista mutatione aqua interiit, aër ortus est; ergo neutrum suscæpit incrementum. Restaret ergo corpus creuisse *siquidem* supple, tu ponatur remanere idem corpus in genito, & corrupto, & si quicquàm creuisse dicendum est. Verùm, & hoc nefas creuisse. Vbi desunt conditiones in accretione necessariæ, ibi accretio sequi non potest; sed in ista mutatione aquæ in aërem desunt conditiones in accretione necessariæ, siue formam aquæ, & aëris, siue formam corporis spectes; ergo in ista mutatione accretio vlla sequi non potest. Maior per se clara. Minor explicatur narrandis conditionibus, quæ ab omnibus in accretione desiderantur, quæque in illius natura planè videntur insitæ.

Sunt autem tres; vna, quamlibet partem crescentis magnitudinis maiorem fieri; vt si caro creuit, quælibet carnis particula creuisse debuerit; nam nisi omnes partes crescerent, esset additio quædam, & appositio rebus etiam inanimis conueniens; non autem accretio; quam rebus tantùm animatis tribuere solemus. Altera conditio, accedente aliquo crescere. Nam cum aliquid rarius factum in maiorem molem tumescit; non dicimus tamen suscepisse accretionem; nisi aliquid extrinsecus accesserit, & pars euaserit eius rei, quæ crescit. Tertia cõditio, quod crescit, incolume permanere; veluti etiam, quod alteratur. Hoc enim differt generatio ab alteratione, & accretione; quòd in generatione non seruatur eadem substantia actu (seruatur enim sola materies, quæ minimè per se actu consistit) in accretione autem, & alteratione seruatur eadem substantia actu, eademque rei forma. Variatur tantum in accretione magnitudo; nam ex minore maior fit; in alteratione affectio; nam ex calore fit frigus; aut ex frigore calor. Si igitur hæ conditiones non adsunt in mutatione illa nobis proposita, certè nulla ibi fuerit accretio: sed non adsunt; ergo nulla accretio. Non adest enim 2ª quoniam in mutatione aquæ in aërem nihil aptum ad augendum extrinsecus aduenit, nullũ est appositum alimentum; non adest etiam 3ª quoniam non reperitur corpus istud cõmune, quod idem remaneat; sed ex corpore densiore corrupto gignitur aliud corpus rarius. Ergo si dicta mutatio aquæ in aërem esset accretio; non essent necessariæ istæ omnes conditiones; sed necessarias esse communis omnium intelligentia, & assensus satis indicat: ergò mutatio illa longè abest a natura accretionis. Notetur mutilata illa loquutio, *siquidem*; multa enim verba sunt addenda. Id autem apud Aristotelem inusitatum non est: primo enim post. ad finem quinti cap. ita legitur, *quo igitur primo? siquidem triangulo*, id est siquidem triangulus ita statuatur se habere, vt ipso ablato quàm primùm auferatur affectio illa, habere tres angulos æquales duobus rectis; ipsi triangulo primò inerit isthæc affectio; Ita nunc ista verba, *corpus siquidem creuit*, ita expleamus, corpus, siquidem manet idem corpus in mutatione aquæ in aërem, erit illud, quod crescet; minimè autem aqua, vel aër.

Tex. Com. 34. *Dubitauerit autem quispiam, ecquid est, quod crescit, vtrum cui apponitur aliquid; vt si crus crescit, ipsum maius, alimentum autem quo crescit, minimè. Cur igitur non creuit vtrunque? maius enim est, & quod, & quo; veluti cum vinum aquæ miscueris; vtrunq; enim similiter amplius. An, quòd vnius quidem substantia manet, minimè autem alterius, vt quæ alimenti? Nam & ibi quod excellit, nominatur in mistione, vt quòd vinum: vniuersa enim illa mistura non aquæ, sed vini opus præstat.*

Dubitauimus hucusque de materia accretionis, illa scilicet vnde fit accretio, esset ne quanta, an quantitatis expers: quantamque esse affirmauimus. Ex quo dubitari etiam poterat, an isthæc materia, vnde fit accretio; esset etiam simul materia circa quam; & in qua fieret accretio, quandoquidem, & hanc initio diximus esse magnitudinem; ita vt non duplex, sed vnica in accretione materia esset. Idcirco nunc quæstionem hanc proponit (ita quæcunque in controuersiam vocari poterant, ab Aristotele non dissimulantur, sed in medium proferuntur) quid nam sit statuendum subiectum accretionis vtrum; id cui fit accessio; an id, quod accessionem facit; vt si crus alimento crescit, vtrum ipsum quidem crus dicatur maius factum esse, & creuisse, alimentum autem minimè; an potius (nam hæc membra facilè ex priore suppleuntur) alimentum quidem creuisse, crus verò minimè; an forte vtrunque. Et quoniam prima tantũ pars huius problematis perspicuè continere veritatem videtur, secunda perspicuè falsa erat: tertia falsa quidem, sed paulò verisimilior: Idcirco Aristoteles primam statim ponit, & secundã ne dignam quidem arbitratus, cuius mentionẽ faceret, causam aperit, cur tertia minimè vera sit, id est cur vtrunque minimè creuisse dici queat; quàmuis, vt cum vinum aquæ miscetur, & aqua, & vinum videntur maiora esse facta; ita fortè alicui probabile videri queat, alimento admisto cruri vtrunque creuisse. In causa autem, cur istud minimè verum sit, illud est, quod in tertia conditione recensuimus, eius quod crescit, incolumem, & inuiolatam substantiam conseruari debere. Quare cum cruris substantia conseruetur, alimenti minimè; cruri quidem, id est illi cui fit accessio, accretionem conuenire affirmabimus; minimè autem alimento, id est ei quod accessionem facit. Id vel ex allato vini & aquæ exemplo (quàmuis ibi vera accretio non adsit, sed temperamentum quoddam, vt infra audietis) intelligi potest. Vniuersa enim illa mistura maior facta, si

in ea

in ea vinum excellat, nominabitur vinum; ita dicetur vinum creuisse; sin excellat aqua, nominabitur aqua; eaque dicetur creuisse; quasi semper illud crescat, & amplius fiat, quod remanet. Remanere autem illud videtur, quod cætera in mistione longè excellit, & nominatur, cuiusque opera præcipuè apparent. Nam si vini opera ex ea mistura proficiscantur, vinum remansisse dicetur; sin aquæ, aqua; substantiæ enim rerum non aliunde, quàm ex actionibus cognoscuntur.

Similiter autem, & in alteratione, si adhuc perseuerat esse caro, & ipsum quid est, affectio autem inest aliqua earum, quæ per se, quæ ante non inerat: hoc alteratum est. Quo autem alteratum est, interdum quidem nihil perpessum est: interdum autem & illud. Sed alterans, & principium motus in eo quod crescit, & quod alteratur. In his enim mouens: quando, & illud, quod ingressum est, maius aliquando fieri potest: & quod illo iam potitum est corpus: veluti si quod ingressum est, fiat spiritus: sed interijt, quod talem subijt perpessionem, & mouens non in hoc.

Diximus crescere, quod saluum remanet, id est illud, cui fit accessio, minimè autem, quod interit, id est illud, quod accessionem facit. Nunc istud exemplo alterationis confirmamus. Nam tunc caro alterari dicetur, *si caro perseuerat esse caro, & ipsum quid est*, id est si formam, & essentiam suam seruat inuiolatam *affectio autem aliqua inest earum, quæ per se quæ ante non inerat*, nouam aliquam induit affectionem de numero earum, quæ per se id est naturaliter insunt subiecto; quo sensu istam vocem antea etiam, cum generationis definitionem explicaret, accepit, idque nunc etiam Philoponus notat: alteratio igitur, & accretio hac in re conueniunt; quòd vtriusque subiectum formam, & essentiam suam incolumem conseruet oportet. Differunt autem, quòd illud, quo fit accretio. i. cibus, & potus, ita semper patitur: vt corrumpatur, atque in aliam mutetur formam; illud verò, quo fit alteratio, non semper; quinimò interdum aut nihil, aut leuissimè patitur, vt cum ab igne calfimus; ignis, quo alterati sumus, aut nihil, aut ita parum patitur; vt allius perpessio sensu non deprehendatur. Interdum tamen, & illud, quo alteramur, patitur, & corrumpitur; vt idem met alimentum; nam ab hoc non solum augemur, verum etiam, antequàm in nostram substantiam conuersum sit, alteramur; hocque pacto vnum atq; idem numero & subiecto sunt alterans, & augens. Verumtamen quàmuis cibus sit alterans, & augens, dicimus tamen *alterans, & principium motus esse in eo, quod crescit, & quod alteratur*, propriè tribuimus vim efficientem corpori, quod crescit, & alteratur; quoniam hoc superat efficientiam cibi. Alterant enim sese mutuo corpus, & cibus; sed corpus manet; cibus suam amittit formam. Ita alterans est in eo, quod alteratur, id est in eo quod alteratur quidem à cibo, sed multo magis alterat ipsum cibum, quàm alteretur. Loquitur enim de eo alterato, quod idem subiecto est cum eo, quod crescit: atque hanc verissimam interpretationem Philoponus non vidit, significauit Auer. D. Thomas ferè expressit. Igitur *in his*, in eo quod crescit, & in eo quod alteratur est *mouens*, adest vis mouens efficacior in corpore, quod crescit, & alteratur à cibo; per quam illud, quo alteratur, & crescit, id est cibus ipse, in illius, quod alteratur, & crescit, conuertetur formam, *quando, & illud quod ingressum est, maius aliquando fieri potest & quod illo iam potitū est corpus; veluti si quod ingressum est fiat spiritus*; sed *corruptum est, quod talem subijt perpeßionem; & mouens non in hoc*, tenendum istud à nobis constanter est; vt illud augeri dicamus; quod, dum crescit, & alteratur, non solum maius fit, sed etiam incolume manet: nam cæteroqui *quod ingressum est*, id est alimentum; potest in maiorem molem intumescere, augerique item corpus, quod illo potitum est; vt si cibus in spiritum & vaporem conuertatur; nec idcirco creuisse alimentum dicere debebimus, *quoniam corruptum est, quod talem subijt perpeßionem*, cibus iste in vaporem conuersus corruptus est, suamque formam amisit, *& mouens non in hoc*, vis illa, quæ victoriam obtinere debet, non est in cibo conuerso, sed in corpore conuertente: quare huic potissimum vis alterans, & augens tribuenda est; alimentum autem hoc modo appellandum, quo alteratur, quo augetur. In quibusdam autem codicibus post illa verba, *& nihil perpessum est* leguntur ista, *nec substantia alterata est*, quod idem valet, ac si diceremus, nec substantia per alterationem deletur: alteratio. n. si insignis sit, est quasi dux ad præsentis formæ interitū, & ad ortum absentis; aut significat quandam etiam substantiam alterari, vt formas elementorum, quæ intenduntur, & remittuntur.

Quoniam

Tex. Com. 35. *Quoniam autem de his dubitauimus satis, faciendum necessariò est, vt dubitationis dissolutionem inuenire aggrediamur, tenentes illud, manente eo, quod crescit, & accedente aliquo crescere, decedente autem decrescere: Præterea autem, quodlibet signum sensile aut maius, aut minus factum esse; ac neque vacuũ esse corpus, neque duas in eodem loco magnitudines, neque incorporeo crescere. Afferenda autem causa: si hæc ante constituerimus: primum quidem, crescere heterogenea, eòquod homogenea crescant: vnumquodq́ enim ex his componitur: deindè carnem, & os, & huiusmodi quasq́ partes dupliciter esse, quomodo & alia, quæ in materia speciem habent: nam & materies dicitur, & species caro, vel os. Illud igitur, quamlibet partem crescere, & accedente aliquo, secundum formam quidem licet, secundum materiam verò minimè.*

Vidimus quot conditiones in accretione requirantur; quæ istius mutationis notionem, & speciem constituunt; Vidimus etiam quot, quantæque dubitationes occurrant. Restat igitur, vt tenentes conditiones illas, neque ab illis vllo pacto discedentes, fugientes autem tanquàm scopulos absurda illa, quæ argumentando colligebamus, fore .s. corpus vacuum, si partes illius omnes accessione alterius corporis crescunt; aut plura corpora eundem locum occupatura, seque penetratura; aut certè incorporeum esse, quod accedit ad augendũ; quæ omnia longissimè à veritate abesse ostendimus; restat inquam, vt his incommodis euitatis veram & certam causam accretionis, idest definitionem cum causa afferamus, quæ omnes dubitationum nubeculas disiicere semper consueuit; idq́ue maximum est bonæ definitionis argumentum, cum ex ea quæstiones omnes commodè explicantur. Ad inueniendam aũt definitionem hæc nobis constituenda sunt; primum quidem, conuenire primo accretionem homogeneis partibus, nam heterogeneæ crescunt crescentibus illis, ex quibus quidem cõponuntur; deinde, & homogeneas partes, & heterogeneas, omninoque res omnes, quæ speciem, & formam non solutam ac liberam, sed materiæ coniunctam habent, dupliciter esse, tùm .s. ob materiam, tùm ob formam; Idem ferè habetis pri. de cœlo 92. de qua re in quæstionibus: *nam, & materies: & species dicitur caro, vel os*, nomine carnis vel ossis interdum significatur materia, interdum forma; quod idem valet, ac si diceret, tùm ratione materiæ aliquid attribui carni, vel ossi, vt cum dicimus carnem, vel os alterari (alteratur enim ratione materiæ) tùm ratione speciei, & formæ; vt cum dicimus carnem esse optimo sensu præditam. His ita constitutis sancit Aristoteles, si accretionem ponamus fieri secundum formam, vt verè ponendum est, seruari illas conditiones omnes, vt scilicet quælibet pars crescat, & accedente aliquo, & supple tu manente eo, quod crescit; sin secundum materiam, non seruari. Id quale sit, similitudine quadam ostendetur.

Attendendum est, dum conditiones accretionis in memoriam nobis reuocat Arist. ita dicere *quodlibet signum sensile, aut maius, aut minus factum esse*, idq́ue iure optimo. Nam, quemadmodum non putamus ex punctis componi corpora, ita neque etiam volumus cuiq; puncto faciendam esse accessionem, sed satis est si omne *signum sensile*, id est omnis pars sensilem magnitudinem habens crescat.

Tex. Com. 36 *Cogitare enim oportet eo modo se rem habere, ac si quis eadem mensura aquam demetiatur: semper enim alia, atq́ alia, quæ fit: sic, & carnis materia crescit, & non cuiq́ omnino fit accessio; sed partim quidem defluit, partim verò*

Tex. Com. 37. *affluit. Figuræ verò, & speciei cuilibet parti. In heterogeneis autem perspicuũ id magis est, vt in manu, proportione ipsam crescere. Hic enim longè euidentius cernimus materiam esse alteram à forma, quàm in carne, & homogeneis. Quamobrem, & mortui magis videbitur esse adhuc caro, & os quàm manus, & brachium. Quocirca est quatenus quæcunque carnis pars creuisse dici queat, est autem quatenus minimè: secundum enim formam cuiq́ accessit, secundum materiam autem minimè.*

Finge

Finge mensura aliqua, vt vtre, contineri aquam, verùm assiduè effluentem; vides mensuram manere eandem, aquam autem, quæ mensura continetur, assiduè mutari; & siquidem maior copia influat, quàm effluat, intelligis extendi magis mensuram illam; sin autem minor, sese retrahere, & coarctare. Idem in accretione euenit. Forma carnis (quæ quidem forma materiei est mensura, & terminus) eadem manet; materia assiduè labitur; atque interdum maior copia influit, quàm effluat (significat id Aristoteles cum inquit *sic, & carnis materia crescit*, non.n. propriè materia crescit, sed maior ipsius copia influit, quàm effluat) ita fit incrementum carnis. Nam licet non cuique materiæ parti fiat accessio, sed potius fit appositio, & conduplicatio quædam, vt etiam in transito aquæ per vtrem accedens aqua nō peruenit ad omnes iam in vtre contentæ aquæ particulas, sed illi apponitur; tamen omnibus formæ partibus fit accessio; quando tota forma carnis, vt ibi vtris, fit magis extensa; atq; hunc in modum omnes illius formæ partes ampliores redduntur. Contra autem si minor copia materiei influat, quàm effluat, Sequetur decrementum. Dixit autem Aristoteles *figura, & speciei* vel nomine figuræ accidens illud in quarta specie qualitatis collocatam intelligēs, nomine autem speciei veram formam, per quam res ad certam speciem refertur, quasi accretio fit in accidente illo, & in forma; vel fortè alterum ab altero non distinxit; qua de re in quæstionibus. Quòd autem omnes ipsius formæ partes proportione quadam crescant, maior scilicet magis, minor minus, inquit Aristoteles magis patere in heterogeneis, quàm in homogeneis; & rationem, cur ita sit, affert. Vbi euidentius distinguitur materies à forma; ibi facilius attendi possunt, quæ formæ, & quæ materiæ accidant. Sed in heterogeneis multo euidentius distinguitur materies à forma; ergo in heterogeneis multo facilius attendi poterunt, quæ formæ, & quæ materiæ accidant. Maior per se clara est. Res enim distinctæ distinctius percipiuntur; confusæ longè deterius, vt etiam ad finem libri de sensu, & sensili scribitur. Minor autem eo argumento confirmatur, quòd mortuorum candem ferè carnem, eadem ossa censemus, minimè autem eandem manum, idem brachium; quod scilicet remanente materia carnis, vt profectò remanet, forma etiam ipsa suæ materiæ planè infixa, & vix ab illa distincta (ex quo non perspicuas actiones habet) remanere videatur; minimè autem forma manus, tametsi materia manus remaneat; quoniam forma illa à sua materia euidenter distincta est, & euidenter etiam interiisse, intelligitur, quoniam nollam amplius ex suis actionibus præstat, quæ actiones erant maximè perspicuæ. Videmus igitur apertè, cum in flore pubertatis sumus, crescere quamlibet formæ manus, brachii, faciei partem proportione, quadam, vt in manu digitum, in digito nodos, non ita autem apertè partes formæ carnis vel ossis, verumtamen eundem esse modum existimare debemus. Sic dum literæ magnis caracteribus expressæ nobis pueris ostenduntur, minutos etiam illarum caracteres cognoscere assuescimus. Sic Plato ex vtilitate iustitiæ in repub. putauit cognosci posse vtilitatem iustitiæ priuatim. Sic ad initium quinti Eth. vbi propinqua est homonymia, latet, nec sicut in iis quæ longè distant, perspicua est.

Atqui maius factum est totum ipsum adueniente quidem aliquo, quod alimentum dicitur: & contrarium, mutato autem in eandem speciem, veluti si sicco adueniat humidum, adueniens autem mutetur, & fiat siccum: est enim profectò, quatenus simile simili crescat: est etiam quatenus dissimili. Dubitauerit autem quispiam, cuiusmodi nam illud esse oportet, quo crescit. Perspicuum sanè, quod potestate illud: vt si caro, potestate carnem: actu igitur alterum: corruptum autem hoc caro euasit: igitur non ipsum per se ipsum: generatio enim esset, non accretio: sed quod crescit hoc ipso. Tex.Com.38. Tex.Com.39.

Diximus influxu materiæ fieri accretionem; nunc quomodo fiat iste influxus, ostendamus. Dicimus igitur totum ipsum fieri maius (nam crescente forma crescit totum, quoniā forma non soluta est, sed inhærens materiæ; tantam autem vim habet, vt ipsa persæpè totū dicatur, vt v. metaphy. cap. de toto) fit igitur totum maius influxu materiæ; influit autem materia ob aduentum alimenti; quod quidem initio cum per os, aut per radices sumitur, est contrarium, aut saltem dissimile partibus nutriendis, & augendis; paulòpost autem coctum à calore partium innato in illarum formam conuertitur, illisque redditur simillimum.

Ergo

Ergo est, quatenus simile simili crescat; cum scilicet iam alimentum probè coctum est; est etiam, quà dissimili; si primum illud tempus, quo alimentum sumitur, spectes. Illud autē temerè à nobis adiectū non est. *Dubitauerit enim aliquis* (pulchrè.n.notat Philoponus, illud δὲ pro γὰρ esse positum, quod etiam habes ab Eustratio in secundum post) *cuiusmodi nam*, an simile, an dissimile debeat esse alimentum. *Clarum autem* attente .s. consideranti, alimentū initio potestate esse debere *illud* in cuius.s.substantiam conuerti debet, *vt si caro, potestate carnem* si caro fieri debet; alimentum potestate caro sit oportet. Quod autem potestate est caro, actu aliquid aliud est, quod quidem à carne est alterum, longéque diuersum; vt panis est potestate caro, actu autem panis formam habet, quæ à forma carnis multum distat. Quare corrumpatur forma panis tandem oportet, cum per coctionem forma carnis aduenire debet; ita vt, quod initio caro potestate erat, actu postremò euadat caro. Cæterū quoniam dubitare quispiam meritò posset, si ex potestate carne fit actu caro, generationem esse, non accretionem, si quidem caro est substantia; cū autem ex potestate substantia fit substantia actu generatio est; idcirco ad accretionem à generatione distinguendam addit *non ipsum per se ipsum*, non alimentum, quod potestate caro erat per se, & seorsum euasit actu caro (sine dubio enim esset generatio non accretio) *sed quod crescit hoc ipso*, sed quod alitur, est illud, cui manenti, & actu iam existenti carni nouæ actu carnis fit accessio; idcircoque non simpliciter generatio est; quandoquidem iam est actu illud, cui fit accessio. Id autem quoniam magni momenti est, sequentibus etiam verbis explicatur.

Quid igitur patiens ab hoc creuit? An mistum? Veluti si quis vino infuderit aquam: hoc autem possit, quod admistum est, vinum reddere: ac veluti si ignis attigerit id, quod comburi queat: ita in eo quod crescit, & actu existit caro, insita vis augens aduenientem potestate carnem effecit actu carnem: ergo, quòd simul fit: nam si seorsum, generatio: licet enim ita facere ignem ei, qui iam existit, apponendo ligna: atque hoc quidem accretio. Cum verò ipsa per se combusta ligna fuerint, generatio.

Omnino ita se res habet, vt quod creuit, patiatur aliquo pacto *ab hoc* ab alimento: quomodo igitur patitur, *an mistum?* an scilicet eo creuit pacto, quò mista maiora fiunt, ipsorum elementis facta appositione? eoque etiam patitur, quo mista ipsa? nam facta appositione elementis, variatur proportio, & ipsa quodammodo forma misti, de qua re infra. Quod igitur crescere debet, mistum cum alimento, cæterum viribus longè præstans, ipsum tandem in se conuertet. Ac veluti si quis dolium vini generosi habeat, & aquam infundat, statim aqua euadet vinum, vinique molés aucta erit; Itemque si magnus ignis attingat materiã, quæ comburatur, idoneam, vt ligna, statim illa in sese conuertet; ita putandum est vim augentem animæ vegetabilis, quam iam diximus esse insitam in eo, quod crescit, iis viribus pollere, vt oblatum alimentum, quod potestate caro est, carnem actū reddat; *Ergo quòd simul fit*, quoniam hæc noua caro simul est cum illa, quæ ante iam actu erat, neque seorsum gignitur, sed illi coniuncta, idcirco est accretio, non generatio, *nam si seorsum, generatio*, si noua illa caro seorsum gigneretur, non autem coniuncta priori; sine dubio generatio esset, non accretio. Id exemplo ignis facilè possumus intelligere. Si igni iam existenti apponantur ligna, non dicimus simpliciter ignem ortum esse, sed ampliorem factum, & creuisse; non omnino quidem propriè tunc crescendi nomen vsurpantes; sed tamen incrementum ignis proximè ad veram accretionem accedit, vt in quæstionibus: Sin autem, cum nullus adesset ignis, ex aliquibus lignis ignem elicuerimus, ita vt illa comburantur; dicimus simpliciter ortum esse ignem, non autem creuisse. Ita si carni existenti noua adueniat materies, quæ & ipsa caro euadat; non simpliciter orta est caro, sed creuit; sin noua caro per se, & seorsum fiat, alteri non adueniens; orta est, non creuit.

Tex.Com.40. *Quantum autem, quod quidem vniuersale, non fit, quemadmodum neque animal, quod neque homo, neque aliquid ex iis, quæ singularia: verum vt hic vniuersale, ita ibi quantum.*

Repellit dubitationem, quæ facilè posset oriri. Nam si per accretionem quantitas acquiritur; certè prius, quàm acquireretur, existere quantitatem non oportebat. At nos cernimus carnem, cui quantitatis fit accessio, antea etiam fuisse quantam. Dissoluit hunc nodum Aristoteles inquiens, si quantum vniuersè fieret, certè antequàm fieret, nullum quantum fuisse oportere. Verùm non fit vniuersè quantum, sed quantum hoc; nihil autem impedit huic quantitati istam quantitatem aduenire; vt si vniuersè totus ignis fieret; certè ex non igne fieret; nullusque antea fuisset ignis. Nunc autem quoniam fit hic ignis, & iste; nihil vetat existenti iam igni noui ignis fieri accessionem. Omnino non fit animal segregatum à suis speciebus, & singularibus, neque planta, neque aliud quippiam. *verùm vt hic vniuersale, ita ibi quantum*, id est vt fit vniuersale animal, quatenus fit Socrates, vel Pompeius; ita fit quantum vniuersè, quatenus fit hæc, vel illa quantitas.

Caro igitur, & os, vel manus, vel nerui, & horum homogenea aduenien te sanè quanto aliquo, sed non carne quanta. Quà igitur potestate simul vtrunq; veluti quanta caro: ita quidem auget (nam, & carnem factam esse quantam oportet) quà autem caro solùm, nutrit. Sic enim ratione differunt nutritio, & accretio. Ex quo, eo vsq; dum aliquid seruatur, atq; etiam cum decrescit, nutritur quidem illud, sed semper tamen non crescit: ac nutritio eadem quidem cum accretione res est: ipsum autem esse diuersum. Quà enim quod accedit, est potestate quanta caro: ita quidem augens carnis est: quà autem solum potestate caro alimentum. Tex.Com.41.

Ità annexa est nutritio accretioni (quod ex dictis patere potest, semper enim in accretionis natura tractanda alimenti mentionem fecimus) vt pe ito, atque intelligente homine, atq; adeo Aristotele ipso ad illa inter se distinguenda sit opus. Notat igitur primum carnem, & os, vel etiam manum, & brachium, horumque homogenea crescere adueniente *quanto aliquo* nimirum cibo, qui suam affert quantitatem, *sed non carne quanta*, non enim fit seorsum quanta caro, ac postmodum carni animalis apponitur; sed antea apponitur, & miscetur cum materia animalis; & tunc caro, & caro quanta euadit. Accipit aũt nunc netuum Aristoteles tanquam heterogeneum quoddam, de exemplis. s. parum sollicitus: mentionem autem facit homogeneorum, & heterogeneorum, ità tamen, vt facilè pateat, heterogenea intercedente homogeneorum accretione augeri; idcirco enim adduntur verba illa, *& horum homogenea*. Hoc ità notato ad nutritionem ab accretione distinguendam aggrediens, inquit quatenus id, quod apponitur *est potestate simul vtrunque*, quatenus est simul potestate caro & potestate caro quanta, simul etiam augere, & nutrire; verùm vt potestate caro quanta est auget, *nam & carnem factam esse quantam oportet*, id est si in accretione carnis nouam esse acquisitam quantitatem oportet, vt certè oportet; profectò ex potestate quanta carne fieri debet; Calidum enim actu ex potestate calido; actu frigidum ex potestate frigido; actu quãtum ex potestate quanto fiat oportet: Quà autem, quod apponitur, potestate solùm caro est, nutrit. Hac enim ratione nutritio ab accretione differt. Quamuis enim subiecto sint idẽ nam illud idem, quod auget, etiam nutrit; ipsum tamen *esse* ratio, & forma vtriusque est diuersa. Idem enim cibus, qui auget carnem, vt exempli gratia panis, nutrit etiam; sed auget, quà caro potestate quanta; nutrit, quà solum potestate caro. In nutritione enim nulla nouæ quantitatis adeptio expectatur, sed tantum custodia formæ & speciei. Quo etiam fit, vt quoad viuimus, atque etiam cum decrescimus, nutriamur (forma enim sine nutritione conseruari non potest; conseruari autem ipsam, dum viuimus, oportet) non autem crescamus semper, quinimò, & aliquando decrescamus. Possumus enim viuere non solum sine nouæ quantitatis acquisitione; verùm etiam cum aliqua prioris quantitatis iactura. Attendatur vocem illam τροφὴν interdum significare nutritionem, interdum verò alimentum; quemadmodum αἴσθησιν nonnunquam facultatem, & instrumentum sentiendi, nonnunquam actionem.

Hoc autem species sine materia, quasi facultas quædam materiæ expers in materia est. Quòd si aliqua accesserit materies, cum sit potestate expers materiæ, habeatq; quantum etiam potestate, hæc erunt maiora expertia materiæ.

Oedipo opus est, & fortè verba mutilata, ac deprauata sunt. Nos à Græcis non discedentes (nam Latinorum interpretationem in quæstionibus refellemos) ita interpretamor. *Hoc* quod diximus nutrire tantum non autem augere, est *species sine materia*, id est censeri potest quasi forma sine materia; quoniam .s. formam rei, quam nutrit, conseruat, nulla tamen materiæ, & quantitatis additione facta: materiæ autem nomine sine dubio quantitatem etiam comprehendit, quandoquidem verè quantitas est quasi socia materiæ ad patiendum, & illius naturæ maximè affinis est, & id hoc loco notat Philoponus, sicuti nomine quantitatis significatur materia iiii. met. xxii. ex Alex. Quamuis autem res illa nutriens nutriat tantũ ea ratione, qua similem formam gerit rei nutriendæ, non spectata materia, & quantitate; tamẽ reapse à materia soluta non est: quo etiam pacto, quamuis res omnes fiant ex materia, quæ ens potestate est; tamen illa semper aliquid est actu. Par igitur quodammodo est conditio materiæ; & formæ caducæ: materia ad patiendum adhibet vim propriam, non accipit à forma. Verùm quoniam pati non potest, nisi in rerum natura consistat, neque consistere, nisi formam habeat; ideo formæ est indiga. Contrà, forma ad agendum non eget materia, nisi quatenos sine ea non consisteret. Meritò igitur addit Aristoteles, esse quasi facultatem quandã materiæ expertem, in materia tamen. *Quòd si aliqua accesserit materies*, si aduenerit alimentum; quod nouæ materiæ, & quantitatis accessionem facere queat, *cum sit potestate expers materia, habeatque quantum etiam potestate*, cum in eo alimento adsit forma ipsa, cuius ratio est alia à ratione materiæ, & quantitatis, & intelligatur adesse etiam potestate quantum ipsum, quod augere debet; *Hæc erunt maiora expertia materia*, id est partes formæ sibi apponitur alimentum potestate quantũ (quas iam materiæ expertes, quasi aliam a materia, & quãtitate rationem habentes vocamus) euadent maiores; quatenus .s. in ampliorem materiam, & quantitatem diffusæ, & extensæ sunt. Formæ.n. per se indiuiduæ ratione materiæ redduntur diuiduæ viii. metaphy. x. quibus quidem verbis tota accretionis natura videtur contineri; quod aperire in quæstionum explicatione conabimur; sequentibus autem verbis diminutionis conditionem exponit; tùm vt ex contrario melius accretionis vis percipiatur, tùm quia diminutio est motus quidam naturalis quodammodo omnium viuentium Omnia enim orta occidunt, & aucta tabescunt.

Quòd si facere amplius non possit, sed quemadmodum aqua vino semper magis mista tandem aquosum facit, & aquam; tunc diminutionem facit quanti: species autem manet.

Pendent hæc verba ex illis paulò superius expositis; in quibus dicebatur, inesse in eo, quod crescit, vim insitam augentem, quæ alimentum in eius, quod crescit, substantiam conuertat; quomodo in multo, & generoso vino adest vis in sese aliquantulum aquæ, si infundatur, conuertendi. Quòd si hæc vis insita *facere amplius non possit* non queat amplius alterare alimentum, & sibi simile reddere, quantum oporteret; quomodo etiam vinum per assiduam aquæ admistionem vim amittit aquam in se conuertendi, quinimò ipsum paulatim aqua fit; *tunc diminutionem facit quanti*, aliquam quantitatis iacturam facit, quãuis species, & forma maneat; quoniam non bene valente vi insita, nunquàm potest fieri tantus influxus materiæ, quantus est effluxus, maiorque alimenti pars abit in excrementa; cum à vi illa imbecilla corpori nutriendo simile reddi non queat. Exemplum autem illud de aqua, & vino valet ad ostendendum, quomodo vis insita assiduè pugnando cum alimento sibi apposito (quod, vt diximus, initio dissimile, & cõtrarium est rei nutriendæ) in dies nõ nihil roboris amittat. Idem.n. vino euenit, cui assiduè noua admiscеatur aqua. Non valet aũt in eam partem, vt, quemadmodũ miscendo aquã vino, licet vini forma corrumpatur, quantitas tñ, & moles fit maior, ita in viuentibus intelligatur euenire. Quinimò contra se res habet. Nã forma viuentium, dum illa decrescunt, manet; quantitas fit minor; quoniam .s. pars alimenti, quæ in illorum substantiam conuerti nequiuit, abit in excrementa; & partes solidæ siccio-res factæ minorem occupant locum. Hæc de accretione habemus ab Aristotele; quot autem & quanta sint, quæ nos ex verbis Arist. excerpamus, in quæstionibus audietis.

Quomodo

QVÆSTIONES IN QVINTVM CAPVT.

1 Quomodo artes differant ex com. Philoponi lxxvii.
2 An in omni motu requiratur latio ex tex. xxv.
3 Vtrum materia sit in loco ex tex. xxvii.
4 An conuersio aquæ in aërem sit accretio ex tex. xxxiii.
5 An aqua conuerti queat in vinum ex tex. xxxiiii.
6 Patiens interdum vocari efficiens, ex com. Philoponi xcii.
7 Cur idem se ipsum augeat, & loco moueat; minimè autem alteret, aut generet ex eodem com.
8 An materia sit pars essentiæ, & quomodo ex tex xxxi.
9 Quomodo alimentũ initio sit dissimile, ac tandẽ simile ex xxxviii.
10 Tota per se de accretione, & nutritione quæstio explicata.

1 Quomodo artes differant ex com. Philoponi. lxxvij.

NOtat Philoponus, artes differre aut formâ tantum, vt cesiorum effectrix, & effectrix nauium (vtraque.n. ligno æquè tanquàm materia vtitur, sed illa cesii, hæc nauis formam exprimit) aut materia tantum; vt ea, quæ æs elaborat, et quæ aurum fundit (easdem enim formas ex diuersa materia extundunt) aut formâ, & materiâ simul; vt medicina, & pictura. Aristoteles tamen viii. metaphy. xii. & Alexan. com. x. statuunt, si forma eadem sit, quàmuis materia sit diuersa, eandem tamen artem esse: ars enim species est vii. metaph xxx. Videtur Alexander ibidem hunc nodum dissoluere, inquiens, quæ ex diuersa materia eandem formam extundunt, esse quidem diuersas artes, non tamen omnino diuersas. Idem ad initium pri. Topic. docebat, artes, vt artes sunt, inter se non differre, sed aut ex forma, aut ex materia, aut ex ipso vsu, & modo proficisci diuersitatem; quo etiam pacto syllogismi differant; nam ex varia forma fiunt categorici, & hypothetici; ex vario modo perfecti, & imperfecti, negantes, & affirmantes; ex varia materia, necessariò demonstrantes, aut probabiles, aut sophistici. Omnino, quantũ ego possum iudicare, si formã iam factam spectes in varia materia; eadem tibi planè videbitur ars; sin dum fit, quoniã varietas materiæ in causa est, vt variis etiam modis, longeq́ue aliis instrumentis forma extundatur, diuersæ materiæ expoliendæ diuersam quoque artem tribues; quod Eustratii videtur esse in vi. Ethic. cap. viii.

2 An in omni motu requiratur latio ex tex. xxv.

QVod nunc dicitur, quod oritur & interit, non necessariò mutare locum, non pugnat cum iis, quæ viii. phy. scribuntur, motum secundum locum præire omnes motus, nihilq́; moueri sine latione posse. Nam, vt rectè inquit Philoponus, in omnibus motib. latio requiritur, sed non latio eiusdem corporis, quod alio cietur motu. Nam, quod alteratur, nõ ipsum mouetur loco; nec item, quod oritur, & interit; verumtamen alterius corporis latio flagitatur, nimirum Solis, & cœlestium corporum, sine qua nihil vllo agitari motu posset.

3 Vtrum materia sit in loco ex tex. xxvii.

QVod dicitur, materiam esse in loco, non pugnat cum eo, quod v. phy. viii. scribitur, quod generatur, non esse in loco. Nam respectu habito ad formam generandam materia prima nõ est in certo loco, neque per se, neque per accidens (vt in quæstione de formarũ multitudine ostendimus) idq́ue sibi volebat Aristoteles v. phy. At respectu habito ad formam præsentem (nunquàm.n. materia non aliquã formam habet) semper loco continetur, idq́ue in præsenti significatur. Zimaræ autem explicatio in ii. contrad. v phy. planè nulla. Inquit.n. materiam non esse in loco per se, sed per accidens ratione totius. Ita aũt, quod generatur, non distingueretur ab eo, quod alteratur. Nam, & hoc per accidens est in loco; non.n. alteratio in sui notione gerit inclusum locum; quare nunc dicit Aristoteles, quod alteratur, non mutare locũ. Nos igitur intelligamus materiã primam respectu habito ad formã generandam nec per se, nec per accidens esse in certo loco; cũ subiecta reliquorũ motuum certo semper loco cõtineantur.

4 *An conuersio aquæ in aërem sit accretio ex tex. xxxiij.*

IN Controuersiam vocari solet, an conuersio aquæ in aërem sit accretio. Ea enim mutatio in qua acquiritur noua quantitas, est accretio; mutatio aquæ in aërem est huiusmodi; ergo est accretio. Maior propositio ex eo confirmari potest; quòd nisi ita se res habeat, præter generationem, & interitum, alterationem, lationem, accretionem, aliam mutationis speciem introducamus oportet; in qua fiat variatio quantitatis, nec tamen sit accretio. Respondeo, in conuersione ista aquæ in aërem mutari quantitatem non primò, sed per consequutionem quandam. Quod enim dat formam, dat consequentia ad formam, eoque variata forma variantur qualitates illam consequentes: ergo primum mutatur forma, atque ex huius mutatione inducitur qualitas illa, quæ raritas dicitur; atque ex hac sequitur mutatio quantitatis. At accretio est, vt intelligetis, cum præcipuè quantitas mutatur: nec tamen aliam mutationis speciem inducamus oportet. Species enim mutationis ab iis rebus duci debent, quæ præcipuè mutantur, & non per consequutionem. Rarum autē, ac densum esse qualitates, constat ex secundo de partibus animal cap. pri. vt notat Zimara in octaua contrad. iiii. phy. quàmuis per consequutionem quandam varietur quantitas & situs (quod hoc loco habes etiam à D. Thoma) & existat latio. Notauit etiam Ammonius in categoriis in cap. de qualitate, rarum, & densum artificiosum esse illud, quod ab Aristotele ad categoriam situs refertur. Scotus autem in quæstione xxxvi. in categoriis inquit, rarum, & densum, vt significant extensionem partium quantarum, esse in situ; vt partium materiæ, esse qualitates. Verùm de hac re in secundo libro.

Quomodo ex mutatione aquæ in aerem non inducatur vacuum.

Dubitat Philoponus, an, cum aqua conuertitur in aërem, & maior moles existit aëris, quàm antea fuisset aquæ, locus ille, qui ab hac maiore mole occupatur, & à minore antea non occupabatur, fuerit vacuus, nec ne. Occasio dubitandi, quam ipse ex verbis Aristotelis arripit, nulla apud nos est, qui aliam attulimus interpretationem. Putat enim Philoponus cum inquit Aristoteles, si incorporeo fiat accretio, induci vacuum; id significari, futurum fuisse, vt locus ille, qui nunc ab aucto corpore occupatur, esset vacuus, si incorporeo fiat accretio; incorporeum enim non potest locum implere. Nos autem putamus idcirco induci vacuum, quòd spacium, vbi sita sit materia incorporea, & à corpore soluta, vacuum necessariò sit: vacuum enim nihil aliud intelligitur, quàm locus priuatus corpore. Sed, quàmuis occasio dubitandi nulla sit; magnæ tamen, & arduæ cognitionis per se ipsa isthæc quæstio indiget: nec vidit Iandunus in quartum phy. quæstione x. qui illam commodè profligaret. Benè autem, nisi fallor, explicatur nunc à Philopono. Inquit enim non ità asserendū, vt nonnulli, cum hic aqua conuertitur in aërem, in opposita regione aërem conuerti in aquam, & ab aëre, qui hic fit, impelli intermedias aëris partes ad oppositam regionem. Primùm, nimis ridiculum est putare, si cui hic libuit ex aqua facere aërem, aquæ ignem admouendo, statim naturam quasi illi obsecundantem in opposita regione ex aëre facere aquam. Deinde illud quoque parum verisimile est, tempore vix comprehensibili moueri tantā aëris intermedii partem ab hac ad oppositam regionem. Quare satius est, vt talem concipiamus aëris naturam, quæ facillimè agitari, & variari queat; ità vt non tantum à frigore, verùm etiam ex impulsu frangatur, & remittatur illius essentia, & fractà formà minor existat raritas, aërque densior euadat; vndè pluuias in Arabia exoriri autor est Arist. in primo Meteor. Quare ità mihi fit verisimile, vt ex aëre per motum rarefacientem generatur ignis, ità eundem aërem ex impulsu nō rarefaciente, sed condensante paulatim accedere ad naturā aquæ.

5 *An aqua conuerti queat in vinum ex. tex. xxxiiij.*

QVòd ità statuit Aristoteles aquam conuerti in vinum, mirum id Latinis ferè omnibus visum est. Nam ità argumentantur: si aqua in vinum, id est simplex in mistum conuerti posset; profectò nihil impediret, quominus aqua in sanguinem, & carnem conuerti posset: eadem enim esset conuersio simplicis in mistum: atque ità aqua nutriret, & augeret: quod tū maximè absurdum censetur. Nam aqua non crassescit iiii. meteor. xxi. idcircoque coqui nō potest; si non coquitur, certè non alit. Præterea ex vino, vbi fuerit aqua infusa, segregatur aqua per pannum lineum succo mentæ, vt aiunt madefactum, ac per alia etiam instrumenta. At si fuisset conuersa in vinum, ab eo certè segregari nulla ratione posset. Quamobrem omnes ferè latini suo more difficultati manus dantes inquiunt aquam non conuerti in vinum, sed cum illo confundi; Aristotelem autem loqui congruenter sensui, & intelligentiæ vulgarium hominum, non veritati. In exemplis enim non requiri veritatem prime

Prior

Prior. cap. xv. Equidem puto ignorari ab istis omnem mistionis naturam; quod infra ostendemus. Nunc illud vobiscum cogitate, fieri nullo pacto posse, vt magna copia vini generosi & quantitate, & qualitate pollens, paruam aquæ copiam admistam onn in sui naturam conuertat; cum sese tangant, & voum ad efficiendum, altera ad patiendum sit maximè idonea; neque aqua in aërem abeat; quando vini moles aucta cernitur. Quamobrem Olympiodori sententiam maximè probo, qui in quartum meteor, cap. iiii. inquit, Aristoteli vbique docenti nno solum elementa in se vicissim mutari, sed & simplicia in mistum, mistumque rursus in simplicia, vt aquam in vinum, & vinum in aquam, illud maximè consentaneum esse, vt aquam de illius sententia ad nutriendum non nihil posse asseramus, & coqui atque crassescere; sed ita difficulter, vt inæpta ad coctionem vocari queat; quomodo etiam impossibile illud dicitur, quod non facilè fit, neque citò, aut beoe pri. de cœlo cxi. Arist. fanè pri. de historia animalium cap. pri. & viii. cap. ii. & alibi sæpè, videtur coocedere aquam nutrire. Theophrastus autem secundo de causis plantarum cap. viii. aërem etiam fatetur. Aduersarii locum afferunt illum ex iiii. meteor. cap. iiii. & ex libro de sensu, & sensili cap. de sapore, vbi scribitur, aquā non crassescere, idcircoque inæptam ad nutriendum esse; & quamuis nonnulli respondeant, aquam, quæ nutrit, non omnino simplicem esse; nullum enim ex elemētis, quæ sentiuotur, inquit Galenus, pri. de simpl. med. cap. v. simplex est, responsum tamē nullius momenti est. Nam aqua hæc puteorum, aut fluuiorum, quam conceduut outrire, quantumuis sit non simplex; tameo non crassescit; quare nihilominus non erit alendis cor poribus. Ac verè dicebat Priscianus in Theophrastum de anima cap. 44. aquam hanc, qua aspergimur, terram, quam premimus, aërem, quem haurimus, vocari simplicia, & non mista, quoniam licet sint aliquantulum alterata, tamen adhuc essentiam oon mutarunt. Asseruot iidem aduersarii multa Galeni testimonia, vt ex libro de tabe, vbi scribit aquam non outrire, sed madefacere; Afferunt postremò testimonium Aristotelis ex ii. horum librorum 50. vbi docet, coostare nos quatuor elementis, quòd quatuor elementis nutrimur; hinc agricolas ad nutriendas plantas admiscere aquæ stercus. Mihi autem testimonium istud pro nobis videtur facere. Nam quemadmodum aqua ad mistum corpus conflandum accedēs pars illius fit, ita ad outriendum accedens pars fiet membri, quod nutritur. An aqua crassescat, & nutriat.

Quinimò dum stercori admiscetur; aut verè mistum corpus ex illis fit: aut confunduntur duntaxat. Si verè mistum corpus; ergo in ventriculo item nostro ex aqua bausta, & aliis cibis ingestis poterit fieri mistom corpus, quod nos poterit alere. Ita ad nutritionem pro sua parte concurret. Præterea si ex aqua, & stercore factum est verè mistum corpus; profectò simplex in mistum est conuersum, quod isti negant. Sin confusa duntaxat sunt ac tamen nutriuut, vt certè nutriunt, profectò tam aqua, quam stercus suum in outritione locum habebit. Ergo ex quatuor elementis coniunctis constamus, & quatuor item elementis coniunctis outrimur. Quare aquam nutrire non dubito; an autem aqua sola nutriat; id paulò difficilius ad statuendum est. Sed mihi tamen rerum naturam consulenti verisimile fit cum in mistione, vt audietis, ex voo quoque elemento debeant reliqua omnia extundi, similiter etiam accedente aqua, ab elementis, quæ in membro sunt, educi similem sibi speciem ex aqua; ita vt in corpore nostro, aut pisceum, aut plantarum prius aqua euadat mista quàm nutriendo fit. Hinc difficillimè, vt Olympiodorus asserebat, nutrit. Nam antea à temperamento corporis reliqua omnia elementa ex aqua extundantur oportet, quàm alendo fit; quòd si cibus mistus offeratur, cum in eo iam quatuor elementa adsint, nihil aliud temperamento rei nutriendæ efficiendum restat, quàm elementa cibi ad suam temperationem redigere; quod multo facilius fit, quàm noua elementa generare. Erit autem aqua sola minus inæpta ad anguillas, aut huiusmodi quædam quasi aquea animalia nutrienda (quod Rondeletius pri. de piscibus cap. xii. & xiii. istam quæstionem tractans præclarè admonebat) quàm ad terrestria, ac multo solidiora animalia: multo enim maius opus est, rem omnino dissimilem quàm suæ naturæ aliqua iam ex parte congruentem omnino similem reddere. Quare cum Galenus negat aquam nutrire, solidiora animalia fortasse spectabat. Ideo pueri dura non cōcoquunt, iuuenes coucoquunt ex Auicenna pri. Fen. pri. doct. vi. summa de virt. cap. iii. Argumentum igitur, quod nos torquebat, nuoc non difficillimè refellemus; aqua non crassescit, inquiunt, ergo nou nutrit; dicimus ab igne quidem, & flamma crassitiem non posse accipere; sed à temperamento corporis animati posse; quoniam similibus qualitatibus, & formis ab eo antea insignitur. Sic Hippocrates iii. de ratioue victus in morbis acutis cap. de aqua dixit, aquam bilescere; si bilescit; certè crassitiem quandam accipit. Hioc ea, quæ initio afferebantur, dissoluemus. Si aqua in vinum conuertitur, etiam in sanguioem, & carnem couuertetur. Concedimus, sed multo tamen difficilius; Nam aqua similior est vioo, An aqua sola quæ at nutrire.

tele

quàm carni, & sanguini. At aqua rursus segregatur à vino; ergo in illius naturam conuersa non erat. Fac segregari; nos enim libentissimè fatemur. Nonne audiemus nos ex Aristo- le in cap. de mistione; cum ità dicat, illa verè misceri, quæ rursus à se ipsis segregari queũt? Sed isti mistionis naturam ne attigerunt quidem. Alexander sanè in libello de mistione optimè docebat, aquam seiungi rursus à vino idcirco posse, quòd cum in mistione non omnino interiisset, facta nunc aliqua accessione, rursus suam integram naturam recuperet, & ab aliis elementis segregetur. Sed hæc infra copiosius.

6 *Patiens interdum vocari efficiens ex com. Phil 92.*

Dubitat Philoponus, quî dicat Aristoteles principium mouens esse in eo, quod alteratur. Nobis nulla dubitatio est, qui aliam interpretationem afferentes, rem ita se habere, quo pacto inquit Arist. clarissimè demonstrauimus; sed responsum tamen ipsius attendendum est, cum inquit ex Alexandro, principium mouens vocari apparationem, ac dispositionem patientis; quando, & ea quoque necessaria ad mouendum est; quod etiam Simplicii est in secundum phy. com. xii. Alex. autem i. ii. quæstionum naturalium cap. xii. ex definitione violenti iii. Nichomachiorum tradita, notauit illum etiam agere, qui patitur; & hoc sensu accipit vocem . . . ndi in ix. metaph. com. xi. Verumtamen, quamuis interdum ista notione vocem istam vsurpari concedamus; tamen hoc loco, cum alterans, & alteratũ, efficiens, & patiens inter se comparantur, mouentis nomine patiens intelligere, nimis alienum esset. Quare Auerrois & D. Thomæ interpretatio, quam nos sequuti sumus, tenenda.

7 *Cur idem se ipsum augeat, & loco moueat, minimè autem alteret, aut generet ex eod. com.*

Notat idem Philoponus, corpora naturalia posse quidem se ipsa augere, & mouere loco, minimè autem generare, aut alterare: quamuis enim secundo de anima non longè ab initio inanimis etiam videatur tribuere vim se ipsa alterandi; æquo animo est interpretandus. Huius varietatis illud in causa est, quòd augere se, & ad suum naturalem locum ferre, nihil aliud est, quàm suam perfectionem, & absolutionem comparare; Ideircoque illis facultatibus corpora naturalia sunt prædita. Generare autem se non possunt; quoniam si generanda essent, adhuc non essent; quod autem non est, minimè potest generare. Non possunt etiam se alterare, quoniam aut similem, aut contrariam qualitatem ex alteratione lucrarentur; si similem, bis eandem qualitatem haberent; sin contrariam, suum ipsorum interitum molirentur; quod maximè cauit natura. Quod autem inquit Auerroes ii. phy. pri. Simplex non se alterare, simplicis nomine, quicquid homogeneum est, intelligere debemos; qua etiam notione à Medicis vsurpatur. Heterogenea autem se vicissim alterant, id est pars diuersam partem; vt cerebrum refrigerat cor, & cor calfacit cerebrum. Præterea eadem propositio in qualitatibus tantùm altè fixis audienda est. Est enim qualitas aliqua altè fixa, vt calor in membris hectica febre laborantibus, aliqua leuius quodammodo hærens, vt calor in aqua: quòd enim aqua internum adhuc, & alte fixum frigus custodiat, ex eo perspicuum est quòd retinet pristinam grauitatem; ea autem sequitur non solum humorem, sed multo magis frigus iiii. de cœlo com xxxix. Hanc qualitatis diuisionem habes à Simplicio in vii. phy. com. xi. Ergo cum qualitas altè fixa est, & iam dominatur subiecto; profectò quod est homogeneum, illam exuere non potest; at cum leuiter est impressa; tunc homogeneum etiam poterit se alterare. i. istam qualitatem expellere, quomodo aqua calfacta vi suæ naturæ suique interni frigoris calorem exuit. Nam calor iste nondum dominans subiecto, neque illud bene affectum, & præparatum ad se substinendum habens, si, quod calfacit, amoueas, debilitatur; & tandem interit. Hoc modo putamus nos quæstionem illam, quî aqua calfacta pristinum frigus recuperet, à Latinis multùm tractatam, planius, & verius explicari, quàm quomodo ab illis explicatur.

Quomodo aqua calfacta refrigeretur.

8 *An materia sit pars essentiæ, & quomodo ex tex. xxxi.*

Propositio illa, & materia, & forma dicitur caro vel os, si Græcè intelligas, perspicuè habet pro subiecto voces illas, materia, & forma: Constat enim ex articulo. Quare ità sum ex Philopono interpretatus, nomine carnis, vel ossis interdum significari materiam, interdum formam. Concretum enim corpus dupliciter spectari potest; vno modo, vt est absolutè, atque locum habet in hac rerum aspectabili vniuersitate; alio modo, vt in certa specie

ea specie continetur, certamque habet essentiæ conditionem. Primo quidem modo substantia est, quoniam per se consistit, & constat ex materia & forma tanquam partibus, quæ & ipsæ substantiæ sunt ex categoriis cap. de substantia; quare hoc quidem modo materia est pars τοῦ οὐσίας, id est substantiæ: altero autem modo, quoniam forma est, à qua ducitur certa speciei, & existendi conditio, actus enim est, qui fecerit vii. metaph. 49 idcirco forma est το τὰ οὐσία. id est essentia rei, & ipsum quid est; materia autem accipitur tanquam sustinens ipsam essentiam; homonymia autem istius vocis, οὐσία, multos decæpit. Nam cum significat id, quod substantiam dicimus, id est per se, suisque viribus constans, primò conuenit concreto corpori, deinde materiæ, postremò formæ; at cum significat id, quod nos essentiam dicimus, & ipsum quid est; tunc primo conuenit formæ; deinde concreto, quâ formam habet; materia autem fert, & sustinet ipsam essentiam, & ipsum quid est. Quòd si Zimara in xvi. contrad. vii. metaph essentiam à quiditate segregauit; id apud Arabas potius quo pacto sunt in Latinam linguam conuersi; quàm apud Græcos locum habet. Nomina autem rebus concretis tanquam notioribus imponuntur, atque vt substantiæ sunt, certa tamē forma, certaque existendi conditione insignitæ; quare in iis materia etiam includitur dupli ci nomine; primùm, vt pars substantiæ, deinde, vt stratum, & columen ipsius essentiæ. Quare illis interdum aliquid attribuemus ratione formæ; ut cum hominem dicimus esse docilem, vel ad ridendum idoneum; interdum aliquid ratione materiæ; vt cum dicimus homi nem esse obnoxium interitui, ac senectuti; aliquid etiam ratione vtriusque, vt somnum; quod sæpè ab Auicenna, nunc à Philopono habetis; quamuis semper prius vnius ratione, quàm alterius attribuatur: & hac de causa Arist. inquit materiam, & formam dici carnem, vel os i. carni, vel ossi interdum attribui aliquid ratione materiæ, interdum verò aliquid ratione formæ; nec tertium membrum expressit. i. interdum ratione vtriusque. Non n. putes tu materiã solam posse appellari carnem; totum enim non prædicatur de parte; sed hoc sibi vult Arist. aliquando nomine carnis significari materiam, id est aliquid attribui carni ratione materiæ. Sic in libris de cœlo agitur de cœlo secundum materiam; non quòd consideretur cœlum inanimum; sed quod consideretur non considerata anima. Sic in libris de partibus anim. agitur de capite & corde secundum materiam; non quòd isthæc anima destituta considerentur; sed quod præcipuè materia ipsorum spectetur. Verùm hunc de partibus substantiæ, & essentiæ, ac nominum significatione satis obscurum locum alibi illustrauimus.

9 *Quomodo alimentum initio sit dissimile ac tandem simile ex tex. xxxviij.*

DIximus ex Aristotele, alimentum initio quidem esse dissimile, & quodammodo cõtrarium rei, quæ alitur, tandem autem per coctionem euadere simillimum. Id et bene percipiatur, scire licet, tria in nutritione, quemadmodum Gal. pri. lib. de facul. Naturalibus nos monet, opera extare, appositionem, quam Græci πρόσθεσιν, agglutinationem, quam πρόσφυσιν, assimilationem, quam ὁμοίωσιν. Postquàm enim succus is, qui oẽs animalis particulas nutriturus est, è venis excidit, in eas dispersus primùm apponitur, dein de agglutinatur, & inseritur, postremò idem cum illis euadit. Cæterum, antequàm è venis excidat, ore primum non quidem coquitur secun. de partibus animal. cap. iii. sed præparatur deinde in ventre coqui incipit; deinde in iecore, & venis magis elaboratur; in ipsis postremò partibus coctio absoluitur. Omnem autem naturæ operam in alimento adhibitam Gal. iii. libro de facultatibus naturalibus in tria tempora cogitatione partitur. In primo alimentum manet in ventriculo, & coquitur, apponiturque interea ipsi ventriculo ad saturitatem. In secundo transit ad intestina, iisque, & iecinori ad saturitatem apponitur; interea quod ventriculo in pri. tempore appositum erat, nunc magis coctum agglutinatur. In tertio ventriculus agglutinatum iam simile reddit; iecur, & intestina appositum agglutinant; reliquæ aũt corporis partes alimentum sibi apponunt; tandemque dum venter nouo eget cibo; ipsæ sibi appositum alimentum agglutinãt, simileque reddunt. Hippocrates in libro de alimento, si modo Hippocratis est, nutrimentum propriè vocat, quod iam simile euasit partibus; quasi nutrimentum, quod adhuc appositum duntaxat, vel agglutinatum est; quod autem nutriturum est, id quod ore inciditur, neque adhuc appositum est partibus. Aristoteles tamen id vocat alimentũ, quod nondum euasit idem cum partibus, idcircoq; sanguinem vltimũ alimẽtũ statuit. Aliud monet nos idem Gal. iii. lib. de temperamen. quod nobis non mediocriter conducit eorum, quæ per os sumuntur, duplex genus esse. Nam vel possunt corpori nutriendo similia reddi, aut non possunt. Si non possunt; medicamenta sunt; ea autem vel alterant tantum, vel etiam corrumpunt; sin possunt reddi similia; cibi, & alimenta. Verùm hæc

non

non omnia parem ſunt ſortita conditionem. Nam quædam facillimè redduntur ſimilia, vt vinum; quædam difficillimè, vt caſtoreum, & piper; quædam interiecta intermedia inter iſta ſunt. Omnes autem cibi, dum coquuntur, ſunt aliquo pacto diſsimiles, eoque quaſi medicamenta noſtrum corpus immutant; ſimiles autem facti euadunt partes noſtri corporis, & augent ſubſtantiam caloris, quaſi igne igni addito. Omne igitur alimentum eſt diſsimile, & contrarium, quà habet priuationem adiunctam ſubſtantiæ, in quam conuerti debet; ſed tamen illa verius alimenta ſunt, quæ aliquam etiam gerunt cum illa ſimilitudinem, vt facilè in eã conuerti queant. Ita ſecundo de partibus animal. cap. ii. non omne ſimiliter poteſtate calidum eſt; ſed quod facilè verti poteſt in ignem, vt pinguia.

10 *Tota per ſe de accretione, & nutritione quæſtio explicata.*

VT perobſcura hæc de accretione quæſtio planè, ac dilucidè, quantum in nobis eſt, explicetur; primùm de materia accretionis loquemur; deinceps de modo, & quaſi forma ipſius. Materiam autem duplicem ſtatuimus, vnam, quæ ſubſtinet iſtam mutationem; alteram, vnde fit accretio. In controuerſiam primùm vocatur ecquid nam ſit illud, quod ſubſtineat iſtam mutationem, & ſubiectum accretionis ſit. Adſunt enim quatuor, quæ quaſi de poſſeſsione contendunt, materia prima, qoantitas, forma, figura. Materia quidem idcirco videtur ſtatui debere ſubiectum iſtius mutationis; quòd eadem materia omnibus mutationibus ſubiicitur, tex. xxix. ſed illud videtur obſtare, quòd creſcens debet manere, & creſcere ſecundum omnes partes, at materia continenter diffluit, ac dilabitur, nec habet vllam partium diſtinctionem; quarum accretio animaduerti poſsit. Actus enim eſt qui diſtinguit. Quantitatis cauſam illud bonam facit, qoòd vt in ſubſtantia generatio, in qualitate alteratio, in loco latio, ita in quantitate verſari accretionem tex. xxvi. diximus. Obiicit illud quòd neque ipſa diſtinctas partes habet, nec poteſt ſecundum omnes partes creſcere, niſi dimenſiones ſeſe penetrent; & continenter fluit. Formæ illud hanc quaſi poſſeſſionem adiudicat, quòd ipſa diſtinctionem partium ſecum fert (elaborata enim atque affabrè facta inſtrumenta poſtulat) atque vt inquit Ariſtoteles, manet eadem; quare Alexan. in viii. metaph. com ii. & Auer. in paraphraſi in hunc librum cap. ii. dixerunt, formam eſſe ſubiectum accretionis. Contra illud arcet, quòd forma eſt ſubſtantia; at mutatio in ſubſtantia eſt generatio, non accretio; præterea cum ex materia ſit eruta, in ipſius quoque medullis, & viſceribus hæreat oportet; quare materia diffluente ipſa quoque dilabatur neceſſe eſt. Quæ pro forma faciunt, videntur etiam pro figura facere, cuius meminit Ariſtoteles tex. xxxvi. nam, & ipſa videtur manere, ac diſtinctas habere partes. Contra eadem, quæ formam, ipſam quoque figuram oppugnant; Nam in iiii. ſpecie qualitatis, ad quam figura refertur, nó eſt motus vii. phy. xv. ac ſi eſſet, eſſet alteratio potius, quàm accretio; præterea ſubiecto diffluente ipſa etiam non diffluere minime poteſt.

De ſubiecto accretionis.

De materia, vnde fit accretio, in quæſtionem cadit, vtrum anima ex ſubiecto, quod antea formabat, migret in iſtam nouam ſibi oblatam materiam; an ex iſta potius extondatur. Si migrat; certè formæ non educentur ex materia, ſed agglutinabuntur; qood totam Ariſtotelis philoſophiam euertit. Sin extunditur; certè cum materia oblata, ſit homogeneum quoddam; ex re homogenea erumpet anima; itaque anima actus erit corporis non organici, vt ii. de anima ſcribitur, ſed homogenei. Præterea cibus grauis eſt; quî ergo ſurſum, autè, retro, dextrorſum, ſiniſtrorſum ad alendas ſingulas partes feretur? ſuapte quidem natura minimè, quoniam grauis eſt; ſequitur, vt vi; quare motus naturalis vi adminiſtrabitur.

Dubitationes de materia, vnde fit accretio.

De modo ipſo, & ſpecie iſtius motus, non facilè apparet, quî verè motus nuncupari queat. Materia enim vnde fit accretio, quemadmodum panis, vel momento conuertitur in naturam membri, quod creſcit; vel tempore. Si tempore; cum ſit idem quod auget, & quod nutrit tex. 41. tempore etiam generatio obibitur (nutritio enim generatio eſt) quod maximum abſurdum cenſetur. Forma enim, quæ ſubſtantia eſt, momento erumpit in actum vi. phy. com. 59 Sin momento accretio fit; certè continuata eſſe non poteſt. Non enim aut puncta in magnitudine, aut momenta in tempore continuari queunt. Si non eſt continuata; profectò motus eſſe non poteſt. In motu enim continuatio extat iii. phy. pri. & per vniuerſum vi. librum; vbi demonſtrat Ariſtoteles, omnem motum eſſe diuiduum. Præterea cauſa eſt afferenda, cur accretio ſtatuatur motus proprius animatorum corporum. Nam ſi homogenea creſcunt tex. xxxv. non video, cur vinum etiam infuſà aqua creuiſſe verè affirmare nequeamus.

De modo, & ſpecie iſtius motus.

Hæc, ſi modo poſſumus, ſunt diſſoluenda, ac primò quidem primo loco propoſitam quæſtionem profligemus. Motus dupliciter conſiderari poteſt vno modo vt forma fluens, altero

Explicatio quæſtionis de materia, cui fit accretio.

altero vt fluxus formæ, quæ est omnium philosophorum sermone trita distinctio. Ergo si quan titas vt forma fluens consideretur, id est quantitas fluens; dicimus subiectum accretio nis esse materiam primam: atque id sibi voluit Aristoteles, cum diceret omnibus mutationi bus eandem numero subiici materiam; quantitas enim, si quid aliud, adhæret materiæ. Sin autem consideretur tanquam fluxus formæ; pauló verbosius subiectum istius fluxus est expli candum. Puto ego formam, quæ substantia est, quá tamen figuram & quantitatem adiunctam habet, esse subiectum accretionis. Sic omnibus, quæ de possessione contendebant, aliquid tribuemus. Quemadmodum igitur, quod auget, est potestate caro quanta tex. 41. itá quod augetur, est actu caro quanta, & adde tu, figurata. Id sibi voluerunt Alex. & Auerr. cum dicerent, formam esse subiectum accretionis; rursusque Auerr. in com. xxxviii. ad initium digressionis, vbi sententiam suam exponens docebat, quod augetur, id est subiectum accretionis esse quantum habens formam; idemque docuit Philoponus com. 94. Addo autem ego figuram; quoniam illius mentionem video fieri ab Aristotele, & profectò maximé facit ad partium distinctionem; itaut heterogenea potius, quàm homogenea, vt audietis, veré dicantur crescere; cum tamen eandem formam, id est animam habeant. Subiectum igi tur accretionis sit forma figurata quanta. Id autem, vndé precipué motus pendet, est quantitas. Nam forma & figura, vt in quæstione de formarum multitudine disputauimus, conci piuntur quasi vniuersitates quædam, quamuis ex partibus constent, indiuiduam tamen essen tiam habentes; idcirco dicebat Aristoteles obscuré, sed diuinitus, formam esse quasi speciẽ sine materia. i. concipi sine maioris, aut minoris quantitatis consideratione; idemque plané, vt antea monuimus, figuræ iudicium est. Quare reliquum erat, vt quantitas esset illud, vnde penderet iste motus; idcircoque dicimus accretionem esse circa quantitatem, vt physiologiam dicimus esse circa naturam; quoniam per hanc physiologia á cæteris scientiis distinguitur. Quomodo autem quantitas crescat, intelligemus; cum quæstiones de materia, vnde fit accretio, exorientes ad exitum perduxerimus; quod facere nunc aggredimur, exponentes simul, quomodo materiæ fiat accessio, sed forma crescat tex. xxxvii. Nomine ego materiæ quatuor elementa significari puto; præcipué aũt humorẽ tùm aqueum, tùm aëreum qui præcipué subiectum est in conflatione mistorum corporum; quod ex hoc tẽ. & ex primis capitibus iiii. Meteororum constabit. Nomine aũt formæ intelligo, vt Scoti in iiii. sententiarum, & Latinorum sententiam non referam, primum mistionis formam, quæ est prima ho mogenearum partium forma; deinde animam, quæ corporis organici, & heterogenei præcipué, vt audiesis, est actus; itá vt fiat quidem accessio materiæ, id est elementa ipsa quasi ex cibo duplicentur, forma aũt pri^m mistionis, deinde anima excrescat, & ex minore quantitate maiorem sibi adiungat. Adueniente igitur cibo, in quo similiter quatuor elementa conti nentur, sed aliter tamen temperata; carnis forma, exempli causa, illa elementa in cibo contenta paulatim ad suam temperationem redigit, sibique similia, & consentanea reddit; sic ele menta, quæ in carne sunt, sociantur cum elementis, quæ erant in cibo, iam sibi similibus redditis; & forma mistionis maiorem quantitatem acquirit, itemque illius comes anima, & figura. Accedit autem cibus quantitatem secum ferens; verum hæc quantitas non est quantitas carnis; fit autem paulatim quantitas carnis, dum elementa cibi ad carnis temperationẽ reuocantur; idcircò præclaré dicebat Arist. tex. xl. augeri carnem, & os adueniente quidẽ quanto aliquo, minimé autem carne quanta. Quoniam autem elementorum formæ tales sunt, quæ intendi, & remitti possint, vt ostendemus, eoque per continuatam mutationem acquiruntur; idcirco per continuatam quoque mutationem quantitas cibi euadet quantitas carnis: ex quo accretio continuata erit, & speciebus motus recté adnumerabitur.

Cur accretio attribuatur præcipué quantitati.

Quomodo fiat accessio materiæ, & forma crescat.

Quomodo accretio fit continuata & veré sit motus

Mea hæc explicatio est, quæ mihi implet animũ; vos aiũt, quàm reliquorũ elaudicent, audietis. Sumamus igitur in manus argumenta, quæ nobis negotium facessebant; attẽdamusq́; , facilius ne á nobis, quàm á reliquis confutentur. Materia igitur in hoc negotiũ non se amplius intru det: est. n. subiectũ formæ fluentis, minimé aũt ipsius fluxus, de quo nunc loquimus. Quan titas est subiectũ istius fluxus; sed habet partes, & manet, quá formá, & figurá adiunctá habet. At. n. dices, istud vix animo concipi põt, formá. s. manere, si materia assidue dilabitur, atque in excremẽta abit. Res profectò obscurissima est. Auer. initio digressionis Alex^m. inquit itá ex istimasse, nunquàm totá materiá dilabi, cæteroqui tota etiá forma dilaberetur; hanc aũt materiæ partẽ manẽtẽ esse illá, quæ crescit; aduersus quẽ multis argumẽtis pugnat Auer. Sed Auer. fortasse, ꝗ Philop^m. Alexãdri sectatorẽ viderit esse in hac sententia; propterea Alex^m. quoq; fuisse existimauit. Omnino Alex. pri. lib. quæst. naturaliũ cap. v. totá diffluere materiá fatetur: qui enim secus fieri queat? Ex tantulo semine procerissimæ arbores procreantur. Num existi mare possumus, portionẽ materiæ, quæ in semine contineretur, manentẽ eandẽ distribui, ac diffundi in tantá molem potuisse? nihil minus. Philoponi aũt argumentũ quo suá sententiá cõfirmat, non difficulter refellitur. Inquit, si tota materia fluat, & assidue renouetur, fore, vt corpora æterna esse queant, quasi materia ex hieme ver excipiente, & rursus pubescente.

Explicatio dubitationum.

An tota materia dilabatur.

Aduersus Philoponum.

Respondemus, calorem naturalem, qui nouam reparat materiam, paulatim vires amittere, vt aliud sibi simile procreare amplius non queat, atque ita concidat necessariò; quod in quæstione de calore naturali ostendimus. Illud autem præterea à Philopono habemus, quemadmodum vmbra ab aliquo corpore immissa in fluuium, ipsa quidem manet eadem numero, licet partes fluuii assiduè varientur (quod exemplum etiam Auerroes attulit in paraphrasi huius capitis, ibi tamen rem negligentius tractans; diligenter enim in digressione tractauerat) ita formam manere incolumem, atque eandem numero, quàmuis materia continenter dilabatur, ac varietur. Philoponum imitatus D. Thomas, & quod magis mirandum sit, Pomponatius, & Contarenus præceptoris Pomponatii autoritatem sequutus, existimarunt animæ hanc propriam, peculiaremque conditionem esse (quòd à materia prima longius absit, eòque libera & soluta magis quodammodo sit) vt subiecto quidem egeat; verum non ita eet tum subiectum postulet; vt illo discedente, & alio succedente non queat in hoc se fundere atque hoc ipso, tanquàm fundamento niti; quinimò, dum aliud priori simile succedat, manebit incolumis, & inuiolata. Cæterum id, vt diximus, vniuersam Arist. philosophiam euertit. Nam anima sentiens, & vegetabilis (mitto intelligentem, de qua quidem verè istud affirmare potuissent, quippe cum è materia non sit educta, sed hæc non crescit) ita è visceribus materiæ eruuntur, vt in aliam materiæ portionem migrare non queant; cæteroqui huic nouæ materiæ essent agglutinatæ, & non ita coniunctæ, vt ex materia, & anima fieret verè vnum, quemadmodum ex figura & cera. Præterea animam quasi testudinem fingeremus, quæ maiori oblata materia magis sese extenderet, longiusque caput produceret suum, minori autem minus. Omnino sententia hæc absurda, quàm quæ maximè. Exemplum autem, quod afferunt, nullum. Vmbra enim est priuatio, non forma; nec tamen manet eadem, sed nouæ partes aquæ nouam secum ferunt priuationem luminis; quæ tamen priuatio ita videtur eadem, vt aqua etiam videtur manere eadem.

Aduersus D. Thomam, Pomponatiũ, Contarenum.

Quid igitur dicemus nos? est ne par conditio formæ & materiæ, vt vtraque continenter fluat, ac dilabatur? Est sanè: Cur igitur hoc loco dixit Arist. accretionem fieri secundũ formam, non secundum materiam, quòd ipsa manet, materia non manet; & quarto metaph. xxii. Cratyli argumentum consutans asserebat, res variari quidem secundum quantitatem, id est, vt interpretatur Alexander, secundum materiam, manere autem incolumes secundũ qualitatem, & formam? hoc commodè dissoluetur, si illud memoria tenuerimus, quod ii. phy. xxxi. & v. metaph. iii. & alibi sæpè ab Aristotele docemur, partes esse materiam, totum autem esse formam; quoniam igitur partes sunt illæ, quæ dilabuntur (non enim totum simul diffluit, sed aliqua ipsius pars; & partes materiæ instar obtinent) idcircò dicimus materiam non manere, formam autem manere, id est partes dilabi, ac mutari, totum autem per continuatam partiũ successionem manere idem; quod in digressione ità apertè significat Auerroes, vt facilè intelligere queamus. Quare ii. lib. de cœlo comm. xxvii. simili loquutione vsus, dixit fluuii partes mutari eadem forma remanente; vbi partibus formam opponens satis indicat formæ nomine à se totum intelligi.

Quomodo forma & nõ materia maneat.

Sed paulò clarius explicandum est, an idem numero maneat ab initio accretionis vsque ad finem. Tempus accretionis, si spectetur magnitudo, ad quam viuens peruenire potest, est decem, exempli causa, annorum; verum hæc absoluta, atque integra accretio componitur ex pluribus partialibus accretionibus, & multiplici quiete inter istas accretiones intercedente. Crescit.n. animal per horam, exempli causa, ad paulò maiorem magnitudinem; deinde per aliam horam quiescit; omninoq; alternatim crescit, & quiescit iii. phy. com. vi. Ergo si particularem accretionem, quæ verè eadem numero est, & continuata, sumas; profectò idẽ manet subiectum ab initio istius mutationis vsque ad finem. Hoc.n. proprium motus est: hoc que à generatione distinguitur; quòd in motu subiectum manet, in generatione non manet; non.n. in illo temporis spacio tanta portio materiæ, aut formæ dilapsa est, vt subiectum, & totum ipsum sit mutatum, idque sibi voluit Aristoteles quarto metaphy. xxii. cum diceret, id quod abiicit, habere semper aliquid illius, quod abiieit; idemque sibi voluit Alex. illo v. cap. sin totam accretionem sumas, quæ ex pluribus numero accretionibus conflata est; illa quidem, sicuti continuata non est, neque vnus numero motus; ita neque idem etiam nomero mobile requirit. Ac sanè si extrema consideres. i. initium istius integræ accretionis, & finem; non est idem numero subiectum; tota.n. materia paulatim variata est, totaque item forma. Quòd si non extrema per se, sed totum tempus contempleris; non potes ipsius partem vllam sumere; in qua non sit idem subiectum, quod erat in proximè superiore temporis parte; non enim simul totum variatur sed per partes; quod in Naui etiam illa Thesei vsu venit; quam inquit Plutarchus in Theseo sophistas eius temporis exercuisse. Ergo qm̃ forma præcipue

An idem numero maneat à principio accretionis vsq; ad finem.

præcipuè totum significat, & totum ipsum in particularibus motionibus non variatur; at partes, quæ materiæ instar obtinent; variantur; forma manere dicitur, minimè autem materia. Theophrastus autem quarto lib. de historia plantarum cap. xiii. ex caudice potissimum diu dicari voluit, idem ne maneret totum in plantis, nec ne; qua de re alibi dicemus.

Quod autem ad materiam vnde fit accretio, pertinet, in illam quidem, vt iam statuimus, non migrat anima, sed ex ea benè temperata prodit, & erumpit, & formatur quidem ab anima caro; sed cum caro ista non soluta consistat, sed adiuncta priori carni, atque vnà cum illa statim euadat organica, & heterogenea; idcirco dicimus animam esse actum corporis organici. Hoc enim proprium est, & præcipuum animæ subiectum. Quo loco illud obseruandum est, qui verè ab Aristotele dicatur tex. xxxvii. distinctionem formæ à materia magis patere in heterogeneis, quàm in homogeneis; & mortui magis esse carnem, & os, quàm aut manum, aut brachium. Intelligendum enim est formam propriam homogeneorum, quà homogenea sunt, esse temperamentum, & mistionis formam; at heterogeneorum esse animã. Cum enim vnumquodque ex operibus diudicetur, & actiones animæ in rebus homogeneis obscuræ sint, in heterogeneis perspicuæ, atque euidentes; idcirco partium heterogenearũ propria forma censetur anima, eoque vocantur organicæ, quòd sunt animæ instrumenta. Animæ autem instrumentum certam, atque affabre factam figuram postulat, vt ex Auerroe in tertium de cœlo com. lxvii. diximus: quare non tantum forma, quæ est actus corporis organici, distinctior est à materia, quàm temperamentum, & forma mistionis; verum etiam figura animæ socia multò distinctior, magisque soluta à materia est, quàm figura temperamenti socia; quinetiam homogeneum vix certam figuram habet, aut ne vix quidem. Quare nihil mirum, si conditio illa, quamlibet rei crescentis partem debere crescere, multo euidentius extat in heterogeneis; quandoquidem in his verè, & euidenter distinctæ partes formæ, & figuræ sunt. Idem autem in causa est, cur mortui caro, & os potius seruent suum nomen, quàm brachium, & manus. Nam heterogeneorum, dum viuunt, apparent actiones, ex quibus cognoscitur forma: quamobrem ablatis actionibus formam ipsorum periisse non dubitamus; at homogeneorum dum mors adest, non euidenter abolетur actio; quandoquidẽ ne dum viuebant quidem, perspicuè extabat; quare homogenea distingui, ac definiri potius affectionibus quàm actionibus docuit Aristoteles ad finem quarti meteor. Hæc, quæ nos de istarum partium differentia attulimus, magna ex parte depromрta sunt ex Achillino in ii. libro de elementis in extremo quarto articulo.

Explicatio dubitationum de materia, vnde fit accretio. i. de alimẽto.

Quomodo distinctio formæ à materia in heterogeneis clarius pateat.

Iam verò illud explicemus, quo pacto cibus, qui grauis est, naturaliter in tot opposítas regiones feratur. Arist. in libro de sensu, & sensili, cap. de sapore, statuebat calorem insitum digerendo, & concoquendo cibos conficere, fuitque applicare locis, quasi naturalem architectum; hinc iuuenes crescere, senes decrescere. Illi enim calore abundant; cuius proprium est rarefacere, ac diffundere, & quasi à centro ad ambitum ducere; hi autem frigore languescunt; cuius peculiare est arctare, & adstringere, & quasi ab ambitu ad centrum colligere. Hinc etiam asserebat dulci ad nutriendum, & augendum opus esse. Quod enim facile suis locis applicari, atque attrahi à calore debet, id leue sit oportet; huiusmodi est, quod dulce est; salsum autem, & amarum graue; ergo iure optimo dulce quidem nutritioni dicabitur, quod autem salsum, & amarum est, excernetur. Hinc animalium excrementa grauia sunt, amara, salsa. Confirmabat id similitudine quadam. Nam quemadmodum calor solis ex aqua id, quod leue, ac dulce est, attrahit ad se, quod autem amarum & salsum, relinquit (quamobrem aquæ pluuiæ etiam ex mari eductæ, quod graue, & salsum est, leues tamen sunt ac dulces) ita etiam rationi consentaneum est, internum animalium, & plantarum calorem ex cibo oblato partem leuiorem, ac dulciorem ad se vocare; grauiorem autem, atque amariorem deponere. Verumtamen, & id suam habet difficultatem. Nam si dulce nutriret, quà leue, amarum autem ob grauitatẽ excerneretur, idem omnibus animantibus esset dulce, & amarum; quemadmodum idem omnibus graue & leue est; idemq; cibus esset omnibus æquè accommodatus, aut noxius. Nunc autem contra euenit. Non enim idem omnibus est dulce, & ad alendum accommodatum, sed persæpe quod vni naturæ optimum alimentum est, alteri est venenum; quod vni venenum, alteri optimum alimentum. Cum autem dulce dicimus, illud dicimus, quod cuiusque naturæ est accommodatum, quod ab Aristotele viii. de historia animalium cap. pri. & à Gal. iiii. de simpl. med. facultatibus cap. ix. docemur: quod igitur diuersæ naturæ sunt, diuersaque temperamenta, idcirco diuersa quoque sunt dulcia. Ita ferè Theophrastus lib. sexto de causis plantarum cap. ii. aduersus Democritum causas saporum in figuras referentem argumentabatur. Figuras enim omnibus easdem esse dicebat, minimè autem sapores. Quæstionem hanc ita explicandam puto.

Quomodo cibus in tot oppositas partes feratur.

Quomodo dulci nutriamur.

Quemadmodum ferrum alteratum à magnete longè aliam à sua motionem obit; ita cibus alteratus à membro, & specie innati caloris insignitus aliis fertur motibus, quàm illo, quem præstat grauitas, vt monebat Auerr. vii. phy. com. x. ac præterea villorum etiam operâ intercedente, quos medici animaduerterunt; istique motus non sunt absolutè naturales cibo, nisi quà in substantiam nutrii conuertendus est, & ad illam paulatim accedit. Sic vapori naturalis quodammodo motus est sursum ferri; quoniam à calore insignitè alteratus aliam à prio re naturam incipit induere. Quemadmodum autem temperamenta omnium animantium quàmuis specie diuersa sint, hac tamen re conueniunt, quòd sunt calida, & humida; ita cibi, & alimenta, quàmuis pro varietate naturarum varia sint, hac tamen re conueniunt, quòd moderatè calida ac dulcia, & leuia esse debent, quo facilius suis locis applicentur (nam nimis grauia, nimis resisterent calori naturali attrahenti) atque in substantiam partium conuertantur; quàmuis huius, quod huic speciei conuenit, maior sit dulcedo, & leuitas, quam illius, quod alteri speciei. Idcirco dicebat Galenus eodem libro capite xiiii. omnium, quæ nutriunt, communem esse dulcedinem; nam quicquid nutrit, aut minus, aut plus esse dulce. In omnibus igitur omnium animantium alimentis est pars leuior, ac dulcior; est item pars grauior, & amarior, atque illa attrahitur ad nutriendum, hæc excernitur. Hinc Galenus eodem lib. cap. xix. memorabat lacum esse in Syria Palestina, in quo nullum animal, nulla planta viuere queat; quòd, sita amarus est, ita grauis, vt nulla ex eo satis leuis, & dulcis, nulla satis apta ad nutriendum pars excerpi queat. Nos igitur plures dulcedinis species, intra certos tamen terminos, & cancellos quosdam possumus constituere. Democritus autem vtebatur figuris, ex quibus nulla variæ dulcedinis caussa afferri poterat; præsertim cum subiecti id est caloris naturalis cuiusque membri varietatem ille non consideraret; cuius à nobis maxima ratio habetur; eoque præcipuè nomine à Theophrasto reprehendebatur.

Explicatio dubitationum de specie istius motus.

His ità constitutis non difficulter etiam, quod cæteris difficillimum fuit, speciem, & modú istius motus poterimus constituere. Nam alii quidem aut, vt Pomponatius, & Zimara in contrad. x. v. phy. putauerunt accretionem non esse motum continuum, & perennem, nam inter vnam nutritionem, & alteram necessariò intercedere quietem; ac nutritionem momento obiri; videri autem continuatum motum, eoquod quies illa sensum fugiat ob exiguitatem; aut, vt Burleus, & Iaudunus, existimarunt per nutritionem fieri carnem, deinde factam carnem extendi, istamque extensionem esse formaliter, vt aiunt, accretionem. Mihi autem neutra opinio probatur. Prima quidem naturam motus euertit; in cuius notione necessariò includitur continuatio; est enim actus imperfectus, qui paulatim absoluitur; & hac de causa distinguitur ab energia; quod habemus in textu illo pulcherrimo ix. Metaph. non ita pridè animaduersò ab homine doctissimo Chiriaco Strozza. Neque ita possumus dicere, vt Zimara in contrad. illa, accretioni, quæ motus est, non repugnare continuationem (vt etiam Talpæ, quà animal, non repugnat videre) sed quà talis motus est, non esse continuationis compotem. Exemplum enim valdè dissimile est. In animalis essentia, & notione non necessariò includitur visus; at essentia, & notio motus conficitur ex ista continuatione; quare, vt nulla species animalis est, quæ non sentiat; ita nulla species motus, in qua non sit continuatio, & perennitas. Quare idem Zimara in Tabulis in dictione illa *motus definitio est ambigua* mutauit sententiam, & accretionem esse continuatam putauit, idcircoq; secundæ sententiæ adhæsit. Omnino, qui dicunt videri continuatam, sed non esse, tantundem est, ac si dicerent, videri motum, sed non esse. Ità impropriè semper, & metaphoricè loquutus fuerit Arist. & ad vulgi opinionem, non acroamaticè de rebus disseruerit. Sed secundam sententiam expendamus. Eam quidem validis argumentis conuellit Pomponatius cap. ix. Nam si accretio esset formaliter extensio, cum hæc etiam inanimis conueniat, iis etiam accretio cóueniret; præterea existeret accretio in fine nouæ materiæ accessione; quæ tamen necessaria cōditio in accretione est. Nam cum fit ista extensio, nulla accedit materia. Ac mutilate sanè rem tractasset Aristoteles nusquàm istud afferens, accretionem esse extensionem. Quòd si testimonium afferas Aristotelis ex xxv. tex. vbi scribitur, quod augetur, mutare locum, veluti quod extenditur: id tantum abest, vt pro te faciat, vt potius mirabiliter officiat. Nam nihil ad sui ipsius exemplum sumitur. Non enim dixeris, M. Tullium esse optimum Oratorem veluti Ciceronem. Ita si idem esset accretio, atque extensio, inæptè diceremus, quod augetur, se habere veluti quod extenditur.

Opinio Pomponatii, & Zimaræ.

Opinio Burlei, & Iauduni.

Cōfutatio primæ opinionis.

Cōfutatio secūdæ opinionis.

Quæ autem à Zimara in Tabulis Pomponatio respondentur, nullius ponderis sunt. Censet enim extensionem in viuentibus terminari præcipuè ad quantitatem, per quandam verò cōsequutionem ad qualitatem, contra in inanimis præcipuè ad qualitatem, ad quantitatē verò per consequutionem quandam. Sed intelligendum est, quis hoc illi arcanum cōmiserit.

Mihi

Mihi quidem videtur optare istud esse, non disputare; tam enim in animatis, quàm in inanimis noua acquiritur quantitas, & noua qualitas; quare non video, cur non etiam vtrobiq; aut ad qualitatem, aut ad quantitatem præcipuè terminari debeat. Omnino extensio fit per naturam communem animato, & inanimo, vt per communem perspicuitatis naturam aër, & aqua illuminantur. Præterea cum cibus fit caro, semper illi hæret quantitas; non enim, vt diximus, fit caro non quanta; ergo cum primum facta est caro, facta etiam est quanta. Quod enim dat formam, dat consequentia formam; terminus autem quantitatis consequitur formam; eoque præsente forma suus etiam adest terminus quantitatis; quare vt noua caro est aggenerata priori, ita quantitas quantitati. Igitur ante extensionem iam membra incrementum susceperunt ob nouam quantitatis accessionem: Ita accretio formaliter esse nequit extensio. Satius igitur est tenere illud, quod à me animaduersum omnes nodos dissoluit, paulatim acquiri quantitatem, quoniam paulatim cibus fit caro; fit enim per continuatã temperationem ipsorum elementorum. Licet enim acquiratur etiam substantia per nutritionem, quæ est, vt verè solent dicere, aggeneratio quædam; tamen nos quantitatis præcipuè rationem habemus; quoniam substantia, quà substantia est, poterat sine noua accessione cõsistere. Non negarim tamen extendi ac rarefieri membra à caloris copia, nouosque meatus gigni ad cibum denuo oblatum promptius excipiendum; quod ab Auerroe in digressione habetis. Satis est veram accretionem, verumque motum esse continuatam illam, & perennem acquisitionem quantitatis, per continuatam temperationem elementorum, quæ cum materia ciborum essent, nunc materia membrorum debent euadere; euadunt autem per cõtinuatam mutationem.

Restat postrema quæstio explicanda, ecquid causæ sit, quamobrem accretio peculiaris animãtium motus statuatur. Accretionis nomen multiplicem sensum habet. Interdum enim id crescere dicimus, quod per tumorem fit maius, vt aquam in lebete feruentem; interdum id, quod quasi duplicatum, & cumulatum est, vt cumulum tritici alterius cumuli accessione. Sed hæ istius vocis notiones minus propriæ sunt, ac rebus etiam inanimis perspicuè conueniunt. Tertia est maximè propria, & viuentium peculiaris, quam ita possumus definitione omnes causas comprehendente euoluere & explicare. Accretio est motus quantitatis factus ab eo, quod crescit per animam, & calorem naturalem, manente quidem eodem secundum formam illo, quod crescit, facta autem accessione cuiuspiam rei externæ, id est cibi ad materiam; ita vt quæuis pars rei crescentis pro rata portione crescat; quousque illa ad decentem magnitudinem peruenerit. Hæc enim postrema pars, quæ ad finem pertinet, licet nunc ab Aristotele omittatur, tamen ex libris de animalibus facilè colligi potest: vix enim hoc loco commodè explicari poterat, nisi longius digredi voluissemus. Tota ferè hæc definitio videtur cõuenire incremento vini, cum aqua infunditur, & in illius substantiam conuertitur, illiusque molem auget. Nam fit accretio rei externæ ad materiam .i. ad elementa, quæ in vino sunt; ac tota mistionis forma, & quælibet illius pars fit maior manens eadem; ergo accretio inanimis etiam conuenit. Certè homogenea etiam crescunt, & ob illorum incrementum crescunt heterogenea. Verumtamen quoniam minus distinctas partes habent; quinimò eiusmodi sunt; nec ratio ulla partes inter se discernendi adest; idcircò non facilè deprehendere possumus, creuerit ne quælibet pars, an potius totum sit cumulatum & cõfusum. Ergo cum propria accretionis conditio sit, vt quælibet pars crescat; ibi propriè locum habebit, vbi extat, atque animaduerti potest partium distinctio. In heterogeneis tantùm, & animatis animaduerti potest, minimè autem in homogeneis, aut in corporibus inanimis; ergo in illis tantum, minimè autem in his locum habebit. Atqui illud attendas, non, si prius crescunt homogenea, quàm heterogenea tex. xxxv. idcircò verius, & magis propriè crescere: quinimò pugnant quodammodo inter se prius ortu, & origine, ac prius naturà, & essentia, vt superius ex Aristotele docuimus. Quare tunc verè accretio suam essentiam obtinebit, cum heterogeneorum creuerit forma, & figura.

Hæc sunt, quæ in hoc loco tractando ingenia philosophorum torquere solent; reliquæ quæstiones faciliorem habent explicatum; quales illæ sunt; an animal ab initio ad extremũ vitæ terminum nutriatur; an nutritio, & accretio cogitatione tantum, & ratione, anne etiã re discrepent; quas nos breuiter profligemus. Laborant sanè nonnulli in ambabus; in prima quidem, quòd initio vitæ non potest adesse nutritio; quandoquidem antecesserit altera tio oportet; neque in extremo, aut propè mortem; quippè cum facultas imbecilla coquere alimentum non valeat, sæpeque etiam, vt Medici docent, corpus laboret ex atrophia; quæ nihil aliud est, quàm priuatio nutritionis. In altera verò, quòd idem re nõ possunt esse accretio, & nutritio, si vna sine altera esse potest; contra nunquam videntur seiungi, quòd cum

Cur accretio sit peculiaris animantorum motus.

Definitio accretionis.

Verum vinum ex aqua infusa verè crescat.

Aliæ quædam leuiores dubitatio nes sublatæ.

cum ſemper noua caro generetur per nutritionem, caro autem iſta accedens expers eſſe quătitatis nequeat, vt reſtauratur ſubſtantia, ita etiam reſtaurari videtur quantitas, & ad quantatatem fieri motus; hic autem accretio eſt. Nus primam doplici modo ad exitum perducimus; primò dicentes nutritionem bifariam accipi; aut enim iſto nomine ſignificari iotegram coouerſionem alimenti in ſubſtantiam eius, quod alitur (ita initio vitæ, & propè mortem non fit nutritio, hocque aſtirmant argumenta allata) aut qualemcunque alterationem alimenti; atque hæc nutritio, & initio vitæ ſtatim incipit, & in atrophia perdurat, & vſque ad mortem animantia proſequitur. Deinde illud quoque tenere nobis ſatis eſt, phyſicè, non Mathematicè eſſe iſta intelligenda; ſatiſque nutritionem in toto vitæ tempore locum habere; licet primum illud vitæ initium, ac mortis terminum excludamus.

An animal aſſidue nutriatur.

An nutritio ſit re diſtincta ab accretione.

De ſecunda autem quæſtione ſtatuimus barbarè qoidem, ſed verè, atque ingenioſè, & congruenter Græcis, (quod ex Alexandro in præfatione in prinra analytica colligi poteſt) à quibuſdam Latinis dictum eſſe, duplicem eſſe realitatem, vnam eſſentiæ, alteram exiſtentiæ. Realitate eſſentiæ differt in lacte dulcedo à candore, & in alimento quantitas à ſubſtantia; qoàmuis ſimul exiſtant, idcircoque dicantur idem eſſe ſobiecto, id eſt, vt noſtri dicunt, eandem habere realitatem exiſtentiæ; ſi tamen de integra exiſtentia intelligamus; cæteroqui omnis eſſentia extra cauſas egreſſa ſuam babet comitem adiunctā exiſtentiā; qoem locom alibi tractauimus. Ergo differunt eſſentià, & re nutritio, & accretio, quantum differunt ſubſtantia, & quantitas. Dicontur autem idem eſſe ſubiecto; quoniam accidens, cuioſmodi eſt quaotitas, ſine ſubiecto exiſtere, ſuiſque viribus conſtare nun poteſt. Idem ferè habes à Zimara in Tabulis, qoàmuis leuios expreſſum. Quàmuis autem in omoi nutritione fiat etiam motus in quantitate; tamen quandocunque non fit maior quantitatis moles, ſed æqualis conſeruatur, aut etiā decreſcit, tunc ita obſcurus eſt iſte in quantitate motus, vt accretionis nomine dignum non cenſeamus.

Vnde proficiſcatur diminutio.

Verùm de diminutione etiam dubitabis; quam inde ſignificauimus proficiſci, quòd per alimentum minor ſubſtantia, & quantitas reponatur, quàm effluxerit; Id autem euenit ob caloris imbecillitatem ad multum cibum coquendom minimè idoneam. Dubitabis: quemadmodum calor ob imbecillitatem non multum poteſt reponere, ità parum etiā poteſt exoluere, atque diſsipare; quare æqualis ſemper erit reſtauratio effluxui. Tolletur hæc dobitatio, ſi animaduerteris, prius calorem exoluere, & conſumere, ac deinde poſtulare alimentum, illudque coquere. Dum exoluit, & abſumit, aſsiduè fit imbecillior; quare cum ſe poſtea ad coquendum parat, iam ſactus infirmior minus reſtaurat, quàm antea abſumpſerit.

Caput vij.

Tex.Com.43.

Q Voniam autem de materia primùm, & ijs, quæ vocantur elementa, dicendum eſt, ſint, nec ne ſint, & vtrum vnumquodq; æternum, an generentur quodammodo: & ſi generentur, vtrum ex ſe viciſſim omnia generentur eodem modo, an vnum aliquod ipſorum primum ſit: de ijs ſanè prius verba faciamus oportet: de quibus adhuc nihil certi dictum eſt. Omnes enim, & qui elementa gignunt, & qui ea, quæ ex elementis: diremptione, & congregatione vtuntur, & illo, quod facere, & pati dicimus. Congregatio autem eſt miſtio. At quomodo miſceri aſſeramus, non eſt perſpicuè conſtitutum.

Diximos in præfatione conſilium Ariſtotelis in his libris eò ſpectare, vt tractationem quatuor elementorum in libris de cœlo inchoatam, ad exitum paulatim perducat. Quoniam aūt elementorom natura benè percipi noo poterat, niſi generationis, & alterationis naturam intelligeremus; ideircò de iſtis antea mutationibus neceſſariò nobis agendum fuit. Iſti aotē neceſſario de generatione, & alteratione ſermoni ea ratione accretionis etiam explicationē adiunximus, quòd iſta quoque ſat cōmunis mutatio eſt, & quaſi dimidiata quædam generatio, itēq; alterationi ſatis coniuncta. Ergo, ne ſeorſum de iſta mutatione diſputandū poſtea eſſet, atque ita locus hic, qui ad mutationes pertinet, diſperſè quodammodo tractatus videretur, iure optimo de accretione quoque verba fecimus. Nunc, & ad ea, quæ hactenus ſunt expoſita, probè intelligenda, & ad vniuerſam elementorum natoram cognoſcendam plurimum proderit, quid ſit tactus, qoid facere, & pati, quid miſtio, nouiſſe. Ideo iſthæc tractanda ſuſcipit Ariſtoteles. Ità autem argumentatur. Hæc à nobis de quatoor elemenis conſideranda ſunt *ſint nec ne ſint*, id eſt ſint ne verè omnium rerum elementa, & initia, an ſe-

cus

eus (nam esse simpliciter, non est obscurum, quod notat Philoponus) *& utrum unumquodque aeternum*, utrũ immortale, atq; omnino impatibile, *an generetur quodammodo*, an saltẽ per partes oriatur, & intereat, quãmuis uniuersitates ipse maneant incolumes, *& si generentur, utrum ex se uicißim omnia generentur eodem modo, an unum aliquod ipsorum primum sit*, utrum sit par omnium istorum corporum conditio, sintq; inter se mutuo elementa, & effecta, an unum ipsorum verè elementum sit, reliqua autem effecta, sicut apud Thaletem aqua erat unicum elementum; apud Heraclitum ignis; Hæc inquam nos tractanda suscepimus. At qui hæc pro dignitate tractare vult, is de tactu, de facere, & pati, de mistione de quibus nihil à veteribus est constitutum, agat oportet. Ergo de his antea nobis agendum est. De minore, quam nos priore loco posuimus, nihil est, quod dubitemus. Inchoata enim in libris de cœlo elementorum tractatio suum terminum habere non poterit, nisi ista omnia quæ nunc attulimus, exponantur; pertinent enim ad vim, & naturam ipsorum intimam. Maior autem facilè explicatur: *omnes enim, & qui clementa gignunt*, ut Anaxagoras, qui illa ex homogeneis infinitis componi voluit, ac Democritus, qui ex Atomis, *& qui ea, quæ ex clementis*, ut Empedocles, qui elementa posuit immutabilia, cætera autem ex ipsis procreari, itemque Thales, & Anaximander, & reliqui, qui unum aliquod elementum omnium rerum initium putauerunt, *utuntur diremptione, & congregatione*, quod de iis, qui plura initia statuunt, est intelligendum, nisi fallor; eos enim iam diximus congregationem putauisse generationem; secretionem, atque diremptum putauisse interitum, *& eo, quod facere, & pati dicimus*, omninoque omnes, siue unicum initium, siue plura statuunt, effectione, & perpeßione utuntur. Nam coire quidem, aut dirimi pati quiddam est; quòd si adest patiens; efficiens etiam, id est colligens, & dirimens adsit oportet. Rarefieri autem, & condensari (quo quidem procreationis modo vtebantur unicum principium statuẽtes) sine dubio pati quoddam est. Ergo omnes aut congregationem, & diremptionem intro duxerunt, quod pati quoddam est, & exigit quiddam efficiens; aut omnino aliquo alio patiendi, & efficiendi modo sunt usi, ut rarefactione, & condensatione. Ergo hoc satis argumenti est, nobis quoque faciendum esse, ut de perpeßione, & effectione differamus; eoque accuratius, quò illi negligentius se gesserunt, ut intelligetis. *Congregatio autem est mistio*, si congregatione res oriuntur, congregatio autem mistio quædam videtur esse; profectò nunquàm iste procreationis modus benè intelligetur; nisi, quid mistio sit, quæque miscendi ratio, antea intellexerimus. Veteres autem nihil de ista re constituerunt. Plurimum aũt interest, statuamus ne diuisis elementis in minimas portiones, quæ sensum lateant, atque sibi mutuò appositis, aut totis elementis per tota penetrantibus mistio fiat. Verùm hæc suo loco. Interim illud attendatur, cum inquit Aristoteles, *de materia, & ijs, quæ vocantur elementa*, idem significare; quatuor enim illa prima corpora non sunt prima materies, non sunt verè elementa (materia enim prima, & forma sunt verè elementa, sed sunt secunda materia, & secunda elementa. Vocantur autem absolutè elementa, quoniam pauci priora illa inspexerunt; ita & initio meteor. *de ijs quæ vocantur elementa*, alibi autem corporea elementa vocare solet.

At verò neque alterari pote est, neque coire, & dirimi, nullo patiente, neq; efficiente. Nam & qui plura elementa inducunt, gignunt eo, quod facere, & pati dicimus à se vicißim; & qui ex uno, effectionem inducant oportet. Atq; id rectè sanè à Diogene dicitur, nisi ex uno omnia, tolli mutuam effectionem, & perpeßionem, veluti calidum refrigerari, & hoc vicißim calfieri. Non enim calor, & frigus in se mutuò mutantur; sed manifestum, quòd subiectum. Quamobrem quibus conuenit facere, & pati, horum unam esse subiectam naturam necesse est. Atqui omnia dicere esse huiusmodi, non verum, sed quibuscunque id, quod à se vicißim dicitur, accommodatur.

Clarius ostendit, quomodo, & veteribus necessariò hic locus de effectione, & perpeßione perpurgandus erat, & à nobis, quod illi omiserunt, nunc supplendum. Nam *neque alterari pote est*, id est rarefieri, & condensari, ut Thales, & cæteri huiusmodi volebant, *neque coire, & dirimi*, ut Anaxagoras, Democritus, Empedocles; nisi aliquid patiatur, quod scilicet rarefit, & condensatur, aut coit, & dirimitur; itemque nisi aliquid efficiat, rarefa-

ciens

ciens scilicet, & condensans, aut colligens, & dirimens. Duriusculè autem videtur dictum eos, qui plura elementa inducunt, gignere ea, quæ gignenda sunt, intercedente mutua ipsorum elementorum perpessione, & effectione. Apud Democritum enim non videbantur atomi à se mutuo pati, quòd essent corpora impatibilia; eademque ratione neque homogenea apud Anaxagoram; neque quatuor elementa apud Empedoclem. Puto autem, vt etiam putat Philoponus, perpessionis, & effectionis nomen paulò fusius sumptum esse; ita vt sese vicissim quasi amplexari, effectio quædam mutua sit; vicissim à se diuelli, ac dirimi, sit mutua quædam perpessio. Quamobrem addit postea veram, & propriam notionem perpessionis, & effectionis ab iis tantùm seruari posse, qui vnicum principium statuunt; laudatq; Diogenem asserentem, *nisi ex vno omnia*, nisi ex vnico principio omnia procreentur, tolli mutuam effectionem, & perpessionem; vt scilicet calidum refrigerari, ac refrigeratum vicissim calfieri minimè queat. Non enim calor, & frigus in se mutuo mutantur, vt pri phy. ab Aristotele, & à Platone in Phœdone est ostensum; sed subiectum est, quod ex calore in frigus, ex frigore in calorem mutatur. Ergo idem subiectum, atque elementum sit oportet, in quo istæ mutationes fiant; atque ea, quibus conuenit facere, & pati, vnam tantum subiectam naturam habere debent. Cæterùm quoniam nonnulla sunt efficientia, quæ eandem, atque patientia, materiam non habent, vt cœlum, quod materiā longè præstantiorem habet, quam elementa, quæ ab illo agitantur, & patiuntur; ne quis erret, addit, *omnia dicere huiusmodi non verum*, si dixeris, quæcunque efficiunt, eandem habere materiam atque patientia, non verè dixeris. Nam illis tantùm eandem habere materiam conuenit, quibuscunque conuenit *id quod à se vicissim dicitur*, id est quæ non solum efficiunt, nunquam patientia, aut solum patiuntur nunquam efficientia, quomodo cœlum, & elementa se habebant (illud enim semper hæc efficit, & agitat, nunquam agitatur; hæc ab illo patiuntur, nunquam illud agitantia) sed inuicem efficiunt, & patiuntur, vt elementa inter se. Vidimus necessariò de effectione, & perpessione nobis agendum esse, tùm quia res per se ipsa digna est, quæ tractetur; tùm quia veteres etiā eam attigerunt, licet primoribus labris: vidimus item agendum de mistione esse; quoniam congregatio, quæ à plurimis veterum inducebatur, mistio quædam est; atque vt illorum opinio vera non sit, nobis tamen præclara quædam, & ad elementorum naturam cognoscendam necessaria afferendi occasionem præbebit. Restat de tribus in mainre illa propositione initio huius capitis propositis, actione, & perpessione, mistione, tactu, vt necessitatem de tactu disputandi ostendamus; quod nunc faciemus.

Quòd si de eo, quod facere, & pati dicimus, ac de mistione considerandum est, necessariò, & de tactu. Non enim ea propriè aut facere, aut pati possunt, quæ se mutuò tetigisse nequeunt; neque, nisi se aliquo modo tetigerint, licet mista esse primùm. Quare de his tribus constituendum; quid tactus, & quid mistio, & quid effectio. Hoc autem principium sumamus. Omnia enim, quibuscunque mistio conuenit, ea sese mutuò tangere possint oportet; & si quid efficiat, aliud autem patiatur propriè, eodem etiam modo, atq; illa. Quare primum de tactu dicendum est.

Vulgata propositio est ex ii. Metaph. iiii vnumquodque quem locum habet in rerum natura, eundem habere in cognitione. Ergo quoniam de mistione, ac de effectione & perpessione nobis disserendum est; mistionis autem, atque effectionis ea natura est, vt sine tactu locum habere nequeat, ergo neque etiam cognosci sine tactus cognitione poterit; Itaque nō tantùm de tactu necessariò disputandum; sed antea etiam, quàm de reliquis disputandum. Inquit autem, quæ se non tetigerint, ea non posse *propriè aut facere, aut pati*, quoniam aliqua sunt, quæ impropriè faciunt, & patiuntur; in quibus fortè non sit necessarius contactus, vt patimur aliquando à pulchritudine, quamuis longe absimus; verum de hac re in quæstionibus. Dictio autem illa *primum* quamuis secundo membro apposita videatur, referenda tamen est ad prius membrum; vt ita dicamus, *neque nisi se aliquo modo primum tetigerint, ea licet esse mista*. Huiusmodi autem verborum transgressiones Aristoteli familiares esse sæpè Græci interpretes notarunt. Proponit autem de tactu, mistione, effectione (ex quò perfectiore contrario alterum etiam, id est perpessio intelligitur) & primo loco ponit id, à quo principium etiam sumendum loquit; deinde autem mistionem, quam postremò tracta-

bit;

bit; tum effectionem, quam secundo loco, minutam in proponendo diligentiam, atque ordinis obseruantiam negligens; quando in tractando summum ordinem est adhibiturus. Ita initio libri de enunciatione nullo ordine videtur proponere, cum tamen in rebus propositis tractandis ab ordine discedat nunquam. Tunc solum in proponendo accuratus est, cum id agit, vt ordinem ipsum tractandi constituat; quemadmodum initio meteororum. Absurdum enim profecto esset, in ordine, qui seruandus sit constituendo, ordinem non seruare. Inquit igitur. *Hoc autem principium sumamus*, id est quamuis reliqua duo, quæ proposui mus post primum, alio ordine tractaturi simus, quàm proposuerimus, sumemus tamen primo loco tractandum, quod primo proposnimus.i.tactum. Nam & quibuscunque conuenit mistio, sese tangant oportet, & si quid propriè *efficiat, aliud autem patiatur, eodem etiam modo, atque illa*, sese mutuo tangant oportet, quemadmodum, quæ miscentur.

Ferè igitur, quemadmodum, & aliorum nominum vnumquodq; multipliciter vsurpatur, & hæc quidem homonymè, illa verò altera ab alteris, & prioribus, ita se habet, & de tactu. Attamen cum propriè vsurpatur, attribuitur ijs, quæ situm habent: situs autem, quibus & locus. Nam, & Mathematicis similiter tactum, atque locum attribuere debemus: siue ipsorum vnnm quodq; separatum sit, siue alio modo. Ergo si antea verè constituimus, tangere nihil aliud esse quàm extrema habere simul: ea profectò sese mutuò tangent, quæcunque distincta cum sint magnitudines, & situm habentes, simul habent extrema. Tex.Com.44.

Sæpè docuit Aristoteles, in quæstionibus explicandis à nominum distinctione initium sumendum esse; sæpè etiam re præstitit, vt primo physi. aduersus Parmenidem, & Melissum disputans, tertio phy. de infinito, & alibi millies. Idem nunc tenet institutum. Nam, quoniam vt in Elenchis dicitur, plures sunt res, quàm nomina, idcirco omnia ferè nomina multiplicem sensum, atque notionem habuerunt; *& hæc quidem homonymè*; quibus scilicet significatæ res nullam substantiæ communionem, quantum ad illa nomina pertinet, habent, *illa verò altera ab alteris, & prioribus*, quædam nomina ita comparata sunt, vt plures res significent, quarum tamen rerum vni prius, & magis propriè attribuantur, aliis autem minus propriè, & quà pendent à prioribus. Hæcque in Metaphy. dicuntur ab vno, & ad vnum. Hanc igitur communem nominum conditionem, vt multiplicem notionem habeant, neque tactus nomen valuit effugere. Non est autem omnino homonymum; sed vnam propriam notionem habet, reliquas improprias, & à propria illa quodammodo deriuatas. Aperiamus igitur propriam notionem, & quasi rectam; nam ea percepta improprias, & quasi obliquas facilè intelligemus. Ergo quibus tactus nomen propriè conuenire debet, hæc conditio adsit oportet, vt situm habeant. Satis autem perspicuum est, ea tantum situm habere posse, quæ in loco sint. Situs enim nihil aliud est, quàm collocatio. Ac sanè Mathematicis etiam eatenus tactus conuenit, quatenus situs, & locus. Nam quadratum in circulo locari dicitur; & circulus in quadrato; quare dicere etiam poterimus quadratum, & circnlum sese tangere. Cæterum res à Mathematicis consideratæ, vel separatæ, & solutæ ab omni materia concipi queunt, vel materiei inhærentes. Si separatæ concipiantur, cogitatione tantùm, non re ipsa constant; quare cogitatione etiam locum, & situm, & tactum habent; sin materiæ inhærentes, iam naturales etiam sunt, & verè constant; quare propriè etiam locabuntur, & verè sese tangent. Ergo rerum Mathematicarum quæuis, siue separata spectetur, *siue alio modo*, id est concreta materiei, tactum semper habebit, sed separata habebit cogitatione; concreta autem re ipsa. Verùm ne vagemur longius, quod quinto phy. posuimus, hoc etiam loco ratum esse volumus, tangere nihil aliud esse, quàm extrema habere simul, ita vt illa sese mutuò tangant, *quæcunque distincta magnitudinis cum sint, & situm habentes, simul habent extrema*. Requirit igitur primum, vt magnitudines illæ, quæ se tangere debent, sint inter se distinctæ; alioqui

non se tangerent, sed vnam continuam magnitudinem facerent; quoniam autem distinctæ sunt, distinctum etiam situm habebunt: ac præterea illud requiritur, vt istarum magnitudinum extrema sint simul, sibique mutuo adhæreant.

Quoniam autem situs ijs omnibus conuenit, quibuscunque etiam locus; prima autem loci differentia est sursum, & deorsum, & talia quædem ex ijs, quæ opponuntur; omnia, quæcunque sese mutuo tangunt, grauitatem vel leuitatem habeant oportet, vel vtrunque, vel alterutrum. Huiusmodi autem quæ sunt, sunt patibilia, & efficientia. Quamobrem perspicuum est, hæc esse idonea, quæ se tangant mutuò; quorum, cum distinctæ magnitudines fuerint, moueriq́ue, & mouere se vicissim potuerint, simul extrema erunt.

Notio istius vocis *tactus*, quam, & quinto phy. & hoc loco exposuimus, satis quidem propria est; verùm si magis adhuc propriam requiris; eam afferemus, quæ rebus tantùm caducis, non autem corporibus cœlestibus conueniat; quippè cum de rebus tantum caducis sit nobis in præsenti sermo institutus, & illa vulgò se tangere dicamus: globos autem cœlestes vulgò incerti vtrum continuum quoddam corpus, an in plura dispertitum ponamus, nó sæpisimè solemus tactus nomen in illis vsurpare. Ergo quoniam ea situm habent, quæ locũ; prima autem loci differentia est sursum & deorsum, supera autem regio leuitate acquiritur, insera grauitate (nam quemadmodum diximus, de cœlo nunc non loquimur) certè quæ se mutuo tangere debent, vel grauitatem, vel leuitatem habeant oportet, *vel vtrunque*, id est quadam ex parte leuitatem, quadam etiam ex parte grauitatem, vt aër, & aqua, quæ partim grauia, partim leuia sunt, *vel alterutrum*, id est vel leuitatem tantum, vt ignis, qui nul lo pacto grauis, vel grauitatem tantum, vt terra, quæ nullo pacto leuis.

Quare dictum etiam est primam loci differentiam esse sursum, & deorsum, *& talia quadam ex ijs, quæ opponuntur*, id est sursum non simpliciter, qui est locus aëris, & deorsum non simpliciter, qui est locus aquæ. Itaque benè longam argumentationem multis prosyllogismis constantem, quæque sorites appellari potest, hunc in modum construere licet. Quæ se mutuò tangunt, situm habent; quæ habent situm, in loco sunt; quæ sunt in loco, aut sursum sunt, aut deorsum; quæ sursum aut deorsum sunt (de caducis semper loquendo) aut leuia, aut grauia sunt, vel simpliciter, vel quodammodo; ergo quæ se mutuò tangunt, aut leuia sunt, aut grauia vel simpliciter, vel quodammodo. Hæc autem omnia sunt patibilia, & efficientia; habent enim eandem materiam, de cuius possessione pugnant, & contrarias qualitates, quibus pugnant; nam leuitati est adiunctus calor, grauitati frigus; ergo quæ se tangunt mutuò, erunt huius naturæ, vt alterum alterius mouendi, itemque ab illo patiendi facultatem habeat. Ita fiet, vt maximè propriè illa se tangant, quæ cum sint distinctæ magnitudines, aptæque ad mutuo efficiendum, & patiendum, habent simul extrema. Ita in libro de interpretatione post allatam nominis, & verbi definitionem, nonnullas conditiones addit, quibus adhuc magis propria illarum vocum notio constituatur.

Tex. Com. 45. *Quoniam autem mouens non eodem pacto mouet id quod mouetur; sed hoc quidem necesse est, cum mouetur & ipsum, mouere; illud autem manens immobile; manifestum est, quòd & in efficiente eodem pacto dicemus. Nam, & quod mouet, efficere quiddam dicunt; & quod efficit, mouere; verumtamen differunt quidem, idq́ue constituere oportet; non enim pote est omne, quodcunque mouet, efficere; siquidem id quod efficit, illi quod patitur, opposuerimus; hoc autem, quibus motus affectio; affectio autem solum, quatenus alterantur, vt album, & calidum. Sed mouere latius patet, quàm efficere. Constat igitur illud, mouentium partim tangere, quæ mouentur, partim autem minimè.*

Occurrit

Occurrit errori cuidam, qui facilè potuisset obrepere. Quidam.n. ita putabant, idem esse mouere, & efficere; ac quicquid mouet, efficere, quicquid efficit, mouere. Id si ita sese haberet; quemadmodum efficientia & patientia semper maximè propriè se tangunt; semper etiam maximè proprie sese tangerent mouentia & mota; quod minimè verum est. Nam mouens immobile, cuiusmodi finis est, non tangit id, quod mouetur; sed illud tantum mouẽs quod ita mouet, vt simul etiam moueatur, dicitur tangere quod mouetur. Ergo diligenter constituendum est, quomodo mouere, & efficere differant. Inquit igitur Aristoteles, quòd mouentium non eadem in mouendo conditio est; sed hoc quidem, cum mouetur, mouet; vt res corporatæ, quæ infra Lunam sunt; illud autem mouet manens immobile; cuiusmodi sunt beatæ mentes, & id quod appetitur. Perspicuum igitur est, si mouere, & efficere idem essent, vt nonnulli existimarunt, idem de efficientibus etiam dici debere; vt efficientium aliud efficeret nullo modo, nullaque ratione ab eo, quod efficit, patiens; aliud autem efficeret, cum ipsum pateretur. Verùm falsa istorum opinio est; & latius patet mouere quàm efficere; quod constat ex opposito; pati.n. conuenit, *quibus motus affectio*, id est quibus ipse motus causa est accipiendæ alicuius affectionis, affectio autem accipitur vt album, vt calidum; quatenus illa specie motus, quæ alteratio dicitur, res agitatur; quamobrem pati vna quædam species motus est, idemque significat, quod alterari; moueri autem ad ea etiam pertinet, quæ feruntur, quæ crescunt, ac decrescunt. Ergo, cum opposita eiusdem ferè ambitus esse soleant (ex quo existit regula illa Topica, quot modis vnum oppositorum dicitur, totidem & alterum) quoniam moueri communius quiddam est, quàm pati; mouere etiam latius patebit, quàm efficere. Quamobrem de mouentibus sanè verum erit dictu *mouentium partim tangere, quæ mouentur*, illa scilicet, quæ in materia communicant, quorumque motio effectio quædam est *partim autem minimè* illa nimirum mouentia, quæ non per effectionem, & alterationem mouent, sed excelsiore quodam modo (de quo in quæstionibus) neque vicissim mouentur.

Cæterum notio illius vocis tangere vniuersè quidem statuatur in ijs, quæ sitũ habent; quorum hoc quidem mouens est, hoc autem motum; mutuo autem, atq; vicissim mouens, & motum, quibus conuenit efficere, & pati. Plerunque igitur tangens à tactis tangitur; omnia enim ferè, quæ in conspectu sunt, mota mouent; in quibus necesse est, & constat tangens à tacto tangi. Est autem, vt interdum dicimus, cum mouens tangit duntaxat, quod mouetur; minimè autem tangens à tacto tangitur. Sed quoniam quæ eiusdem generis sunt, mota mouent; necessariò videntur à tacto tangi. Quamobrem si quid moueat manens ipsum immobile, ipsum quidem tanget id, quod mouetur, ab illo autem minimè. Dicimus enim interdum tangi nos ab illo, qui dolorem infert, minimè autem illum à nobis. De tactu igitur, qui in naturalibus est, hoc modo sit constitutũ.

Concludit, quid sit vniuersè tangere; vniuersè inquam, quatenus omnibus efficientibus & vicissim patientibus conuenit. (Nam posset multo communior notio afferri; de qua in v. phy. & supra diximus; verùm ea nostro instituto non multùm accomodata est) ac tribus conditionibus tactum contineri asserit. Requiritur enim primo, vt quæ se tangunt, situm, & collocationem habeant; ac supple tu, simul iungantur extrema; deinde vt hoc sit mouens, illud motum; postremò vt sint vicissim mouens & motum; quæ propriè diximus vocari efficiens, & patiens. Prima tantùm conditione seruata res etiam mathematicæ se tangerent, & cœlestia item corpora sese vicissim tangerent; prima, & secunda tantùm seruatis cœlestia corpora tangerent inferiora; tertia autem adiuncta inferiora tantum ortui, & interitui obnoxia sese tangere queunt. Quamobrem Aristoteles maximè propriam istius vocis notionem explicando, duarum reliquarum notionum nos etiam admonet; quarum vna maximè communis est, & mathematicis etiam conuenit; altera autem quæ cœlestibus inferiora mouentibus conuenit, paulò magis propria est. Omissa igitur prima illa tanquam nimis communi notione, quid inter secundam, quæ paulò magis propria est, & tertiam quam maximè propriam statuimus (pro vt etiam quarto phy. xlviii.) intersit, accuratè docet.

Nam quæ mouent non vicissim mota, tangunt, sed non tanguntur; quæcunque autem mouent vicissim mota, tangunt, & tanguntur; ita vt voce tangendi, si physice vsurpetur, significetur vis quædam alterandi; quare quod alterat tantum, & non alteratur, tangit & non tangitur; quod alterat, & simul alteratur, simul etiam tangit, & tangitur. Talia sunt ea ferè omnia, quæ *in conspectu sunt*, quæ nobis ob os, atque oculos versantur, & ortui, & interitui obnoxia sunt; cumque hæc assiduè versemus, ac tractemus, nihil mirum, si plerunque tangens à tactis tangi asseramus; sunt autem, *quæ eiusdem sunt generis*, id est quæ in eadem materia communicant; Genus enim persæpe apud Aristotelem, vt notat Philoponus, pro materia sumitur; omninoque in generibus & categoriis res tantum caducas contineri alibi notauimus. Talia igitur quoniam mouent mota, *necessario videntur tangi*, necessario iudicamus non modo tangere, sed etiam tangi. Hoc in loco verba illa φαίνεται, & δοκεῖ, minimè fallacem opinionem designant, sed hoc significant, vt verè se res habent, ita etiam à nobis se habere iudicari. Sic sæpè istas voces esse intelligendas, docuit Ammonius in Porphirium in cap. de genere. Ergo quoniam inferiora ista nobis notiora sunt, tanguntque se mutuò, & tanguntur; idcirco in istis maximè propriè tangendi vocem vsurpamus. Attamen, si quid sit, quod manens ipsum immobile cætera moueat, vt certè est, hoc quidem tanget alia, minimè autem tangetur ab illis. Confirmat id ex eadem voce, cum tralatè accipitur, & planè impropriè; in rebus scilicet incorpoream quandam, vt ita dixerim, motionem habentibus; vt cum dicimus tangi nos ab illo, qui dolorem infert, minimè autem illum à nobis. Ita igitur in rebus verum motum habentibus, quod efficit tantum, dicetur tangere, & non tangi. Atque hoc modo sit constitutum de tactu, *qui in naturalibus*, qui rebus hisce caducis conuenit. Nam res caducæ propriè naturales vocātur; quoniam ab iis, tanquàm antea cognitis ad res cœlestes indagandas profecti sumus; & nomen naturæ, quod primo rebus caducis impo sueramus, ad cœlestes etiam transtulimus; quamuis etiā *in naturalibus* possumus interpretari vniuersè in omnibus rebus naturalibus: Ostendimus enim quomodo etiam in cœlo sit tactus.

QVÆSTIONES IN SEXTVM CAPVT.

1 Cur de tactu necessariò agatur ex tex. xliii.
2 Vtrum omnia, quæ efficiunt, tangendo efficiant ex eodem, & de calore Solis ex primo Meteor. digressio.
3 Vtrum incorporea tangant; vtrumque Deus possit vocari effector ex eodem.
4 Vtrum punctum habeat situm, & locum ex tex. xliiii.
5 Vtrum Mathematica sint in loco ex com. Auerr. xliiii.
6 De multiplici notione istius vocis tactus.
7 Vtrum omnia se vicissim tangentia habeant grauitatem, & leuitatem ex com. Philoponi cvi.
8 Vtrum mouere se latius fundat, quàm efficere ex tex. xlv.
9 Vtrum cœlum contineatur in eodem genere, atque cætera corpora ex com. Philoponi cviii.

1 *Cur de tactu necessariò agatur ex tex. xliii.*

Dixit Aristoteles, quoniam effectio, & perpessio, itemque mistio constare nequit sine tactu, idcirco de tactu necessariò agendum. Dubitabit aliquis: Quid? effectio, & perpessio, itemque mistio sine motu cœli, sine Deo locum suum tutari non potest; ergo eadem ratione de cœlo nunc, & Deo agendum erit? Facile tollitur dubitatio. Quæ de cœlo, ac Deo dicenda sunt, suis locis afferuntur; ac tamen multo propius hæret tactus effectioni, & perpessioni, itemque mistioni, quàm Deus, aut cœlum. Nam hæc longius absunt; tactus verò est planè infixus in essentia, & notione istarū rerū. Quæ aūt de iis, quæ dicuntur à Philopono, minus probemus; facilè nostram explanationem attente legentibus constabit.

Vtrum

1 *Vtrum omnia, quæ efficiunt, tangendo efficiant ex eodem; & de calore Solis ex primo Meteororum digreßio.*

QVòd inquit Aristoteles, ea propriè facere, aut pati non posse, quæ se mutuò non tangant; multas dubitationes leues habet, vt de torpedine, quæ manum afficit non tangēs de magnete mouente ferrum, & non tangente; de medicamento humores purgaote sine tactu. Facilè eoim isthæc dissoluuntur ex Aristotele vii. phy. xi. Vera enim propositio est in efficiente, & patiente proximo, non autem in iis, quæ efficiunt, & patiuntur aliquo interiecto intermedio. Ideo torpedo prius vim impertit quandam occultam reti; rete autem alteratum qualitate illa obstupefacit piscatoris manū, quam tangit. Ità magnes alterat aërem tangens; aër alteratus, ac tangens ferrum, illud quoque alterat & mouet. Ità medicamentum cōmunicat, & impertit qualitatem, & vim suam partibus intermediis, quousq; vis ista per tactum communicetur humori, atque eum trahat; vel excitet naturam ad expellendum, quem admodum putauit Aristoteles. Leuia igitur isthæc sunt, aut certè non grauissima. Illa est ad explicandum difficillima quæstio; quomodo Sol calfaciat aërem minimè tangens, ac tot corporibus impatibilibus interiectis intermediis. Et quoniam res digna est, quæ diligenter tractetur, libuit huc conducere, quæ aliàs in quartum caput primi Meteororum notauimus, quod bonam in partem à lectoribus acceptum iri confidimus.

Digresio in quartum Caput primi Meteor. de calore facto à Sole.

PRoponit inuestigandum Aristoteles de communi interpretū sententia in quarto cap. primi libri Meteororum, quomodo Sol, cum non sit igneus, & calidus, calorem tameo pariat; quem perspicue sentimus: Præfatur tamen, exquisitius de eo calore in iis, quæ de sensu, differendum esse; quoniam calor est sensus affectio.i.affectio sub sensum cadēs. Explicat autem quæstionem, statuens id, vel à solo motu Solis posse proficisci. Ità autem argumentatur. Motus incitatus, propinquus, solidi corporis est aptus calefacere, & ignire, quàmuis non sit ipse calidus. Motus Solis est incitatus, propinquus, solidi corporis: ergo motus Solis est aptus calfacere & ignire, quàmois non sit ipse calidus. Maior propositio exemplo sagittarum patefit; quarum plumbum, si incitatios ferantur, liquescit. Minor tanquàm perspicua ponitur. Hinc autem causa redditur, cur motus syderum inerrantium, & motus Lunæ non ita calfaciat. Nam ille non est propinquus, hic non est incitatos. Addit obiter Aristoteles aliam caosam, cur inferus locus sit calidus; quoniam à conuersione cœli truditur deorsum aliqua ignis portio, qui sub cœlo positus erat. Verùm hîc sese offert sylua maximarum quæstionum. Dubitatur primum cur de calore exquisitius agere ad librum de sensu pertineat; quando calor ante omnem sensum est; & amoto sensu adhuc tamen remaneret incolumis; vt scribitur in categoriis cap. de iis, quæ ad aliquid. Præterea decipit nos Aristoteles. Nam in illis verbis *Restat autem, vt dubitantes dicamus*, agendum proposuerat de calore in locis circa terram facto. Nunc autem de calore supremæ regionis aëris videtur disserere; ea enim est, quæ motu cœli ignescit. Præterea idem frustra repetit, nam hoc antea in illis verbis *lato autem primo elemento in orbem* tractarat; cum tamen nouum quoddam initium sumere velle videatur, dicens. *De facta autem caliditate, quam exhibet Sol.* Præterea motus Solis non peruenit ad hæc inferiora; ergo illa non segregat, non atterit, nō calfacit. Respondet Alexander transire affectionem quandam à Sole prodeuntem per Lunam; quæ Lunam qoidem non afficiat ob eius impatibilem naturam; sed aërem tamen afficiat; vt torpedo non obstupefaciens funem, manum tamen obstupefacit: Aut inquit posse etiam concedi Lunam affici; quando illa externas affectiones recipere potest, vt illuminationem; iis tamen exceptis, quæ ad interitum ducunt. Sed ioanis responsio; vt hîc Philoponus, & Olimpiodorus; secundo cœli 42. Simplicius, Auerroes, & referente Auerroe Themistius animaduerterunt. Nam, vt alia nunc mittam, ista à Sole per Lonam transiens affectio, aut est motus secundum locum ipsius Solis, aut quippiam aliud. Si motus secundum locum, nihil absurdius. Migrabit enim accidens, cuiusmodi motus secundum locum est, de subiecto in subiectum. Sin quippiam aliud est; ergo non erit causa caloris motus ipse segregans, & atterens; sed ista alia affectio. Quòd si dicas idcirco Solem motu calfacere, quoniā Lunæ motum communicat, qui postea proximè atterit, & calfacit, quæro an suum communicet, an diurnum: non suum, vt Auerroes secundo cœli 42. inquit, & omnes Astrologi fatentur; proprius enim Solis motus Lunæ non communicatur: non etiam diurnum; quoniā ille à primo, & extimo globo, & Soli, & Lunæ, & reliquis planetis communicatur. At dices

Dubitationes.

Responsio Alexādri confutata.

ces; Sol tamen est quasi instrumentum, quo intercedente motus diurnus à primo globo Lunæ communicatur. Dico primùm, fortasse Solem non esse instrumentum; sed intelligentia Lunæ Deo formata, illius etiam motum imitatur; deinde, vt esset instrumentum, non ipsi erat ista actio tribuenda vel vni, vel maxime. Non enim actio ad instrumentum, sed ad id, quod primu efficit, referri debet; quod Aristotelis est secundo de anima xl. & secundo de generatione liiii. vtrobique Empedoclem reprehendentis. Præterea magis essent instrumenta communicantia istum motum reliqui superiores planetæ, quàm ipse Sol. Nec Solis velocitas, aut soliditas quicquàm prodesset ad istud munus obeundum, communicandi scilicet motus diurni. Nulla enim maior velocitas requiritur, quàm sit velocitas Lunæ; cum Luna tandem sit, quæ atterat, non globi superiores. Soliditatem autem nihil prodesse ad istum motum communicandum, satis constat. Omnia enim corpora cœlestia, vt Philoponus notauit, solida sunt, & idcirco apta ad resistendum tactui. Quòd si solidum interpræteris densum, impropriè loqueris; & adhuc Sol itàbene communicaret motum diurnum, si paulò rarior esset: atque omnino quid illa corporis procul positi soliditas, & densitas ad atterendù valeat, difficile est assequi cogitatione. Nam relicta sola Luna, dumodo tam velociter moueretur, vt mouetur, nihilominus aërem attereret, æque ac nunc atterat. Præterea tam nocte, quàm die, tam locis opacis, quàm lucidis calorem sentiremus. Respondet Alexander, tenebras disiungere partes aëris, quas intercipiunt, à reliquis partibus; idcircò impedire, quo minus ab his ad illas, quas intercipiunt, perueniat motus, & calor; sed vana responsio. Nam tenebræ cum sint pura priuatio, non possunt disiungere partes aëris; & sine tenebris huc tamen motus non perueniret; nam altissimi montes sunt, qui istud præstant, vt aër hic inferior non moueatur à cœli conuersione. Quare ad totam quæstionem alio pacto respondet Auerroes secundo cœli 42. statuens cœlum agere non modo secundum superficiem, sed etiam secundum crassitiem, & densitatem: profundius enim, & densius esse etiam validius in agendo. Quamobrem cum stella sit densior pars orbis, & Sol maxima stellarum, nil mirum, si ab ea maximè dicatur prouenire actio. Verùm eædem occurrunt difficultates. Nam si est aliqua alia actio, non erit motus secundum locum; de quo volunt loqui Aristotelem. Sin autem actionis nomine intelligat motum secundum locum, falsum est, quod dicit. Nam densissimus, & profundissimus est primus globus, & ab ipso sine vllo comite prouenit motus ille diurnus aërem atterens, non autem a Sole. Præterea relicta sola Luna, vt dicebamus, modo tam cito moueretur, vt mouetur, eadem esset vis ipsius motus. Nihil enim ad hanc rem videtur prodesse densitas, & profunditas corporis naturà à se distincti, vt est Sol à Luna. Nullus fortasse hactenus fuit, qui validius aduersus Aristotelem fuerit argumentatus; nec tamen quisquã pro illo ad vsitatas etiam dubitationes satis respondit. Philoponus deserit penè impudenter Aristotelem. D. Thomas, & Auerroes se nesciunt explicare. Ludouicus Buccaferrea summus philosophus inquit desiderari à se præceptorem. Vicomercatus homo doctissimus, qui postremus hunc librum interpretandum suscepit, pollicetur aliàs se opinionem suam expositurum. Ego autem nunc meam exponam; non tàm studio rerum nouarum, aut arrogantià, à quibus rebus naturà longissimè absum, quàm pietate erga Aristotelem vnum omnium præceptorem adductus. Perpendamus igitur primum illa verba. *De facta autem caliditate, quam præbet Sol, magis quidem per se, & accuratè in ijs, quæ de sensu.* De qua, obsecro, caliditate à Sole exhibita loquitur Aristoteles in iis, quæ de sensu, nisi de lumine? Ergo facta caliditas nihil aliud erit, quàm lumen. Sic secundo cœli xlii. *Calor, & lumen generatur attrito ab eorum latione aëre*, quasi calor, & lumen idem sint, vt à me paulò post intelligetis. Huius igitur capitis hæc, nisi fallor, sententia est; Quamuis de luminis natura differendum accuratius, inquit Arist. nobis sit in iis, quæ de sensu; afferamus tñ, & in præsenti non nihil, quod valeat ad ostendendum, quo pacto Sol, tametsi non sit calidus; possit tamen calfacere: satis autem ad hanc rem valebit peruagata mathematicorum opinio; idcirco ea tanquàm vera vtetur. Sic agens de Iride posuit emissione radiorum uidendi munus à nobis obiri. Sic aliis etiam in rebus consueuit vti priscorum dogmatis; quousque ad proprium illa expendendi locum peruenisset. Putabant autem mathematici, quantum ex Alexandro in libro de sensu, & Philopono secundo de anima in disputatione de lumine intelligi potest, radios esse corpora tenuia, solida, & sphærica, quæ incitatissimo motu interceptum aërem attererent, sic calfacerent, & illustrarent. Dicimus igitur motum non syderis, sed radiorum habere vim atterendi, & calfaciendi. Quare Solis latio vnica satis erit ad calorem afferendum. *Solis latio*, id est Sol ipse dum fertur; quo autem instrumento? coniectione radiorum; qui citissimè mouendo aërem in causa sunt, vt calescat. Sic motus radiorum est qui calfacit. Iste autem pendet à latione Solis.i. à Sole dum fertur. Nam cum incitatissimè

Responsio Auer. confutata.

Explicatio propria.

tissimè feratur, & sit satis propinquus, radii ab illo exeuntes illius naturam imitati, incitatissimè ferentur, & vibrabuntur. Sidera autem tarda, cuiusmodi est Luna, aut remotissima, cuiusmodi astra inerrantia, non ita incitatè, nec vsque ad hanc remotam ab ipsis regionem efficaciter vibrare radios possunt. Id tibi verius videbitur, si illud attenderis, quod à Philopono in secundum de anima in digressione de modo videndi dicitur, radium ex veterum sententia sequi tanquàm corpus spiritale fontem suum; ideo quanto celerius fons mouetur, tanto etiam radius; quare magis atterit. Quocirca addit Aristoteles, posse à nobis accipi similitudinem ab iis, quæ apud nos fiunt. *Nam etiam hic, si quadam vi ferantur, vicinus aër maximè incalescit*, hoc significans, requiri vicinitatem; quoniam longius lata vim amittunt. Ità cum Sol satis propinquus sit, maximo impetu vibrare radios potest; qui à remotiore, aut tardiore latione non ita efficaces acciderent. Addit etiam, *& hoc rationi congruenter euenit*, significans illud etiam multùm facere ad calfaciendi vim, quòd radii solidissima corpora sunt; qualia etiam apud nos sunt, quæ aërem debent accendere. Ergo huoc in modum argumentabimur. Motus incitatus corporis solidi est aptus ad calfaciendum, quàmuis ipsum corpus non sit calidum; motus radiorum est motus incitatus, & solidi corporis; ergo motus radiorum est aptus ad calfaciendum, quàmuis ipsi non sint calidi, nec Sol, vnde proficiscuntur. Maior propositio exemplis eorom, quæ apud nos feruntur, id est quorum nos ipsi in causa sumus, patet. Minor partim ponitur tanquàm à Mathematicis sumpta; partim explicatur; quoniam radii cum ab incitato, & satis propinquo corpore proficiscantur, incitati & ipsi sint, & maximè potentes huc perueniant oportet. Quod autem interpretati sumus *Solis lationem*, Solem dum fertur; mirum id videri non debet. Est enim vsitatus, & frequens apud Aristotelem dicendi modus. Sic in disputatione de Cometis inquit, causam, cur intra Tropicos non gignantur, esse lationem Solis, & siderum, id est stellas ipsas, quæ ibi feruntur; & in sermone de lacte clarius, vbi dicebat, omnem superam lationem i. omnia sidera lata vim calfaciendi, & attrahendi habere: Clarissimè autem vbi incipit de mediæ regionis impresiionibus agere, inquit principium mouens esse orbem, in quo orbe est Solis latio segregans, & congregans. Sic verba, quæ in proximè sequenti capite sunt *Primum enim sub latione in orbem est ipsum calidum*, explanat Alexan. id est sub corporibus latis in orbem. Epilogum autem faciens inquit Arist. *ob hanc igitur sanè causam peruenit ad hunc vsque locum calor*. Ergo egit de calore huius regionis, non supremæ; cuius calor huc peruenire non potest ob interuentum mediæ regionis; nisi ob extrusionem alicuius portionis ignis, quam postea tanquàm diuersam causam infert dicens, *& propterea quòd ignis aërē ambiens sæpe motione segregatur, & vi deorsum fertur*. Hanc interpretationem facillimè accommodabimus textui xlii. secundi de cœlo, quam Auerr. & D. Tho. procul aspiciebant; propius autem Simplicius (& cum ego non habens in memoria, quæ ibi à Simplicio dicebātur, per me hanc interpretationem inueniffem, illam postea à Simplicio tactam inueniens mirificè sum lætatus) & facillimè illa verba exponemus *calor & lumen generatur*. Ponebant enim Mathematici aërem accendi, & illustrari attritu radiorum. Sic simul generator calor in aëre, quòd attritu illo accendatur, & lumen, quòd eodem attritu aër vndiq; illustretur, & colluceat. Aliorum autem interpretationes nullæ. Auerroes non habuit illud verbum, *& lumen*. Alexander quantum ex Simplicio suspicari licet, non satis certus fuit. D. Thomas inquit gigni ignem, qoi est calidus & lucidus. Sed quæstio fuerat de calore, qui in terra sentitur, non de igne. Præterea motus cœli ita rarefacit ignem, vt destruat lumen, non efficiat; ex quo Auerroes initio libri de sensu, & secundo de anima 92. dicebat, ignem in sua Sphæra non lucere, sed alteri corpori admistum. Omnes igitur hoc pacto facillimè dubitationes tolluntur. Quòd si cui videatur obscurius loqui Aristoteles, memoria teneat, celebrem, & volgatam tunc fuisse mathematicorum sententiam; quare poterat eam negligentius exponere: aut fortasse sunt aliqua verba deprauata. Corrosis. n. Aristotelicis lib. vt Strabo refert, à tineis, pro aureis ænea interdum à Tyrannione sunt reposita. Quod autem ad verā Arist. de lumine sententiam attinet, eam sequenti anno exponemus in libris de sensu, & sensili. Quod enim mathematici ponebant attritu radiorum effici, id ponit Arist. vi atque efficacia luminis: Habere enim lumen vim insitam calfaciendi, & attenuandi; quippe cum instrumentum sit primæ alterantis causæ; idcircoque primam etiam qualitatem, cuiusmodi calor est, parere debeat; in quam sententiam multa hic habes ab Olimpiodoro, à Simplicio primo cœli com. xx. à Philopono in secundo de anima in disputatione de lumine: ex quo mirum videatur pium eo loco Philoponum aduersus Aristotelem repente nunc quasi Circeo poculo immutatum, impium esse factum, & impudentem.

Explicatio xlii. tex. ii. de cœlo.

Vtrum

3 Vtrum incorporea tangant, atque vtrum Deus poßit vocari effector ex eodem.

ADdidit Aristoteles illam vocem *propriè*, cum dixit, quæ propriè faciunt, & patiuntur, necessariò se tangere; quod fortè alicui dubitandi occasionem præbebit. Nam ea, quæ propriè faciunt, & patiuntur (sunt autem res corporeæ) propriè etiam sese tangunt; quæ autem impropriè faciunt, & patiuntur, vt sensus, & sensilia, vt appetitus, & expetibile, vt Deus, & Mundus, impropriè etiam se tangunt, quam tactus speciem nostri Theologi virtualem nuncupant. An non septimo physicorum xi. & xii. planè ostenditur, inter mouens proximum, & motum, & inter sensum, & id, quod sub sensum cadit, nihil posse intercedere intermedium, sed necessariò sese tangere? Non ne inquit M. Tullius, Minæ, quæ mihi proponuntur, mediocriter me tangunt? idemque apud Græcos in voce ἅπτεσθαι notat Philoponus euenire. Deus autem, quamuis nullibi sit, tanquam loco circunscriptus, tamen vi, & efficacitate sua vbique adest; vnde illud Heracliti, Ne huic etiã loco desunt Dii immortales. Ergò, si quam latè sese fundit nomen effectionis, & perpessionis, tam latè etiam se fundit nomen tactus; absolutè dicendum erat, quæ faciunt, & patiuntur, sese tangere; aut si vox illa, *proprie*, priori membro addenda erat, secundo quoque adiungi debebat. Puto istud spectasse Aristotelem, effectionis, & perpessionis nomen, quàm uis minus propriè, frequenter tamen vsurpari solere in rebus etiam non corporatis, vt in sensu, in appetitu, in Deo; in iisdem autem vsurpari etiam interdum nomen tactus, sed minus frequenter; quare particulam illam *propriè* efficientibus, & patientibus potissimùm adiungendam censuit. Quod autem diximus Deum efficere, sed minus propriè, ita intelligi velim, efficientis nomen in iis propriè rebus, vt audietis, & vt notat Philoponus, locum habere, quæ alterando agunt; quod quidem proprium rerum corporearum est, quæ qualitatibus sunt præditæ, & quidem contrariis. Hæc autem in Deum nullo pacto cadunt. Esse autem Conditorem, & Autorem, non tantum moderatorem, & conseruatorem huius vniuersitatis, equidem non dubito. Quæram enim de Alexandro, conseruet ne Deus secundã mentem; fatebitur conseruare; at quo pacto conseruat? an propulsando, quæ illi possint officere? an cibum, & potionem suppeditando? nulla profectò alia ratione conseruare potest, quàm quòd essentia illius pendet, & proficiscitur ab essentia Dei, vt lux à Sole. Quare non semel tantum hic mundus à Deo conditus est, sed assiduè procreatur. Conseruari.n. mea quidem sententia nihil aliud significat, quàm assiduè ab illo emanare: quare proximè sequenti capite solutis etiam formis perspicuè effectio tribuitur. Sed huiusmodi efficiens nullo pacto est contrarium patienti. Verùm de his aliò loco diligenter exposuimus.

Quomodo Deus sit efficie[illegible].

4 Vtrum punctum habeat situm, & locum ex tex. xliij.

INquit Aristoteles, vbi est situs, ibi etiam esse locum. Dubitabis de puncto, quod situm quidem habet (quod ex Aristotele in categoriis cap. de quanto colligi potest, asserente lineam constare ex partibus situm habentibus) ac tamen caret loco. Quòd si neges, puncta esse partes lineæ, illud saltem tenebimus, lineam & partes lineæ situm habere; quæ tamẽ loco non continentur. Quod enim locatur, æquale loco sit oportet; locus autem est superficies; qui ergo illi linea æquabitur? Item extimus globus erit in loco à superficie etiam conuexa; quandoquidem eius partes situm habent. Dicimus alia notione hic vsurpari vocabulum situs, atque in categoriiis. Nam ibi partes illæ situm habere intelliguntur, quæ simul constant, & permanent; sicuti illæ situ carent, quæ non simul constant, sed vna præsente altera, aut effluxit, aut nondum aduenit. Ita etiam puncta, & lineæ partes, & extimus globus situm habent. Hic autem nomine situs nihil aliud significamus, quàm dimensum partium, vt locari possint. Ita, quæ carent loco, carent etiam situ; quamuis puncta, & lineæ ea etiam ratione locentur, quà aut partes, aut termini sunt corporis, quod locatur.

5 Vtrum Mathematica sint in loco ex com. Auerr. xliiij

AVerroes in com. xliiii. audiens Aristotelem affirmantem Mathematicis æquè tactum ac locum esse tribuendum, inquit locum minimè segregari posse à Mathematicis corporibus; quod etiam consentaneum videtur iis, quæ scribuntur quarto phy. xlvii. & lxvi. Contra idem Aristoteles pri. de cœlo lxix. scribit, quicquid est in loco, esse corpus sub sensum cadens; ergo corpus Mathematicum si sit in loco, sub sensum cadet, & erit naturale. Respondere eo loco videtur Auerroes tacitè ab Aristotele indicari, propositionem illam

illam esse translatis terminis intelligendam.i.omne corpus sub sensum cadens esse in loco. Sed rursus tertio de cœlo IV. perspicuè negat Aristoteles, corpus mathematicum esse in loco. Soluit hunc nodum Zimara in quinta contrad. tertii de cœlo, & in octaua huius libri, statuens ex Auerroe quarto phy. com. xlvii. quod tamen Auerroes hic à Philopono discere potuit, vt corpora mathematica cogitatione, non reapse constant, ita cogitatione locum habere, minimè autem re. Quicquid autem reapse est in loco; profectò sub sensum cadit, & est naturalibus qualitatibus præditum. Illud autem præterea teneamus, Mathematica non esse in loco certo, ac constituto, naturalia autem certam, ac definitam habere sedem; nam leuium superus, grauium inferus est proprius, ac certus locus.

9 *De multiplici notione istius vocis tactus.*

Afferuntur tres notiones istius vocis, tactus; prima est, ea se tangere, quorum extrema sunt simul; quemadmodum quinto etiam phy. est constitutum; secunda, ea se tangere, quorum extrema sunt simul; quorumque præterea vnum est mouens, alterum mobile; tertia, ea se tangere, quorum extrema sunt simul; ac præterea vnum mouens est, & alterum mobile; postremo sese vicissim mouent, & mouentur, vicissimque efficiunt, & patiuntur. Prima autem cogitatione duntaxat à cæteris duabus distinguitur. Nam reuera, quorum extrema sunt simul, ea sunt corpora, & quidem qualitatibus naturalibus prædita; quare aut mouebunt, aut mouebuntur. Sed cogitatione, vt diximus, distinguitur; quoniam, vt Mathematica à qualitatibus sub sensum cadentibus cogitatione abducimus, ita etiā in illorum tactu nullum motum concipimus; quamuis eorum extrema simul esse intelligamus. Ita notio illa v. phy. exposita magis quodammodo soluta, & libera, & vt inquiunt, abstractior est. Nec mirum, si eam ibi attulerit; vbi res communiter, & generatim considerabat; ac vel motum ipsum quodammodo mathematicè contemplabatur. Licet enim naturali Philosopho interdum morem Mathematicorum in rebus à sensu abducendis imitari; quod pulchrè docemur ab Alexandro in præfatione in priora Analytica. Nec certè in physicis tractandis possumus omnino Mathematica despicere; quando hæc illorum termini, & accidentia sunt. Ergo si prima illa notio rebus naturalibus accommodetur (nam quæ scribuntur, pro subiecta materia esse intelligenda, docuit nos Ammonius in Categoriis, cap. de substantia) à secunda, & tertia non differt: secunda igitur & tertia propriæ philosophi naturalis sunt, multò autem magis propria; & familiarior tertia. Nam quemadmodum propriè res naturales sunt, quæ non tantum mouent, sed etiam mouentur; ita etiam magis propria videntur phylosophi naturalis, quæcunque non solum tangunt, sed etiam tanguntur. In voce enim, tangere, si physicè vsurpetur, inest vis quædam, & notio mouendi, atque alterandi; vt voce tangi significatur moueri, & alterari; quare, quæ alterant tantum, non alterantur; tangunt, & non tanguntur; quæ alterant, simulque alterantur; simul etiam tangunt, & tanguntur. Hæc igitur propriæ physica sunt ob rationem à nobis allatam; nam quæ à Philopono affertur, nulla est. Inquit enim tangens, & quod tangitur, esse ad aliquid, & vt M. Tullius vocat, sub eandem rationem cadentia: Quæ autem sunt huiusmodi, reciprocari debere, &, vt vulgò aiunt, ad conuertentiam dici; quare si tangens tangit, quod tangitur; certè, & quod tangitur; debet tangere tangens. Istud nihil est, neque rectè terminos reciprocat. Ita enim dicendum est, tangens est eius quod tangitur tangens; & quod tangitur à tangente tangitur. Non enim ea natura est rerum sub eandem rationem cadentium, vt, quod ex ipsis efficiens est, debeat euadere patiens; non enim dominus euadit seruus, aut pater filius. Illud autem valdè obseruandum est, secundam notionem, & magis & minus propriè vsurpari posse. In rebus corporatis magis propriè vsurpatur, vt cum dicimus, cœlum tangere inferiora; in rebus incorporeis planè impropriè, vt cum dicimus, tangi nos minis, aut conuiciis.

7 *Vtrum omnia se vicißim tangentia habeant grauitatem & leuitatem ex com. Philop. cvi.*

Dixit Aristoteles, quæ sese mutuò tangunt, aut grauitatem habere, aut leuitatem. Dubitat Philoponus de sphæris, quæ se tangunt, nec tamen, aut grauitatem, aut leuitatem habent. Dubitationem tollit inquiens, cœlum nunc ab Aristotele sumi tanquam vnum corpus; est enim quasi vnum magnum animal ex sphæris quasi partibus constans; partes autem, vt in explanatione verborum notauimus, non dicuntur sese tangere.

Vel de rebus, inquit, caducis solum Aristoteles loquitur; qood tamen illi non usquequaque placet; sed nos verissimum credimus; quòd in vnce tangendi vim quaodam alterandi intelligimus, quæ magis propriè caducis, quàm cœlestibus inter se rebus conuenit. Aut nnn absurdè etiam diceremos, sphæræ, vt sphæra est, accidere esse in loeo, & tangi: adest enim octaua sphæra, quæ non est in locn; neque tangitur. At corporum, quæ rectà feruntur, perpetuus comes est locus, & tactus; quare illa, quibus perpetuò, & per se inest locus & tactus, aut grauitatem, aut leuitatem habent.

8 Vtrum mouere se latius fundat, quàm efficere ex tex. xlv.

INquit Aristoteles, mouere latius se fundere, quàm efficere; qood non caret difficultate. Efficere enim est vna ex categoriis, & summum genus, ac motum cōtinet; si motus accipiatur tanquàm fluxus formæ es Auerroe primn phy. enm. iiii. Ac sanè The. secundo de anima cap. xix. nstendit efficere latius patere, quàm mouere, idque significat Philoponus com. xlix. Obseruandum est, eum efficere vna ex categoriis statuitur, omnem actum comprehendere, vt ex exemplis, quæ Arist. in prnprin cap. affert, constare potest, tùm perfectum, & absnlutum, qui energia, & functio muneris nuncupatur, tùm inchoa tum, & imperfectum, qui dicitur motus; quare latius multò patet, quàm mouere. At verò in præsenti accipitur efficiendi vox, vt significat mutare secundum qnalitatem. Mutatin autem secundum qualitatem non genus, sed species est motus; idcircoque ad paucinres res pertinet. Themistius autem vtitur voce ἐνεργεῖν, quæ, & ipsa interdumè latissim patet, vt ex nono Metaphysi. constat; quare nihil eum iis, quæ nunc dicuntur, pugnat.

9 Vtrum cœlum contineatur in eodem genere atque cætera corpora ex com. Philop. cviii.

VErba illa *eiusdem generis*, dupliciter interpretatur Philoponus; vno modn, quæcunque ex eadem materia constant; altero, quæcunque sunt corpnra; quasi omnium corporum vnum genus sit, quoniam omnia mnuentur. Cæterum dubitabis: cœlnm est corpus, & mouetur; ergo in eodem genere, ac reliqua corpora continebitur; quare sempiterna etiam in categoriis includentur; quod tamen non fit. Possemus interpretari cœlum contineri in endem genere scientiæ naturali subiectū, non autem in eadem categnria; quæ vera esset interpretatio. Sed afferam ego lncum, vbi videtur Aristot. cœlum etiam in categoria ponere. Est autem locus tertio phy. tertio & quartn. Ibi enim asserit motum non esse præter categorias; quare cuicunque conuenit mntus, illud erit in categoria. Sed cœln perspicuè conuenit motus; ergn cœlum erit in categnria. Diximus in quæstinnibus lngicis, cum ostenderemus categnrias ad Lugicum pertinere, in rebus perpetuis verè non esse neque genus, neque speciem; præterea etiam non satis vulgò nntas esse; quare à categnriis esse exclosas. Cœlum tamen, quoniam multò maiorem rerum caducarum similitudinem gerit, quàm beatæ mentes (est enim quodammodo potestate, & qoodammodo mnrtale, quod habetis ab Alexandro in nonum Metaphysicorom enmmentario xviii.) & mnlto etiam notius est, tanquàm, & ipsum sensibus expositum; idcirco interdum ad categoriam refertur. Sic demnnstrationes ab effectis, quòd syllogismis dialecticis similes sunt, illis interdum solent adnumerari.

Cap. Septimū. Tex. Com. 46. *SEquitur, Vt quid sit efficere, & pati; dicamus. Accepimus autem à Veteribus pugnantes quodammodo inter se sententias. Plerique enim in eo consenserunt; Vt simile à simili nihil quicquam esse aptum ad patiendum dicerent, eoquòd nihilo plus alterum altero efficiens Vel patibile sit. Eadem enim omnia similiter similibus conuenire. Dissimilia autem, ac differentia ad efficiendum, ac patiendum Vicissim sunt idonea. Nam & cum exiguus ignis à copiosiore corrumpitur, pati id ob contrarietatem aiunt. Contrarium enim esse exiguum copioso.* Tex. Com. 47. *Democritus autem solus præter cæteros nonnihil proprij attulit. Dixit enim efficiens, & patiens idem, & simile esse; neque enim concedit diuersa*

uersa, ac differentia pati à se mutuo: quin; si diuersa quæ sunt, aliquid in se vicissim efficiant, id illis non quà diuersa, sed quà aliquid idem habent, euenire. Quæ igitur dicuntur, sunt huiusmodi. Qui autem ita dicunt, videntur quodammodo pugnantia perspicuè dicere. Tex.Com.48.

Diximus post disputationem de tactu explicandum esse, quid sit efficere, & pati. Quare vt promissa appareant, ad istud præstandum iam aggredimur. Retinet autem consuetudinē suam Aristoteles, vt veterum hac de re sententias expendat: quamuis enim illæ veritatem non sint assequutæ; occasionem tamen assequendi præbuerunt, vt audietis. Quòd veritatem non assequerentur, vel indè patet, quòd pugnantes quodammodo erant; verum autem cum vero non pugnat, quinimò mirificè consentit. Pleriq́ue igitur, nimirum omnes ferè præter Democritum, cuius tamen auctoritatem semper plurimi fecit Arist. putarunt simile non adhibere effectionem suam aduersus simile, neque simile pati à simili, *eo quòd nihilo plus altero efficiens, vel patibile sit*. Quamuis enim efficientia inferiora patiantur etiam non nihil, & patientia efficiant; tamen efficientia plus efficiunt, quàm patiantur, patientia autem plus patiuntur, quàm efficiant. At si simile esset efficiens patienti, certè *eadem omnia similiter similibus conuenirent*, id est eadem vtriusque vis esset in efficiendo, & in patiendo; idcirco neutrū esset potius efficiens, quàm patiens. Ergo ita possumus argumentari. Efficiens debet plus efficere quàm patiatur; patiens magis pati quàm efficiat: simile quà simile non potest magis efficere, quàm pati, neque magis pati, quàm efficere; ergo simile, quà simile neque efficiēs, neque patiens statui debet. Restat vt dissimilia, ac differentia in sese mutuo agant, & à se vicissim patiantur. Nam si effectio, & perpessio est, vt certè est; aut inter similia versari debet, aut inter dissimilia. Non versatur inter similia, vt ostendimus: sequitur ergo, vt inter dissimilia. Quòd si cernis copiosum ignem agere in exiguum, illumq́ue absumere; scito in effectione illa inesse contrarietatem. Exiguum enim contrarium est copioso; copiosusq́ue ignis consumit alimentum exigui. Contra Democritus censuit efficiens, & patiens, *idem, & simile esse*, id est esse idem per similitudinem; omnino enim idem non posuisset: sæpe autem apud Aristotelem, vt alias notauimus, sequens vox explicat præcedentem, quæ dicitur ἐπεξήγησιν apud Asconium in ii in Verrem. Cur autem Democritus ita censeret, rationem afferebat. Effectio, & perpessio aut in similibus versatur, aut in dissimilibus; non in dissimilibus; ergo in similibus. In connexo cæteris etiam cum Democrito conueniebat. Assumptum inde probabimus, quòd si omnino res dissimiles sint, vt linea, & color, alterum ab altero non patietur; quòd si dissimilia videntur in se agere, & à se pati; idcirco euenit, quòd aliquid idem habent, quo quidem effectio nititur. At si dissimile quà dissimile ageret, & pateretur; certè linea, & color, superficies, & sapor, quoniam res dissimiles sunt in se mutuò agerent, & paterentur; quod tamen non fit. Ergo, quæ à Democrito afferuntur, pugnant quodammodo cum iis, quæ afferuntur à reliquis. Dicimus autem pugnare non omnino, sed *quodammodo* quoniam vtraque sententia aliquid veri, aliquid item falsi continet; ambæq́ue, si rectè intelligantur, defendi queunt, quemadmodum secundo de anima obiter est ostensum; nunc autem ex proposito ostendetur.

Pugnæ istius causam illud sustinet: quòd, cum vniuersum quiddam deberent inspicere, vtrique partem aliquam attigerunt. Simile enim, & vsquequaq; indifferens à simili nihil quicquàm pati, verum est. Cur enim alterum sit magis efficiens altero? Ac si aliquid à simili pati posset: & idem à se ipso: ac sanè his ita se habentibus nihil interitus expers, neque immobile erit, si quidem simile quà simile, efficiens. Idem enim se ipsum mouebit omne. Atque omnino diuersum & nullo pacto idem, similiter. Nihil enim patiatur candor à linea, aut linea à candore, nisi interdum ex accidente: vt si accidat albam, vel atram esse lineam. Non enim se illa è natura sua deijciunt: quæ neque contraria sunt, neque ex contrarijs constant. Tex.Com.49

Est quatenus simile patiatur à simili; est quatenus dissimile à dissimili. Oportet enim efficiens, & patiens conuenire, atque idem esse in materia; differre autem forma, & qualitate. Hoc modo tota res verissimè exponitur. Veteres autem partem tantùm spectabant; nam vel materiam, quæ in vtroque eadem esse debet, vt Democritus, vel formam, & qualitatem; quæ diuersa sit oportet, vt cæteri omnes. Concedit igitur Aristoteles ambas sententias quadam ex parte veras esse; fateturque primum ab illis, qui Democrito non assenserunt, verè dictum esse, simile ab omnino simili pati non posse; quoniam neutrum maiorem in efficiendo vim obtinere potest, quàm alterum, vt antea declarauimus; quinimò aliud pro ipsis argumentum affert. Si simile quà simile ageret in omnino simile, idem etiam ageret in se ipsum idem enim sibi ipsi est simillimum. Quòd si idem agit in se ipsum, se ipsum etiam mouebit; effectio enim, & actio est motus quidam, id est alteratio; quæ cum sit via ad interitum; idem etiam interimet seipsum. Quamobrem *his ita se habentibus*, si quemadmodum ipse postea explicat, simile, quà simile esset efficiens, nihil esset immobile, nihil interitus expers; quæ si à veritate abhorrent, vt certè abhorrent, concedamus non ab omnino simili pati simile. Deinde Democrito fauens inquit, *atque omnino diuersum, & nullo pacto idem similiter*, supple tu ex superiori membro, verum est pati non posse. Candor enim non patitur à linea, neque linea à candore, nisi ex accidente. Linea enim candida aget fortè in atrã, verùm non quà linea, sed quà candida. Exempli autem causa ponit lineam, nam verè color inest superficiei, non lineæ. Commune autem præceptum tradit, nunquàm illa se è natura sua deiicere, quæ aut non sint contraria, aut non constent ex contrariis, interiecta.s. intermedia inter contraria, vt flauum, & viride inter album, & nigrum. Nam ista etiam cum vno extremo comparata alterius instar obtinent. Quare cum pati nihil aliud sit, quàm è sua natura quodammodo dimoueri, & efficere nihil aliud, quàm id, quod patitur, è sua natura dimouere; Dimouere autem è sua natura ad contraria, aut intermedia pertineat; profectò ad eadem quoque effectio, & perpessio pertinebit. Hoc ita constituto, facilè constabit, quomodo partim simile, partim dissimile sit efficiens patienti.

Tex.Com.50. *Verùm quoniam non quoduis est idoneum pati, & efficere, sed quæcunque aut contraria sunt, aut contrarietatem habent, necessariò efficiens patienti genere quidem simile est, & idem, specie autem dissimile, & contrarium. Idoneum enim est, corpus quidem à corpore, sapor autem à sapore, color autem à colore pati; Vniuersè autem quod eiusdem generis ab eo, quod eiusdem generis.*

Tex.Com.51. *Huius autem rei in causa illud est, quod omnia contraria in eodem genere. Efficiunt autem, & patiuntur à se vicissim contraria. Quamobrem necesse est, eadem quoquomodo esse efficiens, & patiens, quoquomodo autem diuersa inter se, ac dissimilia.*

Hæc verba talem quandam argumentationem continent. Contraria continentur in eodẽ genere, specie autem, supple tu, diuersa sunt, quod satis ex definitione patet, contraria. n. sunt, quæ sub eodem collocata genere maximè inter se distant: efficiens, & patiens vel contraria sunt.i. extrema quædam, vt atrum, & album, vel saltem quoquomodo *contrarietatem habent*, vt intermedii colores, qui cum vno extremo collati alterius instar obtinent; ergo efficiens, & patiens in eodem quidem genere contineantur, specie autem diuersa sint oportet. Minor quidem propositio pri. phy. longa oratione est explicata; ostensumque nõ quoduis agere in quoduis, aut à quouis pati, sed contrarium in contrarium, & à contrario; nunc autem tanquàm perspicua videtur poni. Conclusio autem simul inductione quadam vera esse ostenditur; quantum scilicet ad illam partem pertinet, efficiens, & patiens genere eadem esse debere; nam corpus patitur à corpore, sapor à sapore, à colore color; simulque ex causa demonstratur; quoniam scilicet efficiens, & patiens sunt contraria. Contraria autem in eodem genere continentur. Non ita autem multus est in ostendendo efficiens, & patiens esse diuersa specie, & forma; quoniam id clarissimum videtur; sed asseueranter constituit, efficiens, & patiens esse, *quodammodo eadem*, id est genere, *quoquomodo autem diuersa*, id est specie, & forma. Quomodo autem corpus à corpore patiatur, habebitis in quæstionibus.

Quoniam

Quoniam autem efficiens, & patiens genere quidem eadem & similia, specie autem dissimilia, contraria autem sunt huiusmodi; manifestum est, quòd contraria, & intermedia sunt patientia, & vicissim efficientia. Uniuersè enim interitus, & generatio in his. Quamobrem, & rationi consentaneum iam est, ignem calfacere, & frigidum refrigerare, atque vniuersè efficiens sibi ipsi simile, quod patitur, reddere. Efficiens enim, & patiens contraria sunt; & generatio in contrarium. Quamobrem necessariò patiens in efficiens mutatur. Ita enim generatio in contrarium erit.

Probatum est, eòquod efficiens, & patiens sint contraria, idcirco esse genere quidem similia, specie autem dissimilia. Nunc vicissim, eoquòd efficiens, & patiens sint genere quidem similia, specie autem dissimilia, probamus efficiens, & patiens esse contraria. Ita enim argumentamur. Genere similia, specie autem dissimilia sunt contraria (quæ propositio illis verbis significatur *contraria autem sunt huiusmodi*) efficiens, & patiens genere quidem sunt similia, specie autem dissimilia; ergo efficiens, & patiens sunt contraria, vel saltem intermedia. Ita enim disponi propositiones debent, quàmuis, eoquòd terminis ad reciprocandū ac commodatis constent, videatur apud Aristotelem variatus ordo subiecti, & prædicati. Vides igitur in istis argumentis circulum quendam; de quo in quæstionibus. Nunc alteram rationem consideremus, quæ ad idem affirmandum affertur, & illis verbis significatur, *vniuersè enim interitus, & generatio in his.* Omnis generatio & interitus versatur in contrariis vt primo phy. est ostensum; effectio, & perpessio est generatio, & interitus quidam (accipimus.n.nomen generationis, & interitus cōmuniter, vt omni mutationi conuenit) ergo effectio, & perpessio in contrariis versetur oportet. Hinc colligit, ignem rationi congruenter calfacere, & frigidum refrigerare, atque vniuerse efficiens reddere sibi ipsi simile quod patitur. Colligit autem hunc in modum. Quod patitur ab efficiente, tandem generatur, & fit aliquid; quod generatur, conuertitur in contrarium eius, quòd ante erat (generatio enim in contrarium fertur, ut iam diximus, & quod est calidum, quà calidum, non calefit, sed quod est frigidum) ergo quod patitur ab efficiente, tandem conuertitur in contrarium eius, quod ante erat. Ante erat dissimile, vt posuimus; ego si debet conuerti in contrarium, conuertetur in simile. *Ita enim generatio in contrarium erit,* id est si quod patitur initio quidem dissimile, tandem verò simile efficienti euadat; genitum erit aliquid contrarium illi, quod antea erat.

Nec verò absurdum est, vtrosq;, quamuis non eadem dicant, similiter tamen naturam attingere. Dicimus enim pati interdum quidem subiectum, vt hominem sanari, & calfieri, & refrigerari, & alia eodem modo; interdum autem calfieri quidem frigidum, sanari autem, quod ægrotat; atque vtrunque verum est. Idem de efficiente quoque intelligendum est. Nam interdum quidem hominem dicimus calfacere, interdum autem calidum. Fit enim vt partim materia patiatur, partim contrarium. Qui igitur ad illud spectauerunt; efficiens, & patiens aliquid idem habere putarunt oportere; qui autem ad altera, contrarium. Tex.Com.52.

Effectionis & perpessionis naturà integrè exposita iam non difficile est videre, quomodo Democritus, & cæteri, qui ab ipso dissenserunt, quàmuis pugnantia quodammodo dicant, vtrique tamen naturam istam attingant *similiter*, id est vtrique quadam ex parte; neutrique à consuetudine loquendi discedant; vt primo etiam phy. notatum est. Nam cū quod patitur, ex duabus partibus concretum sit, materià ipsà, & forma, sine qualitate (nomen enim formæ in præsenti communiter sumimus) per quam qualitatem cum efficiente pugnat; itemque quod efficit, concretum sit; fit, vt interdum materiam ipsam pati dicamus, quoniam ex vna qualitate in aliam mutatur; vt cum dicimus, hominem calfieri, vel refrigerari vel sanum reddi; patitur enim, & mutatur homo ex contrariis in contrarias qualitates; interdum

terdum autem dicamus contrarium ipsum pati; quoniam altero contrario aduentante ipsum abire cogitur; vt calidum refrigerari, frigidum calfieri, validum in morbum incidere, ægrotantem in pristinam vindicari valetudinem, eodemque pacto de efficiente intelligendum est. Nam cum & ipsum duabus partibus constet, materia, & forma, siue qualitate, interdum materiæ, & subiecti mentionem facimus, vt cum dicimus hominem, vel ignem calfacere, interdum formæ & qualitatis, vt cum dicimus calidum calfacere. Attendendum tamen hunc duplicem loquendi modum in materia potius esse intelligendum Aristoteli placere ob eausam, quam in quæstionibus audieris. Idcirco enim postquàm de efficiente quasi obiter dixit, statim ad patiens redit, & inquit. *Fit enim vt partim materia patiatur, partim contrariū*, id est forma ipsa, quæ formæ aduenienti contraria est. Cum igitur tùm efficiens, tùm patiēs duabus partibus constent, materià, & formà, materiaque in ambobus eadem sit, formæ dispares, & contrariæ, *qui ad illud spectauerunt*, qui ad materiam, & subiectum aciem animi intenderunt, euiusmodi fuit Democritus, putarunt efficiens, & patiens habere aliquid idē oportere, idcircoque similia quodammodo esse; *qui autem ad alter*, qui attenderunt (vt reliqui omnes præter eos, qui à Democrito) formas, & qualitates illas, per quas efficiens à patiente diuersum est, *contrarium*, statuerunt efficiens, & patiens aliquid cōtrarii habere debere.

Tex.Com.53. *Eodem autem modo se habet, vt nostra fert opinio, efficere, & pati, quo mouere, & moueri. Nam mouens quoque dupliciter dicitur. Nam & id, in quo principium motus est, videtur mouere (prima enim causarum principium est) & illud præterea, quod est postremum ad id, quod mouetur, & ad generationem. Similiter autem de efficiente. Nam medicum sanare dicimus, & vinū.*

Explicauimus ferè naturam efficientium, & patientium. Verùm exoriri adhuc possunt nonnullæ dubitationum nubeculæ, quæ nisi disiiciantur, mirificè nos perturbaturæ sint; Ergo, vt illis obuiam eamus, intelligendum est, cum mouere, & moueri, sint quasi genera, efficere autem, & pati quasi species (idem autem dictu est, ac si dicas mouens, & motum, efficiens, & patiens) idcircò, quod illis conuenit, in hæc quoque transferri commodè posse. Firmissimum enim est præceptum illud sæpe ab Aristotele traditum, vt quarto Top. vt initio categoriarum; quicquid generi conuenit, conuenire etiam speciei, Conuenit autem mouenti, vt dupliciter dicatur, primum scilicet, & secundum, aut etiam tertium, quartū, ac deinceps: Multa enim persæpe mouentia in aliqua re mouenda adsunt, vt in commouenda aqua adesse potest Pompeius, qui baculo vtatur ad mouendū lapidem, qui tandem aquā commoueat. Ergo in commouenda aqua plura adsunt mouentia, Pompeius, baculus, lapis. Pompeius dicitur illud, in quo principium motus, quem quidem mouere nullo pacto est dubitandum; non modo enim causa est, sed etiam causarum prima, vt paulo post audietis. Ita primo Meteororum cap. ii. dicebat Aristoteles *vnde motus principium omnibus inest illam causam putandum primam*; lapis autem dicitur *vltimum ad id, quod mouetur* vltimum mouentium (si ab eo, quod est principium motus, numerare inceperis) quodque proximū est rei, quæ mouetur, omninoque *ad generationem*, id est, quod coniunctum est rei, quæ gignitur. Sæpè enim notauimus generationem, & rem genitam idem significare. Eodem igitur modo in efficiente se habet. Medicus ad efficiendam valetudinem vtitur vino. Medicus est efficiens primum; vinum autem efficiens postremum, & proximè hærens rei efficiendæ. Animaductio hæc quam afferat vtilitatem, procedente disputatione intelligetis.

Quod igitur primum mouet, nihil impedit, quominus in motu sit immobile in quibusdam autem necessarium quoq; est: Vltimum autem semper mouere motum. In effectione autem primum quidem impatibile, vltimum autem ipsum quoque patitur. Quæcunque enim eandem materiam non habent, efficiunt manentia impatibilia, vt ars medendi. Ipsa enim restituendo valetudinem nihil patitur ab eo, cui restituitur. Cibus autem, & ipse efficiens, patitur tamen aliquid; vel enim calefit, vel refrigeratur, vel aliud quiddam patitur, cum simul efficit. Est autem medendi quidem ars veluti principium, cibus autem vltimum,

ac tangens. Quæcunque igitur non in materia formā habent, illa quidem de efficientium numero sunt impatibilia; quæcunque autem in materia, patibilia. Materiem enim asserimus similiter, ut ita dixerim, eandem utriusque oppositorum esse, tanquàm genus sit. Quod autem calidum esse potest, si calfaciens adsit, atq; illi incubet, planè calfieri necesse est. Quamobrem, prout dictum est, efficientium hæc quidem impatibilia, illa autem patibilia; & quo pacto in motu, eodem etiam in efficientibus se habet. Illhic enim primò mouens immobile, & in efficientibus primo efficiens, impatibile. Tex.Com.54.

Ex conuenientia illa, quam in efficientibus, & mouentibus reperimus, hæc altera sequitur, vt quemadmodum primò mouens ferè est immobile, ita primum efficiens sit impatibile; & quemadmodū vltimum, ac proximum mouens mouendo mouetur, ità vltimum, ac proximum efficiens efficiendo etiam patiatur. Nolumus tamen intelligi perpetuò, primum mouens esse immobile; dicimus enim medicum esse primam causam in restituenda valetudine, (non enim nunc illud simpliciter primum mouens intelligimus, qui est vnus, & Princeps ille Deus, sed quod est primum propriè respectu talis motionis) ac tamen dum corpus ad valetudinem mouet, potest & ipse moueri, aut chirurgia vteos, aut aliquo alio modo ex accidente commotus. Satis est, si ita dicamus, primum mouens in his caducis rebus nihil impedire quominus mouendo non moueatur; minimè enim necesse est medicū in mouendo moueri; *in quibusdam autem*, vt in rebus æternis, & globis ipsis cœlestibus prima mouentia, quæ sunt beatæ mentes, necessariò sunt immobilia. Idem de primis efficientibus intelligatur, aut esse omnino impatibilia, aut non necessariò pati. Affert autem Aristoteles præceptum ad istam rem plenius percipiendam, quod septimo etiam metaph. attulit; quæ non communicant in materia cum patiente, efficere ooo patientia, vt medendi artem. Nam illa quidem efficit sanitatem, nec tamen à sanitate patitur; contrà autem cibus, quo medicus ad valetudinem restituendam vtitur, dum efficit & immutat corpus ægroti, ab illo etiam vicissim immutatur: aut enim calfit, aut refrigeratur, aut expellitur, aut in suam naturam conuertitur. In causa illud est, quòd ars medendi non communicat in materia cum sanitate; ars enim versatur in mente, sanitas in corpore; cibus autem eandem, quam sanitas, materiam habet, quatuor .s. elementa. *Est autem medendi ars veluti principium*, id est in hac effectione locum obtinet primi efficientis, in quo diximus esse principium motus, *cibus autem vltimum, ac tangens*, id est efficiens proximum. Ergo possumus ex his exemplis duos exponentes, quos vocant, syllogismos constituere. Medendi ars non patitur ab eo, quod ipsa efficit. Medendi ars est primum efficiens; ergo primum efficiens non patitur ab eo, quod efficit. Contra cibus patitur ab eo, in quod ipse agit; cibus est efficiens proximum; ergo efficiens proximum patitur ab eo, in quod agit. Ita igitur statuamus, *quæcunque non in materia formam habent*, id est non in eadem materia (nam, & artis aliqua est materia, vt anima, & tamen ars non patitur à sanitate, quoniam.s. satis est, non eandem esse materiam) hæc, inquam, sunt impatibilia, *quæcunque autem in materia* supple tu, eadem communicant, efficiendo etiam patiuntur. Quod indicant sequentia verba, vbi inquit materiam esse eandem vtriusque oppositorū quasi dicat, proximè efficientia, vt cibum, esse opposita rei, quæ patitur (si enim ille calidior, hæc frigidior; aut contra hæc calidior, ille frigidior) opposita autem communem materiam habent; quare nihil mirum, si efficiendo vicissim patiantur. Sed cautè inquit *similiter, vt ita dixerim*. Nam quamuis substantia materiæ eadem sit, quæ tanquàm solum, & fundamentum substernitur oppositis, aliter tamen ad vnius, atque ad alterius ex oppositis susceptionem præparatur. Est ergo, quo ad substantiam pertinet, eadem, minimè autem vsquequaque eadem, quoniam variè qualitatibus afficitur. Addit etiam *tanquàm genus sit*, vt magis quodammodo naturam istius communis materiæ exprimat. Nam vt genus oppositis differentiis subiicitur, ita materies oppositis formis. Quid autem inter genus, & materiam intersit, ex Alexandro suo loco docebimus. Qooniam autem eadem est oppositorum materia; fit, vt, *quod calidum esse potest* nimirum frigidum ipsum, in quo est materia apta etiam ad calorem accipiendum, cum primum illi calfaciens admotum erit, caloris formam induat. Audistis igitur alteram ex priore emanantem inter mouentia, & efficientia similitudinem; vt quemadmodum primum mouens est immobile, proximum autem mouendo mouetur; ita primum efficiens sit impatibile, proximum autem efficiendo patiatur.

Est autem efficiens causa, tanquàm vnde principium motus. Illud autem cuius causa, non efficiens: quare sanitas minimè efficiens, nisi tralatè. Quousque enim efficiens adfuerit; quod patitur, fit aliquid: habitibus autem præsentibus non amplius fit, sed iam est. Species autem, & fines habitus quidam: materia autem quà materia, patibile. Ignis igitur in materia calorem habet. Quòd si aliquis esset solutus calor, ille nihil profectò pateretur. Verùm hunc quidem solutum esse, fortè nefas est; alia autem aliqua si sint eiusmodi; in ijs, quod diximus, verum erit. Quid igitur sit efficere, & pati, & quibus conueniat, & quam ob causam, & quomodo, hoc pacto sit constitutum.

Quoniam diximus, ptimum efficiens nihil patiendo efficere; quod fini quoque conuenire videtur; nam quod amatur, variè afficit amantem, cum ipsum tamen nullo pacto afficiatur; idcircò nequis labatur, atque efficientem causam cum fine confundat; illa diligenter distinguit Aristoteles; docetque efficientem causam esse illam; vnde motus verus & naturalis, non autem tralatè dictus originem habet. *Illud autem cuius causa*, at finis non est id, vnde verus, & naturalis motus incipiat; sed tralate tantum mouet; quare minimè est efficiens causa, nisi tralatè, & impropriè. Impropriè enim, quicquid causa est, efficere dici potest, vt Simplicius secundo phy. & Alex. tertio quæstionum notarunt. Propriè autem minimè est efficiens. Ac nisi iam allata ratio satis tibi persuadeat, quamuis firmissima illa quidem est; sequentē audias. Cum efficiens adest & efficit; patiens fit aliquid; cū finis adest, non amplius fit aliquid, sed iam est: ergo finis non est efficiens. Maior clara est; si de efficiente actu intelligas, quomodo intelligi debet. Eatenus enim dicitur ignis efficere formam suam in ligno; quatenus lignum non euasit perfectè ignis. Cum primum autem euasit perfectè ignis; primus ille ignis, qui efficiebat, nihil efficit amplius. Minor autem vt bene percipiatur; scire licet (quamuis hac de re cumulatius in quæstionibus) formā, & finem esse idem numero, vt secundo phy. secundo de animalium ortu, octauo Metaph. est ostensum. Eadem enim sanitas, quæ nunc format illum, qui antea ægrotabat, erat finis medici. Quare, & finis & forma vocantur habitus, quòd maneant in re ipsa, illamque exornent; sicuti *materia, quà materia* (nam secunda materia, vt formam aliquam habet, posset aliquid efficere) *est patibile*, istis habitibus subiicitur. *Præsentibus igitur habitibus* genita iam forma, quæ simul etiam finis est, quod antea ad istam formam conducebatur; non amplius conducitur, non fit, sed factum iam est. Hoc probè fixo, suumque finem iam spectante disputatione repetit illud Aristoteles *ignem in materia calorem habere*, idcircoque, supple tu, pati dum efficit; quod de vno igne dictum valet etiam in reliqua, quæ eandem materiam habent. *Quòd si esset aliquis solutus calor*, id est à materia segregatus, & liber, & quasi idea quædam (obiter enim repellit Ideas illas platonicas) nihil profectò pateretur dum efficit. *Verum hunc quidem solutum esse, fortè nefas est*, fieri non potest, quemadmodum septimo Metaph. docuimus, vt naturales, caducæque formæ, cuiusmodi ignis est, sint solutæ, & segregatæ à materia; idcircoque efficiendo etiam patiuntur, *alia autem aliqua si sint eiusmodi*, vt beatæ mentes (ita solutis etiam formis videtur effectionem tribuere) *in ijs, quod diximus verum erit*, ista inquam efficiendo non patientur. Epilogum deinde suo more inducit Aristoteles, atque inquit, satis ferè esse constitutum, *quid sit efficere, & pati* non quòd definitiones sint allatæ, sed quoniam facilè ex dictis excerpi queunt; intelligo autem definitionem explicantem notionem; efficere enim est mouere ad qualitatem patibilem; pati autem moueri ad qualitatem patibilem; *& quibus conueniant* nimirum rebus in eadem materia communicantibus, *& quam ob causam*, quòd scilicet vna sit materies, & eadem, formæ autem diuersæ, ac pugnantes, *& quomodo*, quòd opposita forma, oppositam expellendo patiens sibi simile reddat; ita vt concinnari integra definitio hoc pacto queat. Efficere est mouere ad patibilem qualitatem, ita vt patiens efficienti simile reddatur (quibus verbis forma ipsa effectionis significatur) in iis, quæ eandem materiam habent (quibus verbis exponitur subiectum) ob hanc ipsam causam, quòd materia vna, atque eadem sit, formæ autem diuersæ ac pugnantes. Pati autem eodem modo definietur, loco tamen illius vocis *mouere* ponendo *moueri*. De quibus definitionibus plura in quæstionibus.

QVÆSTIONES IN VII. CAPVT.

1 Argumentorum, quibus Ariſtoteles probat ſimile non pati à ſimili, conſideratio ex textu xlviii.
2 Quomodo cauſa receptionis ſit genus, actionis autem ſpecies ex com. Auer. l.
3 An demoſtratio in orbem ducta fidem faciat ex com. l. Auerrois.
4 Quomodo contraria conſtent eàdem materia ex com. Phil. cxi.
5 De cauſis glaciei ex eodem com.
6 Quo pacto ſubiectum, vt homo, calefaciat ex tex. lii.
7 Ad quod cauſæ genus inſtrumentum referatur ex tex. liii.
8 Non omni ex parte ſimilia eſſe mouentia efficientibus ex com. Philoponi. cxii.
9 De ſimilitudine ac diſsimilitudine materiæ, & generis ex tex liiii.
10 An forma, & finis ſint idem ex tex. lv.
11 Quæſtio de mutua effectione, & perpeſsione, ſiue vt noſtri dicunt, de reactione, ex latinis.
12 Vtrum idem à ſemetipſo pati queat, ex iiſdem.
13 An ſimile patiatur à ſimili.

1 *Argumentorum quibus Ariſt. probat ſimile non pati à ſimili, conſideratio ex. tex. xlviii.*

INquit Ariſtoteles, ſimile non poſſe pati ab omnino ſimili; quoniam nihilo magis erit vnum efficiens, quàm alterum; atque addit, ſi ſimile pateretur à ſimili, fore etiam, vt idem patiatur à ſe ipſo; quare ſe ipſum etiam moueat, & interimat. Vtraque ratio dubitationem habet. Nam quod ad primam attinet; quàmuis vtrunque æquè ſit efficiens; non tamen tollitur effectio; ſed mutua effectio, & mutua perpeſsio eſt. Quod autem ad ſecundam, videtur Ariſtoteles confundere ſimile cum eodem. Nam idem ſibi ipſi eſt idem; minimè autem ſimile; quandoquidem ſimilia ex qualitate dicuntur; ex quo ſimile, vel diſsimile nuncupari, proprium qualitatis ſtatuitur. Primam dubitationem hoc pacto tollimus. Effectio inanis, & ſuperuacua eſſe non debet; Erit autem ſuperuacua, niſi efficiens vincat patiens. Nam ſi ambo æquè efficiant, & æquè patiantur, quam vtilitatem afferet iſthæc effectio? quod ex illa effectum prodibit? Ergo illud verè efficiens eſt, quod, quàmuis viciſsim à patiente patiatur, plus tamen efficit, quàm patitur; at ſimile ſi poneres, ſequeretur, quòd nihilo plus efficeret, quàm pateretur. Quo tamen pacto doceat Gal. morbo æqualia, & ſimilia in gradu medicamenta eſſe adhibenda, infrà intelligetis. Secundæ autem difficultati ita occurrimus: primum dicimus, quaſi argumentari Ariſtotelem à minori ad maius. Nam ſi ſimile, quà ſimile promoueret effectionem ſuam in ſimile; profectò multò magis idem in ſe met ipſum inueheretur, ſeque alteraret; quòd ſi hoc nefas eſt, ne illud quidem fas vnquàm fuerit. Deinde vt non argumentetur, dicimus ſimile interdum generatim ſumi, vt etiam contineat illud, quod eſt idem; quà etiam notione inquiunt Latini noſtri, *ſuperioris Africani filius non potuit tam patris ſimilis eſſe, quàm ille fuit ſui*; multaque huiuſmodi. Dici autem ſimile non tantum ex qualitate, verùm etiam ex forma, & ſpecie, notat Alex. quinto Metaphy. com. xvii. quo etiam loco exiſtimat Ariſtotelem, cum inquit, ſimilia eſſe, quæ idem perpeſſa ſunt illa ſignificare, quæ eadem forma ſpecieque ſint prædita: videtur tamen Alexander eam formam intelligere, quæ quarta ſpecies qualitatis eſt. Indicat dioſcurorum exemplum ab eo allatum. Tamen vniuerſè de ſubſtantia etiam verum eſt, quæ ſubſtantia conueniunt, ſimilia poſſe nuncupari. Ideo primo Top. cap. xiii. comparatio pertinet etiam ad ſubſtantias.

2 Quomodo causa receptionis sit genus, actionis autem species ex com. Auerrois .l.

QVod inquit Auerroes, causam receptionis esse genus, actionis autem speciem, ita accipiendum est; quàmuis effectio, & perpesio sit vnus idemque motus, ratione tantum dissidens, vt tertio phy. xxi. ostenditur; multum tamen interesse inter efficiens, & patiens. Efficere enim est opus formæ, pati autem est conditio materiæ; ac formæ quidem sunt dissimiles, & contrariæ; materia autem eadem. Idcirco in perpesione communio generis, & materiæ; in effectione autem dissimilis vis formarum spectatur. Nec tamen ista communio generis, & materiæ susissimè patet; vt quæcunque genere, & materia communicant, continuò à sese vicissim pati queant; non enim calor à lioca, linea à sapore, nec equus ab homine, aut homo ab aue patitur; sed certi cuiusdam, ac propinqui generis, vt primo phy. docemur, communio requiritur. Neque verò omnis contrarietas est ad efficiendum instituta, sed potissimum ea, quæ in primis qualitatibus est; qua de re secundo libro copiosius agemus. Quòd si cœlum efficit, & nulli tamen rei contrarium est, cogitare debebis, Cœlum esse efficiens homooymum; at in synomymo duntaxat contrarietas postulatur. Rursus si æqud ex calido, atque ex frigido lutum, quod erat molle, duratur, nec tamen vtrunque molliciei contrarium esse potest, istud quidem per accidens euenit: nam calidum aquam dissipat, & exsiccat, quæ molliciem faciebat; eandem aquam frigidum cogendo exprimit; ita terræ propria duricies manet. Igitur à contrariis causis idem effectum proficiscitur, at non per se. Nos autem cum dicimus in effectione contrarietatem requiri, inter causas, & effecta, quæ per se sunt, illam consideramus.

Quomodo effectio à contrario proficiscatur,

3 An demonstratio in orbem ducta fidem faciat ex eodem commentario.

AVerroes animaduertens Aristotelem vti demonstratione quadam in orbem ducta (nam in tex. l. ex eo, quòd efficiens, & patiens sunt contraria, illud vult sequi, genere esse eadem, specie autem dissimilia; rursus autem in li. ex eo, quòd faciens, & patiens sunt similia genere, specie dissimilia, illud conficit, esse contraria) inquit huiusmodi argumentationem non quidem fidem per se plenam facere, quòd in se quodammodo commeet, & reciprocetur, sed tamen vel Alexandri testimonio nonnihil ad suadendum valere. Reuera circulus, quà circulus est, ineptissimus est ad demonstrandum. Nihil enim aliud efficitur, quàm si est A, esse A, pro vt ab Aristotele primo post. cap. iii. ostenditor. Quid ergo ex circulo adipiscimur? illud primum, quòd terminos inter se pares esse, seque mutuo consequi intelligimus. Nam cum, eòquod homo est docilis, demonstraui esse rationis compotem, & rursus ex eo quòd est rationis compos, demonstraui esse docilem, statim intelligo docilitatem, & rationem, & hominem eam societatem inter se coiisse, vt vnum ab altero nunquam diuelli queat. Idem in causa nostra eueniet. Ex illo enim ab Aristotele adhibito circulo probè cognosco, quæ sunt efficientia & patientia, quæ sunt similia genere, ac dissimilia specie, quæ sunt contraria, pares terminos esse, & vicissim reciprocari. Circulus enim alibi, quàm in terminis paribus locum habere non potest. Præterea illud quoque boni nobis affert circulus, quòd conuersione illa terminos excutientes, & perpendentes, roborata quodàmodo mente, & attritu illo quasi illustrata, noscimus; quis ex illis veram causam significet, quis effectũ. Quamobrem persæpè cum ex effecto demonstrauimus causam, paulò post rationem totam conuertentes, ac naturam imitantes ex causa demonstramus effectum, quod etiam nunc fit. Nam quoniam quæ efficiunt, & patiuntur, similia sunt genere, dissimilia specie; ideo aut contraria, aut intermedia sunt, quæ tamen intermedia cũ alterutro extremo comparata contrariorum instar obtinent. Contraria .n. ita v. met. definiuntur, quæ sub eodem genere posita à se maximè distant; definitio autem accipit ea, quæ suapte natura priora sunt definito. Hoc igitur sibi voluerunt Alexan. & Auerroes circulum per se non demonstrare, sed iis de causis, quas attulimus, esse idoneum ad rerum vim, & naturam, mutuamque consequutionem cognoscendam. Cæterum in hac Aristot. ratiocinatione illud mihi non mediocrem molestiam exhibet; quòd efficientia, & patientia ideo censet esse contraria, quoniam sunt similia genere, dissimilia specie. Ergo homo, & equus, quoniam genere similes, specie autem dissimiles, contrarii erunt, & se vicissim alterabunt. Id verò de substãtiis adeò perfectis asserere, valde absurdum videatur. Attendas velim ex quinto metaph. cap. x. diuersa specie nuncupari interdum, quæ sub eodem genere collocata ita se habent, vt vnum in altero non contineatur, (hac communi notione homo, & equus diuersi, dissimilesque specie sunt) interdum quæ sub eodem genere collocata, pugnandi vim in substantia habent. Id autem non omnium specierum, quinimò primarum tantum, elementorum scilicet est.

Quæ dissimilia sint contraria.

Elementa enim hoc pacto diuersa, dissimiliaque sunt, vt inter se pugnent, vicissimque agitent, & agitentur; quod ab Alexan. in illius loci explicatione habes; nuncque Philoponus ad finem commentarii cxi. inquit, generationem esse ex contrario in contrarium. Nam tam & si dicamus ex priuatione fieri quæ fiunt, tamen in priuatione intelligitur inclusa contraria forma. Non enim, inquit, esset mutatio, nisi adesset contrarietas. Pugnant enim formæ de possessione subiecti, atque ex hac pugna existit mutatio: priuatio autem, & non ens vim pugnandi habere non potest. Ergo cum dicimus similia genere, ac dissimilia specie esse contraria, non quacunque dissimilitudine contenti sumus; sed eam intelligimus, in qua pugnandi vis insit. Hæc autem primis tantùm substantiæ speciebus, id est elementis concessa est; idcircoque ista appellantur initia mortis, & vitæ.

4 *Quomodo contraria consistent ex eadem materia ex com. Philop. cxi.*

DVbitat Philoponos, quomodo quæ efficiunt, & patiuntur, & ipsa contraria constent eadem materia. Eandem enim proximam materiam habere non possunt, cum vtrunque propriam in materia temperationem, & præparationem requirat. quòd si dicas constare eadem materia prima, idcircoque facere, & pati vicissim posse; iam album, quod est in lacte, poterit efficiendo, & patiendo mutari in nigrum, quod est in ebeno, atque hoc in illud; quod tamen minimè cernimus, licet habeant eandem materiam primam. Dubitationem tollit inquiens, contraria, quæ in se vicissim mutari debeant, materiam communem postulare medio quodammodo se habentem, inter primam illam remotissimam, & hanc maximè propinquam. Id exemplis explicat. In elementis materia prima nullis adhuc differentiis prædita, sed tantùm trifariam dimensa potest statui medio isto modo se habere; æque enim comparata est ad cuiusuis elementi formam excipiendam. In carne autem, osse, atque aliis huiusmodi rebus sunt quædam certa temperamenti spacia; quæ quidem materiæ communes contrariorum sunt. In ea enim latitudine, prout magis, minusue intenduntur qualitates, ita vel candor, vel nigredo recipitur. Non mutatur igitur candidum, quod est in lacte, in nigrum, quod est in ebeno; quoniam intra certum quoddam temperamenti spacium non continentur, in quo vtrique contrario locus sit; quamuis materiam primam communem habeant. Præterea nigrum, & album non sunt huiusmodi, quæ propriè à se vicissim patiantur; sed vis hæc immutandi primis tantum contrariis conuenit. Qua de re in secundo libro. Mutatio tamen in album fit ex nigro, aut ex medio colore, qui cum albo colla tus nigri instar obtinet; itemque contra ex albo in nigrum; ita vt quamuis ista contraria vim efficientem in se minimè exerceant, mutatio tamen propriè inter ipsa fiat, tanquam terminum à quo, & terminum ad quem; idque sibi voluit Aristoteles primo phy. & Philoponus in præsenti. Cur igitur ex candido, quod est in lacte, non fit nigrum, quod est in hebeno? quoniam colores temperamentum consequuntur. Ebeni autem temperamentum huiusmodi est; vt candorem nequeat procreare, aut pati; itemque lactis huiusmodi, vt nigredini locum non relinquat. Satis autem est, vbicunque fiat in coloribus mutatio, ibi semper ex contrario, aut contrarii instar obtinente fieri in contrarium.

5 *De causis glaciei ex eodem commentario.*

MVltas videtur afferre causas Philoponus, vnde glacies fiat, extinctionem caloris, expirationem humoris, qui in aqua inerat, aut verius intentionem frigoris. Cæterum in controuersiam meritò cadit, vnde frigus aquæ intendatur. Frigoris enim aqueí summus est gradus. Inuenietur ergo altius, & maius quiddam summo, ac maximo, si frigus aqueum intendi adhuc potest. Extincto enim tantùm calore aqua remanet, non glacies; expirante humore aqua videtur euadere terra; terra autem non magis, sed minus frigida est, quàm aqua. Res semper difficillima fuit habita. Puto ego, vt aliorum nunc opiniones non referam, frigus aqueum nullo pacto posse intendi, sed tantum condensata materia maiorem vim efficiendi acquirere; quo pacto ferrum ignitum magis vrit, quàm flamma; licet flammæ calor sit maximè intentus. Condensatur autem aqua admistione portionis terreæ ab aëris frigore; quæ quidem portio, licet per se minus frigida sit, quam aqua, in causa tamen est, cur magis densentur partes aquæ, ac maiorem vim efficiendi acquirant; quo etiam pacto aqua admista terræ in plumbo maiorem impetum facit, quàm terra sola, licet summè grauis.

6 Quo pacto subiectum, vt homo, calefaciat ex tex. lij.

VErùm dubitari de efficiente etiam potest, cur interdum dicamus hominem calfacere interdum verò calidum calfacere. Nam hominis nomine vel continetur etiam calidũ & vis efficiens, vel solum subiectũ significatur. Si continetur etiam vis efficiens; iam homo dissimilis est rei efficiendæ; quare qui hoc spectasset, non potuisset tamen statuere simile agere in simile, quomodo scribit Arist. Sin autem solum subiectum significatur; profectò subiectum solum efficiendi vim obtinebit; quod tamen negat Aristoteles. Ignem enim censet agere non quà ignem, sed quà calidum. Respondeo hominis, & ignis nomine præcipuè concretam ipsam substantiam, ac per se constantem significari. Quamobrem licet in ipsa adsit etiam coniuncta qualitas illa efficiens, non tamen ità perspicuè exprimitur; quare cum ista nomina proferuntur; non extat contrarietas, sed potius similitudo; quando substantiæ eodem modo constant, & cohærent. At cum dicimus calidum calfacere; tunc qualitatem ipsam, & vim efficientem clarissimè exprimimus, subiectum duntaxat innuentes; idcircoque efficientis, & patientis dissimilitudinem, ac pugnam quàm primum cernimus.

7 Ad quod causæ genus instrumentum referatur ex tex. liij.

VIdetur Aristoteles, dum inquit, efficiens aliud esse remotius, aliud propinquius (nã & Medicus sanat, & vinum) instrumentum ad efficientem causam referre; vinum .n. à Medico tanquàm instrumentum adhibetur ad sanandũ. At 2° phy. xxix. quà de causis, videtur planè instrumenta à conditione causæ efficientis secludere. Definiuit enim, quod notauit Philoponus, efficientem causam, id vnde primum initium motus vel quietis. Instrumentum verò non est id, vnde primum initium; quinimò & opera, quæ à Medico ad sanitatem efficiendam præstantur, & instrumenta, quæ adhibentur, videntur eo loco ad finem referri, præsertim si Auerrois interpretationem sequamur. Rursus cum ibidem propositiones materia conclusionis statuantur, sint autem instrumenta nostræ mentis ad conclusionẽ conficiendam, profectò videbitur instrumentum ad materiam esse referendum; quod ibi Philopono placuit; vt secundo horum librorum com. xliii. Puto ego (vt illud mittam, vinũ minimè esse instrumentum tantùm, sed propriam efficiendi vim obtinere) in arte quidem persæpè instrumentum potius tanquàm efficientis conditionem accipi, quàm ad aliam causam referri; at in rebus naturalibus, quoniam instrumenta euadunt etiam partes rei, quæ fit partes autem ad materiam referuntur, idcircò instrumentum ad materiam pertinere. Sic elementa sunt, & instrumenta cœli ad procreanda mista corpora, & simul istorum corporum materies. Confectio aũt syllogismi imitatur rerum naturalium procreationem: Nam propositiones quibus mens nostra tanquàm instrumento vtitur, euadunt etiam materia conclusionis, omisso tamen medio termino. Notabat autem Aristoteles in libro de spiritu cap. iii. artem vti igne tanquàm instrumento tantum; naturam autem tùm vt instrumento, tùm vt partes quo etiam fortè pacto eadem natura, quæ verus Medicus est, vino, cuius modo mentionem fecimus, ad sanitatem inducendam vtitur. Ergo in rebus naturalibus instrumentum commodissimè ad materiam refertur; in arte autem, quoniam plerunque est à re procreanda segregatum, non ad materiam, sed ad efficientem. Nec tamen ideircò negandum est, etiã in rebus naturalibus, instrumentum accipi tanquàm efficientis conditionem posse, ideircoq; ad illud referri, quâmuis non sit primum initium motus, quomodo perspicuè refertur secundo de generatione animalium cap. iiii. Aliud enim est esse efficiens propriè, & absolutè, (Hoc enim est primum initium motus) aliud referri quodámodo ad efficiens tanquàm illius conditionem. Nec probo ego Auerrois interpretationem, de qua supra dicebamus, opera & instrumenta ad finem referentis. Verius enim Simplicius com. xxvi. ex Alex. ita interpretatur, vt doceat, isthæc aut efficienti causæ, aut materiæ esse adnumeranda.

8 Non omni ex parte similia esse mouentia efficientibus ex com. Philoponi cxij.

NOtat Philoponus non omni ex parte similia esse mouentia efficientibus. Mouentia enim, quæ proximè mouent, mouentur quidem, & ipsa, vt baculus mouens lapidem mouetur, & ipse à brachio, non tamen à lapide mouetur. At efficientia ab eodem pati debent, in quod agunt. Verè autem inquit, nihil opus esse, vt comparationes omnia habeant paria. Satis illud est, vt mouentium quædam mouendo mouentur, quædam mouent immota, ita efficientium quædam efficere non patientia, quædam autem vicissim pati.

ti. Quomodo autem mouens corporeum dum mouet, moueatur, habetis à Zimara theorema oonagesimum quartum noo contemnendum.

9 De similitudine, ac dißimilitudine materiæ, & generis ex tex. liiij.

INquit Aristoteles materiam esse quasi genus; atque omnino materiæ cum genere magna intercedit similitudo; in qua tamen similitudine magna etiam inest dissimilitudo; quod accuratè ostenditur ab Alexandro secundo quæstionum cap. vltimo, illum etiam laudante sæpè Auerroe. Similia quidem materiæ, & generi hæc adsunt, esse communia pluribus, & priora natura, ortu, & origine iis, quæ sub ipsis continentur, & adiunctione alicuius formæ ad certam aliquam, & constantem naturam referri. Verumtamen pluribus etiam differentiis distinguuntur. Prima differentia est hæc. Materia est omnino subiectum, neque prædicatur de re composita; non enim dicimus ignem esse materiam suam; at genus ita est subiectum suis differentiis, vt de speciebus tamen prædicetur. Secunda differentia. Tota materia est communis omnibus formis, sed & quælibet materiæ particula est omnibus formis communis. Nam eadem materiæ portio, quæ nunc gerit formam ignis, potest vicissim gerere formam aëris, aquæ, terræ. At genus quamuis totum sit commune omnibus speciebus noo tamen portio illa generis, quæ certæ speciei fuit cooiuncta, vt animal, quod est in homine, potest aliam formam sustinere; non enim conuertetur in equum, aut leonem. Tertia differentia. Materia est res quædam, & confert ad efficiendum hoc aliquid (quare supra diximus, materiam esse partem substantiæ) genus autem cum sumitur tanquam genus, potius opera mentis nostræ, quàm reapse est. Nam à sibi proximè subiectis differentiis cogitatione tantum differt. Quarta differentia, quæ tamen ex superioribus deriuatur: materia numero eadem immortalis est: at genus per continuatam singularium successionem conseruatur; sigillatim autem interit vt animal, quod est in Socrate, & quod in Bucephalo. Quamobrem, si omnia animalia singularia interirent, ipsum quoque genus aboleretur; quod de materia, inquit Alexander, non eueniret, quippe cum ipsa nullam sui partem interitu formarum amiserit; licet alia quadam ratione incolumis remanere minimè posset, quòd habet imperfectam essentiam, quæque actu per se constare non valet. Quinta differentia. Formæ generantur in materia, cum in ipsa antea non essent. Differentiæ adueniunt generi, quod tamen reapse erat illud idem, ac differentiæ, communios duntaxat conceptum; ideòque aduentu differentiæ non totam formam dicitur recipere, sed partem, id est actum distinctiorẽ explicatioremque. Omnino materia est ante omnem formam, & totam formam recipit. Genus autem cogitatione conficitur ex ipsis formis, quæ iam per materiam constant, & sunt hoc aliquid. Ex qua Alexandri sententia colligi illud potest, materiam esse causam vel præcipuam, cur substantia sit hoc aliquid.

10 An forma, & finis sint idem ex tex. lv.

OStendit Aristoteles formam, & finem esse idem, quod multò verissimum est. Forma enim integra rerum essentia est; & si quid præterea accedat; est accidens, non substantia. Actiones sunt quidem fines formæ iam factæ; sed tamen actio nil aliud est, quàm ipsa met forma sese promens, & patefaciens; quare forma tandem verus est finis. Intelligi tamen istud præcipuè velim de forma totius concreti, vt hominis, & equi. Nam formæ partium, vt dentis, carnis, nerui, habent actionem aliquam, quæ ad totum perspicuè refertur; vnde non sunt sibimet fines. Dentes enim spectant ad incisionem ciborum; quæ ad totius incolumitatem. Formæ igitur partium habent finem à se distinctum: referuntur enim per actionem suam ad totum. Quod io causa fuisse crediderim, cur Alexander octauo Metaph. com. x. formam dixerit à fine in rebus naturalibus minimè differre, at in rebus artificiosis differre. Res enim artificiosæ referuntur per officium suum ad hominis commoditatem, idcircoque finem à forma propria diuersum habent; totus autem homo, totus equus in se ipsis suum finem præcipuè continent; quamuis ex additamento quodam aliò etiam referantur.

11 Quæstio de mutua effectione, & perpeßione, siue, vt nostri dicunt, de reactione ex latinis.

CAeterum iam tempus est, vt quæstionem illam de mutua effectione, & perpessione atque, vt nostri dicunt, de reactione tractemus; quam quidem mutuam effectionem, & perpessionem

& perpeſsionem in rebus caducis, atque contrarietatem per primas potiſsimum qualitates habentibus ſine dubio Ariſt. ſtatuit, atque ipſa rerum natura confirmat. Manus frigida admota ſinui calido calefit, & ſinus refrigeratur; item ferramentum candens iniectũ in aquá frigeſit, & aqua euadit calida; quinimò, vt in quæſtionibus de miſtione infra audietis, miſtio in rerum natura locum habere non poſſet; niſi quæ miſcentur, vicißim inter ſe agerent, & paterentur. Attamen quàmuis res ipſa veriſsima ſit, non tamen deſunt argumenta quædam; quæ illam quaſi incertam reddant. Primum argumentum eſt Burlei in tertium phy. vbi Ariſtot. iſtam ſententiam profert, mouens perſæpè dum mouetur, mouere; Inquit igitur; ſi A, exempli gratia, agat in B, & vicißim patiatur à B; aut A, & B æquales, aut inæquales facultates habebunt. Si æquales; neutrum aget in alterum; nam actio non prouenit, niſi ex victoria motoris ſupra motum quarto phy. com. lxxi. eandemque ſententiam pronunciat Ariſtoteles in libro de motu animalium. Sin facultatibus inæqualibus prædita fuerint; validius aget quidem in debilius; at minimè vicißim patietur: vincet enim debilius; quare multò magis conſeruabit ſe ipſum: facilius eſt enim tueri ſe, quàm alterum vincere.

Primum argumentum tollens reactionem.

Secundum argumentum.

Secundum argumentum eſt illius acutiſsimi hominis, quem calculatorem vocarunt. Si concederemus, inquit, iſtam mutuam effectionem, & perpeſsionem; ſequeretur, vt oſtendemus, in eodem ſubiecto, eodem tempore contraria intendi, vt ſimul calorem, & frigus augeri; quod tamen nefas planè videtur: ita enim rerum natura fert, vt cum in aliquo ſubiecto frigus intenditur, calor remittatur; cum calor intenditur, remittatur frigus; Oſtendemus autem quod polliciti ſumus, hoc modo. Sit A calidum exempli gratia, quod ad B frigidum habeat quadruplam proportionem; ita vt totum A agat in totum B; totum autem ipſum B non agat niſi in quartam partem ipſius A, quæ ſanè pars vocetur D; cæteræ aũt tres partes, quæ vicißim paſſæ non ſunt, vocentur C. Accipiamus igitur ipſum D. Hoc à B refrigeratur, vt poſuimus, ſimulque calefit ab ipſo C; ergo ſimul calefit, & refrigeratur. Quòd autem ipſum D calefiat à C, non eſt difficile confirmare; ipſum enim C. ponimus ſummè & ſincerè calidum; quare illi quilibet gradus frigoris repugnat. Quare cum inter C, omnino calidum, & D, aliquantiſper frigidum adſit contrarietas, & pugna, proximèque ſibi hæreant, & continuata ſint, & ipſum C, longè excellat, ac validius ſit ipſo D (nam quadruplam proportionem habebat A ad ipſum B) ergo nihil cauſæ afferri poteſt, quamobrem D non calefiat à C; quinimo cum C agat in B intercedente D, quod tangit ipſum B. profectò in D antea agat oportet. Non enim, vt ſuperius oſtendimus, prouenit actio ad id, quod diſtat, niſi per id, quod propè adſit. Addiderunt Iuniores tertium quoddam argumentum, iſti tamen ſecundo valdè ſimile; Nam ſi, inquiunt, ignis, & aqua, quæ interiectum intermedium habent aërem, in ſeſe vicißim agant; profectò aër ille ſimul ab igne calfiet, & ab aqua refrigerabitur; quare ſimul contrariis motibus agitabitur. Quartum argumentum nihilo iſtis explicatu facilius eſt huiuſmodi. Si omne efficiens dum efficit, vicißim patitur; nunquàm profectò ſibi vſquequaque ſimile reddet, quod patitur; vt nunquàm ignis ex aqua, aut aëre efficiet ſincerum ignem, qualis ipſe erat. Nam in fine effectionis iam ob mutuam perpeſsionem nonnihil roboris amiſit, ità vt non ſit amplius ſincerus ignis; quare cum nihil agat vltra gradum proprium, ſincerum ignem non generabit. Hæc ferè ſunt, quæ moleſtiã omnibus exhibuerunt; quæque ſi rectè diſſoluantur, rata futura ſit mutua iſta effectio, & perpeſsio. Neque verò quàm multi iſthæc argumenta falſò reprehenderint, in præſenti demonſtrandum duximus: id enim abunde mihi videtur Pomponatius præſtitiſſe; tantum ſententiam noſtram explicabimus; in qua explicanda, quid nobiſcum cum Pomponatio non conueniat, intelligetis.

Tertium argumentum.

Quartum argumentum.

Illud igitur, quod Pomponatius ex Auerroe in xii. Metaph. xviii. ſtatuit, nobis vehementer probatur, generationem non eſſe rerum latentium patefactionem, vt Anaxagoræ placuit; non congregationem, vt Empedocli, & Democrito; apud quos omnis generatio nihil videtur aliud eſſe, quàm latio; non creationem, quemadmodum vocant, id eſt effectionem rerum ex nihilo, ſed perfectionem quandam illius, quod erat inchoatum; idcircoq; in omni generatione neceſſariò requiri effectorem, & materiam. Materia enim eſt quaſi incohatio omnium formarum: idcircoque illas poteſtate continet. Præſente autem effectore, & vim ſuam adhibente, quod poteſtate erat in materia, erumpit in actum; Id autem tùm in ſubſtantiis, tùm in accidentibus intelligi velim; quod cum ex multis aliis locis colligi poteſt, tùm ex quarto phy. lxxxiiii. atque eodem modo colorem; & lumen fieri in aëre, & ſpecies alias, quas ſpirituales vocant, alibi oſtendimus. Ergo cum dicimus calidum agere in frigidum, ac vicißim à frigido pati; illud ſignificamus, calidum ſua præſentia ex materia quæ nunc frigori ſubiecta eſt, educere formam ſibi ſimilem, id eſt calorem; itemque altera ex

parte

parte frigidum sua præsentia, & vi ex materia, quæ nunc calori subiecta est, educere formam sibi similem i. frigus. Hoc igitur fundamentum primum nobis cum Pomponatio commune sit. Sequitur altera animaduersio, vt statuamus, quid sit resistere; sæpè enim huius vocis in hac quæstione mentio fit; cumque efficiens, & patiens sint contraria, sibi inuicem resistant oportet. Pomponatius igitur postquam ostendit, neque ad effectionem, neque ad perpessionem esse referendũ id quod resistere dicimus, ita definit, resistere nihil aliud esse, quàm impedire simpliciter, vel secundum quid agens, quod est aptum agere in tale impedimentũ à suo intento. Videt Pomponatius reprehendi se facilè posse, quòd ex ignotis definiat, seq; tuetur quantum potest, sed planè non potest. Nam resistere est vox propria etiam in rebus inanimis, aut certè magis propria; impedire autem in animalibus verè locum habet, in inanimis planè tralata est, quod ex etymologia constat. Dicitur enim impedire quasi in pedes ire. Præterea aut magis, aut æquè significat actionem vox illa impedire, atque resistere. Certè Pomponatius ea, quæ hac in re dicit, videtur potius optare, quàm aut ratione, aut magni alicuius hominis auctoritate constituere: Neque ostendit, quod illi tñ maximè faciendum erat, ad quam categoriam resistere illo suo modo definitum pertineat. Nos igitur alio pacto dicamus. Resistere aut in animalibus vsurpatur, aut in cæteris rebus; si in animalibus; significat nixum, & conatum quendam, qui fit intentione neruorum, & musculorum; quamobrem cum intendere neruos, & musculos sit effectio quædam, potest sanè ad categoriam, quæ inscribitur facere, referri. Sin autem cæteris in rebus sensu carentibus proferatur; profectò si vim istius vocis diligenter attendas, nihil aliud est, quàm potestas, aut impotentia ad patiendum; itaque ad secundam qualitatis speciem referri debet. Nam cum dicimus, ferrum maximè resistere effectioni ignis, hoc significamus, ferrum non facilè pati ab igne; cum dicimus paleam non resistere igni; significamus in palea esse euidentem facultatẽ, vt facillimè ab igne patiatur. Resistere igitur erit quædam impotentia patiendi. i. facultas per quam res non statim admittit ictum, & impressionem efficientis contrarii. In materia igitur (mitto cœlum, & beatas mentes, in quibus huc pacto acceptum, resistere, locum planè habere non potest) si per se spectetur, nihil est, quod resistat; est enim purissima quædam facultas ad accipiendum, summaque mollicies; per quam omnibus modis cieri, & agitari facillimè potest. Sed forma est, quæ resistit, partim certam qualitatum temperationem postulans, per quam ita cohibet, & quasi armat ipsam materiam, vt non facilè alteri sese præbeat efficiendam, & quasi feriendam, partim debilitando & frangendo vim contrarii efficientis; fracta enim illius vi facilius resistet i'li. Quòd igitur res patiantur, habent à materia: quòd magis vel minus resistant, id est difficilius vel minus difficulter patiantur, habent à forma, & à certa temperatione qualitatum. Sic etiam elementa, quòd moueantur, acceptum referunt materiæ; quòd moueantur ad superum vel inferum locum, formæ referunt acceptum, sed hoc aliàs. Illud nunc teneatur; quamuis forma vim præstet ad resistendum, non tamen tantam vnquam vim præstare potest, vt materia suam patiendi facultatem amittat; quinimò cum materiæ vis sit quodammodo ad patiendum infinita, formæ autem ad efficiendum, & resistendum finita, nihil mirum, si res ratione materiæ semper magis exposita erit ad patiendũ; quàm ratione formæ ad resistendum sit apta: ita Aiax potuit Vlissem clypeo protegere, non tamen ita, vt ille adhuc non esset expositus ictibus. Hinc mutua effectio, & perpessio inter contraria; ẽt si vnum altero longè validius fuerit; dummodo inter ea aliqua sit proportio. Nam si alterum maximum esset, maximeq; viribus excellens, alterum autem perpusillum, ac tenuissimis viribus; vix illud pateretur ab hoc; quandoquidem physicè contemplanti exiguũ, vt scribebat Auerroes octauo phy. nihili instar obtinet; inter ens autem, & nihilum nulla adest proportio. At si aliquam proportionem tueatur, res contrariæ semper agent, & patientur, & resistent. Agent quidem, & resistent ratione formæ; patientur ratione materiæ.

His ita constitutis vitia reprehensorum diluere, illorumque argumenta confutare difficillimum non erit. Quod igitur primo loco proponebatur, neq; inter æqualia, neq; inter inæqualia locum habere mutuã effectionem, & perpessionem posse; ita à nobis dissoluitur. Locum habere inter æqualia potest; quoniam patiuntur per materiam, agunt per formam, nec facilius est se conseruare, quàm in alterum agere; quinimo maior est facultas materiæ ad patiendum, quàm formæ ad conseruandum; licet, quoniam æqualia sunt, vnum non vincat alterum, sed potius ambo remittãtur, & frangantur. Adest ergo victoria motoris supra motum: omnis enim forma est apta ad vincendam materiam; quàmuis Auerroes cum dicebat, Actionem prodire ex victoria motoris supra motum, illam potissimè actionem intelligebat, quæ planè vincit, & rem ex priori natura immutat; quo pacto etiam Aristoteles vocauit efficiens absolutè, quod tandem vincit. Eadem verò causa est, cur etiam inæqualia, dummodo

aliquam

Quid sit resistere.

Aduersus Pomponatium.

Opinio propria.

Argumentorum refutatio.

aliquam proportionem tueantur, possunt mutuò efficere, & pati. Nam forma rei imbecillioris est tamen idonea ad agendum in materiam rei validioris, licet fracta deinde à validiore illa tandem succumbat. Atque in huius quidem argumenti confutatione non longè discedimus à Pomponatio, licet ipse, & multò verbosius, & multò, nisi fallor, obscurius respódeat; neque ad articulum fortasse ipsum, & caput, ac fontem perueniat. In duobus autem sequentibus argumentis ab ipso omnino dissentimus: nihil enim verè affert, quod illa tollat, sed confugit ad quasdam obscuras elocutiones, vt potius occultare se, quàm pugnare videatur. Inquit enim aërem non refrigerari à B frigido, sed ipsius frigus confortari, neque ab A calido calfieri, sed ipsius calorem confortari. Quæ quidem ineptissimè sunt dicta; atque ista tamen confortatio, velit, nolit, nihil aliud est, quàm intentio præsentis qualitatis; præsertim si aër intermedius debeat impertire qualitates oppositorum efficientium ipsis oppositis; vt calorem ipsius A, ipsi B, & frigus ipsius B, ipsi A.

Aduersus Pomponatium.

Quare dicamus nos, vt idem aër candorem, & nigredinem simul suscipit, & ad oculum transfert, quoniam isti colores sunt in aëre, tanquàm in aliena materia, neque eam sibi subiectam faciunt, nec se ipsius dominos constituunt; ita calor, & frigus possunt initio in eodē aëre, atque in eodem D, de quo in secundo argumento loquebamur, recipi; quoniam adhuc non sibi illius materiæ principatum vindicare conantur, sed sunt quasi hospites, & aduenæ, vt rectè Themistius dicebat; pugna enim fit inter contraria ob subiecti possessionem; vbi nō dum illud subiicere sibi aggrediuntur, non pugnant, neque non simul queunt consistere. At vbi diutius commorantes illud sibi parare tanquam propriam materiam tentant, tunc contraria sunt; id est inter se pugnant: neque integra in eodem manere queunt; sed necessariò, aut vnum tantum remanet altero profligato; aut ambo remittuntur: atque omnino inter colorem aut qualitatem aliam spiritalem, & realem, vt vocant, nihil aliud interest, quàm quòd realis habet materiam propriam, cui dominatur, illique nomen imponit; dicitur enim paries coloratus, vel frigidus; spiritalis autem nondum insidet materiæ tanquam propriæ, sed tanquàm alienæ quasi hospes & aduena; vnde illi nomen non imponit; non enim dicitur aër coloratus aut frigidus, si frigus eo usq; duret, quoad est res efficiens frigoris. Primæ tamen qualitates in aëre diutius insidentes ex spiritalibus euadunt reales, quòd in illo subiecto altè insigi aptæ sunt; minimè autem colores, aut soni, aut odores, quoniam aër suapte natura non est huiusmodi, in quo tanquàm in propria materia versari istæ affectiones queant, sed solum tanquàm in aliena. Ergo idem D, simul calefit à C, & refrigeratur à B; itemque aër interiectus intermedius; sed tamen frigus, quod est in D, est spiritale, vt voce istorum vtar, id circoque facillimè euanescit. Item frigus & calor, qui à contrariis efficientibus in aëre imprimitur. Non est autem absurdum, idem recipere contraria spiritalia, vt in quæstione de speciebus aliàs copiose disputauimus. Nunc quartum etiam argumentum refellitur. Nam efficiens, quod validius est, patitur quidem nonnihil ab imbecilliore; verùm si longè excellat, patitur potius spiritaliter, id est quasi in superficie, & leuiter, quàm realiter, & altè; ideirco, vt de aqua calefacta superius diximus, non amittit vim suam; ac tandem tum aduentitiā istam qualitatem expellet, tum vincet patiens sibique simile reddet. Hæc sunt, quæ, si teneantur, facilè dissolui quæcunque in hac quæstione negocium facessunt, opinor posse.

Quid sit qualitas spiritalis.

11 *Vtrum idem à semetipso pati queat, ex iisdem.*

Sequitur quæstio illa, vtrum idem à semetipso pati queat; id enim tanquàm perspicuè absurdum ab Aristotele allatum est octauo phy. xxx. ac tamen multis necessariò potius id affirmandum videbitur. Primum ix. Metaph. xvi. duplex actio videtur statui, alia, quæ in ipsomet agente maneat, vt actio mentis, voluntatis, sensus; alia, quæ in rem externam procedat, vt ædificatio, calefactio, refrigeratio. Ergo quicquid primam illam actionem obit, quæ immanens à nostris nuncupatur, eandem in sese recipit. Recipere autem suammet actiónem, nihil aliud est, quàm à se ipso pati. Ac sanè mens varias in se cognitiones, ac scientias gignit. Præterea in elementis, vt apertè docebat Auerr. tertio de cœlo xxviii. & quarto de cœlo xxii. forma est quæ mouet, & forma item, quæ mouetur: materia enim non potest esse pars muta; quandoquidem, quod potestate est, neque mouetur, neque mouet octauo phy. com. xxx. & v. phy. octauo. Ergo eadem forma à se ipsa mouebitur, & patietur. Postremò aqua, cum æstate calore circundatur, suam met frigiditatem intendit, & auget; ergo idem à semetipso patitur. Hæc igitur in præsenti sunt dissoluenda. Quod primo loco afferebatur, ita à multis dissoluitur, vt putent etiam in actione mentis, & sensus, & voluntatis, longè diuersum esse efficiens à patiente. Nam res oblatæ sunt efficientes, facultates autem animæ

An intellectus, & sensus sint virtutes efficientes.

animæ nostræ sunt, quæ patiuntur. Qua quidem sententia nihil absordius, ac peripateticis dogmatis minus consentaneum cogitari potest. Nam quod ad effectionem speciei attinet, res quidem obiecta efficit, & animæ facultas patitur; ideircoque sentire, & intelligere consistunt in perpeßione quadam. At vbi species recepta est, tunc facultas fruitur quodammodo, & vtitur specie illa, iudiciumq; promit rei obiectæ: promit autem hoc iudicium ipsamet; non enim res obiecta hanc vim habet. Quamobrem foitè Auerroes secundo de anima xlix. recipere est aliud quiddam, quàm iudicare; eandemque sententiam clarius exprimit Themistius tertio de anima cap. lv. & in libro de memoria cap. xi. Atque Alexander, & in quæstionibus, & in libris de anima. Verùm de his alias fusius disputabimus. Dicimus igitur nos Aristotelem euidenter, si illius verba accuratè perpendantur, de effectione, & perpeßione illa loqui, quæ ad mutationem naturæ ducit. Nam si idem, inquit, à seipso pateretur, nihil esset immortale, & immobile; quod argumentum in ea perpeßione valet, per quam mutatur natura. At in illis actionib. immanentib. non mutatur natura, sed potius perficitur. Quamobrem præclarè Themistius secundo de anima cap. vigesimo auctorem sequutus Aristotelem docebat, cum aliquis ex ignoratione ad scientiam peruenit, adesse quandam perpeßionem, & alterationem; videri enim amitti aliquid, scilicet inscitiam, & ignorationem. At cum quis scientia præditus ex ocio ad contemplationem traducitur, nullam adesse iacturam; sed esse perfectionem, & acceßionem, quo etiam vocabulo ipsemet Aristot. vtitur. Ergo, vt idem potest se ipsum augere, quàmuis sese alterare, & generare non queat, quoniam augere se nihil aliud est, quàm se perficere; ità idem poterit agere actionemque suam recipere in iis actionibus, quæ acceßiones, & absolutiones sunt. Huiusmodi enim actio nõ est motus, sed perfectio agentis, aut verius ipsamet natura agentis non impedita. An nõ Deus se ipsum intelligit, & amat, atq; in se ipso suam recipit actionem? non est dubitandum. Cur autem nihil mouere se ipsum queat, quàmuis in se ipso queat agere, habes à Themistio pri. de anima cap. xix. optimè hanc totam quæstionem iam in xvii. & xviii. cap. institutã explicante.

Quomodo elementa à seipsis moueantur.

Quod autem de motu elementorum dicebatur, ita pro re nata explicasse sufficiat. Elementa verius habent principium patiens motus, quàm efficiens viii. phy. xxxii. Non enim distinctam partem mouentem à mota, neque internum principium habent; ex quo poßint se suo arbitratu mouere, & sistere: id enim proprium animalium est. Verumtamen quàmuis non per se moueantur, id est suo arbitratu se moueant, & sistant, habent tamen à generante actionem suæ formæ sociam, ita vt ad proprium locum ferantur. Latio igitur hæc est actio sequens formam; recipitur aũt in medio, veluti in aëre; quamobrem in vacuo non fieret motus. Dum enim grauia & leuia nixu, & conatu suo impellunt aërem, loco ipsa mouentur; neque tamen idcirco per accidens omnino mouentur; non enim mouentur alteri infixa, veluti is, qui curru, aut nauigio vehitur, qui propriè motus per accidens est; sed acquirunt nullo interiecto intermedio partem post partem ipsius loci.

Cur aquæ æstate sint frigidiores.

Quod autem ad crescentem aquarum æstiuo tempore frigiditatem attinet, Hippocrates in libro de natura fœtus, inquit, terram hieme præ pluuia madidam comprimi in se ipsam, ac densari, nec perspiratum liberum habere, nec ventis præbere aditum, ita calidiorem esse quomodo lutum, & alia huiusmodi compressa, & compacta; itaque aquas magis calefacere; æstate autem rariorem, idcircoque ad perspirandum habiliorem minus esse calidã, minusq; aquas calefacere. Lucretius eiusdem rei causam in eandem terræ densitatem, ac raritatem retulit, sed eam densitatem non ex copia humoris, & pluuiæ, vt Hippoc. sed ex oi frigoris oriri vult; quod magis Aristotelicum est. Gal. autem de simpl. medicament. facultatibus cap. vii. putauit tactum hac in re falli: quod enim minus, quàm ipsa manus, calidum sentit pro refrigerante habet; quod autem magis calidum, pro calefaciente; quare cum hieme manus frigore rigeat, nihil mirum, si aquam censebit paulò calidiorem, æstate autem magnopere calefacta quàmuis tepidam aquam frigidißimã iudicet. Arist. aũt pri. lib. mete. vbi de rore agit, causam refert ad antiperistasin. Ac sanè si vera Galeni sententia esset, non tantum deciperetur tactus, sed etiã aspectus. Cernimus. n. plures vapores ex aqua hieme prodire, quàm estate, vapor aũt calorem indicat; præterea absurdum videtur, manum hieme esse frigidiorem aqua, cuius summum esse frigus censetur. Hippocratis autem ac Lucretii potißimùm sententia ad Aristotelicam atque ad veritatem propius accedit: est. n. in terræ viscerib. calor quidã, qui ob densitatem à frigore inductã minus perspirans, magis potest aquas calfacere; ac tamen hic idem calidus halitus magis roboratur compulsus à circumiacente frigore, & congregatus, sicuti æstate à circumiacente calore ob naturæ affinitatem euocatur, ac diffunditur: Non igitur aqua suammet insitam frigiditatem æstate auget, sed minus habet aduentitii caloris admistum.

13 *An simile patiatur à simili.*

Restat, vt vltimam quæstionem explicemus, an simile patiatur à simili. Intelligimus aūt simile non solùm formâ, sed etiam gradu formæ, atq; æquale etiam quantitate; quod rectè addebat Zimara theoremate lxxix. ex Auicenna. Nam alioqui, quod est calidū, vt octo, aget in calidum, vt quatuor, illudque delebit (quoniam inter illa contrarietas quædam est, vt dicebat Aristoteles tex. xlvi. & id, quod validius est, suum facit alimentum imbecillioris) aut certè ad suum gradum, suamque naturam adducet. Idem etiam iudicium est de similiter calidis; quorum vnum mole longè vincat alterum, vt magnus ignis paruum. Crescente enim mole crescit facultas agendi; quod ratio, & sensus planè dictat; quamuis Philoponus in primum librum meteororum non longè ab initio istud impudentissimè neget. Nihil enim affert, atque aduersus Aristotelem iacit, quod non aduersus ipsum retorqueri queat. Quæstio igitur de rebus planè atque omnino similibus proponatur. Argumentantur igitur Latini simile posse pati à simili. Duo lumina planè similia, atque æqualia sese vicissim in eodem aëre intendunt; quod ex eo intelligi potest, quòd aër ille multò magis illuminatus est, quàm si vnicum lumen adesset; ergo simile agit in simile. Præterea si duæ phialæ omnino æquales, ac similes sese vicissim percutiant, ambæ frangentur; ergo simile sine dubio patitur à simili. Hæc sunt, quæ nonnihil dubitationis afferunt, & à nobis sunt dissoluenda; quod facere nunc aggredimur. Aristoteles propositionem suam in iis rebus intelligi voluit, in quibus vera effectio, & perpessio locum habet, id est in iis, quæ per primas qualitates efficiunt, & patiuntur. Certè in his simile per se à simili non patitur, sed potius conseruatur. Res enim naturales idcirco agunt, vt se propagent, tales que sibi similes generent. Vbi iam similis est, frustrà agerent. Natura autem nihil frustrà. Idcirco vbi in gradu tantum, & quantitate similitudo esset, & non in forma, qualis est inter calidum, vt octo bipedale, & frigidum, vt octo bipedale, posset tamen existere actio; quoniam ista non frustra agerent; niterentur enim formam suæ similem procreare. Quamobrē Medici contraria remedia contrariis morbis adhibent, sed in gradu similia; quod habes à Galeno in extremo tertio libro de temperamentis, & alibi sæpè: quinimò ea verissime contraria sunt, quæ forma maximè dissidentia similem tamen, & æqualem gradum habent.

An remedia debeant morbo esse similia in gradu.

Non caret tamen istud Medicorum effatum suis difficultatibus, quas hoc loco expendere, Inutile non fuerit. Primum enim illud obiici potest, si Medicus similia in gradu remedia adhibeat, nunquàm morbum victum iri. Similia enim non ita sunt comparata, vt vnum queat alterum vincere. Deinde illud etiam affert dubitationem, quòd tantum abesse videtur, vt homo per contraria sanitatem recuperet, vt potius in contrarium morbum recidat; ac si prius ex febri, exempli causa, laborabat, nunc frigidis adhibitis ex sopore, ac stupore laboret. Respondeamus breuiter, si similia in gradu adhibeantur, morbum idcircò victum iri, quoniam morbus est qualitas excedens (nam de eo potissimum morbo in præsenti verba facimus) in qua tamen continetur etiam qualitas naturalis, & moderata. Febris enim exempli causa est calor naturalis auctus, ac mutatus in igneum ob illam accessionem; ita vt euaserit calor, vt octo (parum enim refert si exempli gratia, vel octo, vel quatuor statuas) in quo continetur etiam calor naturalis, qui est vt quatuor; ità vt si ex calore illo febrili demantur quatuor gradus, moderatus, ac naturalis rursus euadat. Id autem præstabitur à frigido, vt octo. Nam calidum, vt octo, & frigidum, vt octo, licet sese vincere omnino nequeant, possunt tamen, vt antea constituimus, sese vicissim remittere. Remissa igitur qualitas excedens, quæ morbum faciebat, iam naturalis euasit; idcircoque morbus est victus. Nam, vt morbus vinceretur, non totam tollere qualitatem, sed illius tantum excessum oportebat. Quare crediderim etiam, si paulò imbecillius, quod sæpè solent, remedium Medici adhibeant, sed sæpius repetant, quod cupiunt posse consequi. Nam imbecillius etiam potest remittere vim, & efficaciam validioris. Quod autem secundo loco afferebatur, ita dissoluimus; calor vt quatuor in mistis corporibus peruenit ad octauum gradum demptis sibi gradibus frigoris, quibus antea coniungebatur; quare si ad suam priorem conditionem iterum rediturus est, iterum illi adiungantur pristini frigoris gradus oportet. Id fit ex contrario in forma, & simili in gradu remedio. Nam frigidum, vt octo quemadmodum à calido, vt octo recipit aliquam caloris partem, ita vicissim illi partem sui frigoris communicat. Quare si cum tantum remissum est caloris, & inductum frigoris quantum oportet, remoueantur contraria remedia, quod intelligentes Medici faciunt; non contrarius morbus procreatur, sed restituta sanitas est. Sed eò, vndè digressi sumus, redeamus; dissoluamusque ea, quæ nobis negocium facessebant. Primum erat de duobus luminibus, quæ se vicissim augebant, & intendebant.

An duo lumina se vicissim augeant.

Dispu-

Disputatum autem diu est, essent ne ista duo lumina à diuersa luce propagata verè diuersa numero, an potius euaderent idem numero. Colligi enim putant Latini, quod etiam existimat Zimara in Theoremate v. ex verbis Aristotelis v. Metaph. in cap. de differentibus, accidentia solo numero differentia in eodem subiecto esse non posse; quare neque in eodem aëre duo lumina numero differentia inesse poterunt. Contra apud opticos satis compertum est, ob varietatem vmbrarum, quæ ab illis luminibus procreantur, minimè confundi, sed distincta permanere; ac tamen aër magis illuminatur. Respondent aliqui, esse quidem maiorem luminis extensionem; vbi enim sunt duo lumina, plus luminis est, quàm vbi vnicum; nõ tamen intentius lumen. Verùm aut in eodem planè aëre secundum lumen recipitur, aut in diuerso. Si in diuerso, id vix animo concipi potest. Nam propè positæ duæ lucernæ in eodem aëre cernuntur lumen suum propagare; & aër interiectus intermedius fit magis illuminatus; quod non eueniret, si vna pars vnius lumine, alia alterius illustraretur. Sin autem in eodem aëre secundum lumen recipitur, atque primum; iam non erit maior extensio luminis. Respondent alii, vt Zimara, in accidentibus spiritalibus nihil absurdi esse, si in eodem subiecto duo accidentia sint, solo numero differentia: sed non ostendit, qui vnum nõ intendat alterum. Dicimus nos propositionem illam, quæ putatur Arist. esse, nullo pacto ab Arist. eo loco esse significatam. Inquit enim differentia esse, quæcunque in substantia diuersitatem habent; euiusmodi dicebat Alexander esse terram, & aquam; in substantia enim terræ siccum est, in substantia aquæ humidum; ita diuersam habent substantiam, & essentiã. Minimè autem illud inquit, quæcunque sunt in eadem substantia, diuersitatem necessariò habere, quod Latini credunt. Verùm de hac re in secundo libro, vbi de remissione, & intentione formarum disputabimus, copiosius loquemur. Nunc illud satis sit, versari lumina in aëre tanquàm hospites, qua aptissima tralatione vtitur Themistius tertio de anima cap. xvii. idcircò locum dari pluribus luminibus, quæ tamen ratione efficientis, & conseruantis, à quo pendent, diuersa numero diei queunt; nam quemadmodum in eadem materia possunt versari contraria, vt hospites, ita etiam similia. Ita vnum non auget alterum; distincta enim manent: sed vnum additum alteri efficacius agit, & magis illuminat aërem. Quod autem afferebatur de phialis, non difficilem explicatum habet. Nam vel tota phiala agit in partem alterius (agere enim est formæ, & totius; pati autem materiæ & partium) atque ità vicissim sese vincunt, & frangunt; vel plus roboris habet impetus rei solidæ ad frangendum, quàm materiæ ad resistendum; idcirco ambæ ex impetu æquali franguntur.

Quomodo autem hoc liceat euenire, rursus dicamus. Videtur igitur quibusdam, pati vnumquodq;, per meatus quosdam ingrediente efficiente vltimo, & maximè proprio; atq; hoc modo nos cernere, & audire inquiunt, & reliquos sensus omnes sentire; adduntq; idcircò cerni per aërem, & aquam, & perspicua; quòd meatus quidam adsint, minimè quidem ob paruitatem aspectabiles conferti autem, & ordine collocati; magisq; adsint in perspicuis. Qui igitur sic de quibusdam statuerunt, quemadmodum, & Empedocles, non solùm in efficientibus, & patientibus, verumetiam misceri illa inquiunt, quoruncunque meatus inter se conuenientiam mutuam, & consensum seruent. Caput VIII. Tex. Com. 56.

Modum efficiendi, & patiendi adhuc tantum attigimus; quantum scilicet satis erat ad affectionis, & perpessionis prima quodammodo lineamenta docenda. Verùm multò melius, ac pleniùs totam rem intelligemus, si opiniones veterum expenderimus; ideireò inquit Arist. *rursus dicamus*, id est quod strictim attigimus, nunc fusius, & copiosius explicemus, ea, quæ à veteribus accepimus, perpendentes. Veniat igitur primò in medium Empedoclis opinio, quæ non paucos amatores reperit, esse scilicet in corporibus meatus quosdam, licet ob paruitatem minimè aspectabiles, vnumquodq; autem corpus tunc pati, cum in suos meatus ingrederetur efficiens non quidem remotum, vt ars medicinæ; sed *vltimum & maximè proprium*, proximum efficiens, quod illi maximè propriè efficiens esse opinabantur, vt pharmacum, & vinum. Hoc autem inter perspicuum, & non perspicuum corpus interesse dicebant, quòd in perspicuo meatus sunt consertiores, & frequentiores, magisq; *ordine collocati*, id est sese mutuo consequentes, eundemque seruantes ductum; at in non perspicuo minus frequentes sunt, minúsque ordinati, neque ex sese inuicem pendentes.

Quamobrem cum actionem sensuum, vt cernere, vt audire, vt olfacere, ipsi etiam in perpessione quadam ponerent, ita statuebant, ingrediente in meatus oculi re aspectabili, nos cernere; ingrediente in meatus aurium re, quæ auditu percipi debet, nos audire; eodemq; pacto reliquis nos fungi sensuum muneribus; cernere autem nos per aërem, & aquam, atque omnino corpora perspicua, quoniam cum hæc plures, & meliore ordine constructos meatus habeant, facilius ingredientibus corpusculis aditum præbent, ac patent. *Qui igitur sic de quibusdam statuerunt*, qui in nonnullarum rerum natura, & causis explicandis his meatibus, atque hoc corporum ingressu vsi sunt, qualis vel ipse in primis Empedocles fuit *non solùm in efficientibus, & patientibus*, non solùm meatus illos, & corporum ingressum effectioni, atque perpessioni accommodarunt; verùm etiam ad mistionem transtulerunt. Ea.n, misceri tradiderunt; quorum meatus hanc conuenientiam, & consensum inter se haberent, vt in vnius meatum alterius pars solida posset ingredi, ac vicissim in huius meatum illius solida. Dixit tamen *de quibusdam*, quoniam licet per istos meatus effectionis, & mistionis rationem traderent; non tamen quicquam de accretione statuebant; neque alterationem, & generationem omnium rerum naturalium tueri poterant, vt paulò post audietis.

Tex.Com.57. *Præcipuè autem Leucippus, ac Democritus via progressi sunt: atq; vnam, eandemq; in omnibus rationem tenuerunt, principium secundū naturam constituentes, quod quidem verè est. Quibusdam enim ex veteribus visum est, ens necessariò vnum esse, & immobile. Vacuum enim non ens: quandoquidem solùm plenum ens: Moueri autem minimè posse: nisi separatum sit vacuum: nec*
Tex.Com.58. *item multa esse, nisi adsit separans. Quòd si quis existimet vniuersum minimè esse continuum, sed diuisum se tangere, nihil interest, ac si dicat, multa, & non vnum esse vacuum. Nam si omniquaq; diuiduum, nihil esse vnum: quare neq; multa, sed vniuersum vacuum: sin partim quidem diuiduum, partim aūt minimè, rem à figmento non longè abesse. Quatenus enim, & quàm ob causam pars quidem vniuersi ita se habet, & plena est; pars autem diuisa? Præterea autem similiter motum tollere necessarium est. His igitur freti rationibus omittentes, ac despicientes sensum, quasi vnam sequi rationem oporteat, vniuersum inquiunt aliqui vnum esse, & immobile, & infinitum. Finem enim peruenire ad vacuum. Itaq; hunc in modum isti, hisq; causis adducti de veritate*
Tex.Com.59. *suam sententiam protulerunt. Verumenimuero in ratiocinationibus quidem hæc videantur consequi; res ipsas autem si spectes: furoris propemodum cuiusdam sit ita opinari. Nemo enim furiosus eousq; à se ipse discedat, vt glaciem, & ignem idem putet esse. Honesta tantùm, & quæ speciem honesti ob vsum habent, quibusdam ob insaniam nihil videntur differre.*

Ab Empedoclis opinione non longissimè discesserunt Leucippus, & Democritus; verūtamen *magis via profecti sunt*, omnia tradiderunt explicatiora, mirabiliq; serie inter se connexa, *eandemque rationem in omnibus tenuerunt* principia ea induxerunt; quibus in omnium quæstionū explicatione vti commodè possent: *principium secundum naturam constituentes, quòd quidem vere est*, ex tali etiam principio, & assumptione argumentati, quæ assumptio palàm, ac perspicuè vera est. Ita enim argumentabantur. Reperitur in rebus diuisio, & multitudo & motus; ergo vacuum est. Vides, quod assumitur, multò verissimum esse. quo circa longè etiam magis probandi, & laudandi sunt, quàm Parmenides, & Melissus; qui ita argumentantur, vt incertis quibusdam assumptis ea tollant, quæ certissima sunt, & apertissima. Quam sanè argumentationem præstat antè perpendere, quàm ad Democriti, ac Leucippi sententiam accedamus. Ità enim, quàm isti maiore commendatione digni sint, facilè apparebit. Parmenides igitur, & Melissus cum existimarent vniuersum esse vnum, & immobile, ad hanc suam sententiam affirmandam ita argumentabantur: statuebant primùm, tāquam principium & fundamentum *vacuum non ens*, vacuum nullo pacto habere locum in rerum

vniuersitate

vniuersitate. Ita n. ipsi intelligebant: Democritus autem vacuū, & ipse appellans nō ens, quasi si cū pleno conferatur, essentiam non haberet; putabat tū habere locū in rerū natura: Illo igitur iacto fundamento Parm. & Meliss. hunc in modū pergebant. *Si non est vacuum separatum*, si non seorsum a pleno consistit ipsum vacuum; motus esse non potest; sed vacuum minimè potest vllo pacto consistere, vt iam posuimus; ergo neque motus potest esse. Praetereà cum illud etiam ponerent, corporum diuisionem alia ratione fieri non posse, quàm per vacuum ita argumentabantur, *si non adest separans*, nisi prestò est ipsum vacuum separans inter se entia, certè diuisio locum habere non potest; idcircoque nec multa entia erunt; sed vacuum nullo pacto habet locum in rerum natura; ergo neque diuisio habere potest, neque multa esse entia. *Quòd si quis existimet vniuersum minimè esse continuum, sed diuisim inter se tangere.* Quòd si quis existimet, vt verè existimandum est, vniuersum ipsum minimè esse continuum, sed res diuisas inter se tangere, quare plures fore, illi rursus vrgebant, dicebantque nihil interesse, ac si diceres *multa, & non vnum esse vacuum*, id est non vnum tantū esse vacuum sed multarum, aut etiam omnium rerum locum occupare. Hoc enim vniuersum, quod tu constare dicis ex pluribus diuisis, & se tangentibus, vel omniquaque diuiduum est, vel nō omniquaque; atque hoc loco diuiduum videtur significare illud idem, quod actu diuisum; *Si omniquaque diuiduum, nihil erit vnum*; nam ex ista diuisione omniquaque facta nihil remanet, quod sit vnum, ac per se constare queat; si enim remaneret aliquod vnum; non esset omniquaque diuisum, *neque multa*, neque erunt multa, quoniam multitudo componitur ex monadibus; quare nisi sit vnum, neque multa esse possunt, *sed vniuersum vacuum*; sed vacuum omnium rerum locum occupabit. *Sin partim quidem diuiduum, partim autem minimè; id figmento non longè abesse*; fingendum atque optandum est, quae, & quanta pars vniuersi sit indiuidua, & plena; quae item, & quanta sit diuisa, & vacua; nullam autem istarū partium discriminis posse probabilem causam afferri. Sublata autem rerum multitudine; motus quoq; eadem ratione auferebatur. Si non est vacuum, non est motus; sed non est vacuum, quod pro certo ponebant; ergo neque motus. His igitur freti rationibus omittentes, ac despicientes sensum, qui clamabat multas esse res, & moueri, *quasi vnam sequi rationem oporteat*, quasi rationi tantum fides habenda sit, nulla autem sensibus: inquiunt vniuersum esse vnum, & immobile; quinimò, & Melissus addit, etiam infinitum. *Finem .n. peruenire ad vacuum.* Si esset finitum, finiretur, ac terminaretur ipso vacuo; sed vacuo terminari non potest, qm̄ vacuum nō est; ergo nullo pacto est finitum. Itaque hunc in modum isti, hisq; causis adducti suam sententiam protulerunt *de veritate*, de rerum natura, quo pacto eam verè se habere putarent: nam iidem aliis in libris accommodatè ad opiniones hominum sunt loquuti: ignemque, & terram initia rerum posuerunt. *Veruminimuerò in ratiocinationibus quidem hae videantur consequi*, plurimum, inquit Aristoteles, distant verba à rebus. Possumus enim multa verba fundere, ac nonnullas speciem quandam probabilitatis habentes rationes afferre, & mira quaedam colligere; sed nostra oratione res non mutantur, neque de statu suo dimouentur; quinimò, si quae verbis colligimus, reipsa etiam ita habere putemus, furiosos ipsos insania vincamus. Nam si vniuersum esset vnum; certè glacies idem esset, atque ignis. Id autem ne furiosus quidem senserit. Fallitur enim furiosus in diiudicandis tantùm bonis. Nam quae illi ob visum & consuetudinem speciem boni, & honesti habebunt, à verè bonis, & honestis non videbuntur differre; quàmuis deterrima, atque exitialia sint.

Leucippus autem tenere se putauit rationes quasdam: quae ijs, quae sensui patent, nixae, neq; generationem, neq; interitum, neq; motum, aut rerum multitudinem sublaturae sint: Fidem autem habuit partim quidem ijs, quae patent, partim verò vnum statuentibus, ità ut, neq; motum sine vacuo esse, vacuum autem non ens, & nullam entis partem inquiat esse non ens: proprie enim esse ens quod omniquaq; est plenum. Verùm hoc ipsum esse non vnum, sed multitudine infinita, & minimè aspectabilia ob molium paruitatem. Haec autem in vacuo ferri, (vacuum enim esse) & concreta quidem generationem efficere, dissoluta autem interitum. Efficere autem, & pati, quà se tangunt: & eatenus esse non vnum: composita autem sanè, atq; circumplicata generare. Ex eo autem, quod verè vnum est, non esse genitam multitudinem, neq; vnum ex ijs, quae verè Tex.Com.60. Tex.Com.61.

Verè sunt multa: sed esse hoc planè nefas: verùm, quemadmodum Empedocles & nonnulli alij pati per meatus inquiunt, ita omnem alterationem, atq; omne id quod pati dicimus, hunc in modum administrari, facta per vacuum dissolutione, & interitu: similiter autem, & accretione, alijs subinde ingredientibus.

Audistis ineptam sanè Parmenidis, & Melissi argomentationem: quæ erat huiosmodi: si non est vacuum; neqoe motus est, neque multitudo; sed non est vacuum; ergo neque motus, neque multitudo. Ac, vt de connexo nihil in præsenti dicamus, assumptum certè in controuersiam facilè vocari poterat; omninoqoe diligenter examinari postulabat. Ex hoc igitur ita incerto, cuiusque oulla esset allata confirmatio, collegerunt id, quod omnium sensibus repugnat, cuiusque contrarium multò certissimum est, scilicet neque motum, neque multitudinem esse. Recta autem argumentandi ratio postulat, vt ex certis, atque perspicuis incerta, & obscura colligamus; quod cum magis præstiterit Leucippus; iore etiam à nobis magis laudatur: Is hunc in modum argumentabatur; si non est vacoum, non erit diuisio, & moltitudo rerum, neque motus; sed est diuisio, multitudoque rerum, ac motus; ergo vacuum est. Vides ex assumpto certo, atque perspicuo colligit id, quod incertum, & obscurum erat. Ergo in connexo illi cum Parmenide, & Melisso conueniebat. Assumptum autem multò melius apud ipsum se habet. Assumitur enim, quod patet omnibus, moltas nimirum res esse, & moueri. Cæterùm, vt ad connexum reuertamor, consentiebat Parmenidi, & Melisso Leucippus, eiusque sectator Democritus, motum sine vacuo esse non posse, *vacuum autem non ens*, non esse substantiam aliquam, & corpus, & *nullam entis partem* nullam ipsius pleni, & corporis partem *esse non ens* esse vacuum, & non corpus, quod ponimus non ens. Quòd igitur vacuum esset, inde satis ostendi putabat, qoòd motus, & diuisio sine dubio esset; hæc autem sine vacuo existere non possent. Qoòd autem necessarium etiam esset atoma, & indiuidua corpuscula inducere; hac ratione affirmabat. *Propriè ens, est omni quaque plenum* propriè ens nullam partem non entis, & vacui habet, vt antea diximos.

Dixit autem *propriè*, quoniam impropriè etiam vacuum vocari poterat ens; qoandoquidem locum habet in rerum natura; putandum autem est in rerum natura esse aliqnid propriè ens; ergo potandum etiam est in rerum natura esse aliquid omniqoaque pleoum, nollamque vacui partem habere. Si vacuo caret, omnis autem diuisio fit intercedeote vacoo; certè diuisione etiam carebit; quare erit indiuiduom. Addebat autem hoc ipsum esse non voum, sed numero infinita, ac sub oculorom sensum non cadere ob molis paruitatem; ac per vacuum ferri; hisque coeuntibus pro dioersa coeundi ratione varias res generari, dissolutis autem, ac diremptis interire; efficere autem, & pati, *quà se tangunt*: quà propinqua suot; non .n. putabat ita se taugere, vt non aliqoid vacui interiiceretur intermedium, *& eatenus esse non vnum* qooniam scilicet ita se tangebant, vt non omnino vnum aliquid ex iis fieret, sed semper inter ipsa intercederet vacuum; veruntamen *composita atque circumplicata generare*, quamuis nou fieret ex ipsis omnino vnom, tamen pro varietate situs, & ordinis dioersas affectiones gignere, vt initio huius libri diximus. Intelligi autem omnino volebat, *ex eo, quod verè vnum est, non esse genitam multitudinem*, ex vno corpusculo atomo, quod verè vnum est, minimè posse fieri multa corpuscula; quippe cum multitodo à diuisione proficiscatur; & diuisio à vacuo; corposcula autem ista sint indiuidua, & vacuo careant, *neque vnum ex ijs, quæ verè sunt multa*, neque ex pluribus atomis fieri omnioo vnum, cum semper inter illa corpuscula atoma ioferat sese, atque intrudat vacuum. Quamobrem sequebatur, quemadmodum Empedocli etiam, & nonnullis aliis placuit, alterationem, & perpessionem existere intercedentibus meatibus quibusdam, ita de Leucippi, ac Democriti sententia existere iotercedente vacuo; cuius quidem opera fieri posset dissolutio, ac direptio atomorum, ideircoque res interirent, possent etiam noua quædam corpuscula introire, atque ita res incrementum susciperent. Notat Philoponus non idem omnino esse meatos, & vacuum ponere. Nam Empedocles meatus pouebat plenos tenuis cuiusdam corporis vt aëris, aut alterius cuiusdam similis; vacuum autem omnioo corporis expers est. Atque his meatibus Empedocles tueri fortasse effectionem, & perpessionem, ac mistionem poterat, vt initio docuimus; accretionis autem causam minimè poterat afferre. Nam si nooa corpora ingrediantur meatus, replebunt quidem illos, & corpus ipsum fiet densius, at non maius. Leucippi autem principia etiam ad accretionis causam afferendam valebant. Nam ingredientibus nouis corpusculis per vacuum, cum semper aliquid vacoi necesse sit interiici, & remanere, totum ipsum sine dubio fiet amplius, & maius. Hæc Philoponus. Ego autem puto,

vt ab

vt ab Aristotele paulò post audietis, Empedocli non fuisse constitutum, essent ne pleni, an inanes meatus. Cur autem Leucippus, & Democritus nobis magis probentur, nunc dicemus; tanta enim est opinionis Leucippi, ac Democriti probabilitas, tantaque earum rerum quæ ab illis dicuntur, consensio; vt Empedocles quoque, velit nolit, in eandem venire sententiam quodammodo cogatur, quod in sequentibus verbis ostendet Aristoteles.

Ac ferè, quod Leucippus asserit, Empedocles quoq; concedat oportet: esse enim solida quædam, sed indiuidua, nisi meatus vndequaq; sint continui: hoc autem nefas. Nihil.n.aliud erit solidum præterquàm meatus, sed vniuersum vacuum. Quæ igitur se tangunt, indiuidua quidem sint oportet: quæ autem inter illa interiecta sunt intermedia, vacua: quos quidem ille meatus vocat. Hoc aũt est, quod à Leucippo etiam de effectione, & perpessione asserebatur. Modi igitur, quibus hæc quidem efficiunt, illa verò patiuntur, hi ferè sunt, qui proponũtur. Tex.Com.62.

Statuens Empedocles effectionem, & perpessionem obiri per meatus, solida corpora, atque indiuidua, & impatibilia non minus quàm Leucippus, statuat oportet. Nam corpora illa, quæ continent meatus, aut sunt indiuidua, & impatibilia, aut diuidua, & patibilia. Si indiuidua, iam consentit Leucippo. Sin diuidua, & patibilia, alios intra se meatus continebunt, quorum quidem operà pati queant (omnis enim perpessio fit operà meatuum). Isti autem meatus vel sunt continui, vel non sunt. Continuos quidem esse nefas est. *Solidum enim nihil aliud erit præterquàm meatus, & vniuersum vacuum*, si essent meatus continui; iam corpus, quod solidum à nobis proponebatur, nihil aliud esset, quàm meatus, & vacuum: atque hîc patet etiam apud Empedoclem meatus vacuos fuisse. Quòd si non sunt continui; corpus certè, quod inter meatus interiicitur, meatibus careat oportet, idcircoque sit indiuiduum, & impatibile. Sequitur igitur, *quæ se tangunt*, ipsa scilicet corpora indiuidua esse, quod autem inter illa interualli intercipitur, esse vacuum, & meatum. Hæc verò omnino cum iis, quæ à Leucippo dicuntur, consentiunt. *Modi igitur, quibus hæc quidem efficiunt, illa verò patiuntur, hi ferè sunt, qui proponuntur.* Diximus ferè, quoniam à vili aliquo, & ignoto philosopho potuit fortè alius modus proponi; sed qui à viris illustrib. proponuntur, sunt à nobis commemorati; Vnus quidem Empedoclis ponentis illa efficere, quæ in alterius corporis meatus ingrederentur, illa autem pati, quæ in suis meatibus aliena corpora exciperent; alter autem Leucippi, & Democriti statuentium corpora indiuidua, & vacuum; quos idcircò magis laudauimus, quòd maximè inter se connexa principia habeant, & vno posito, alterum ponatur; Posito enim vacuo, tanquàm ad effectionem, & perpessionem, & omnem motum necessario; indiuidua quoq; & impatibilia corpora ponantur oportet; quod Empedocles non vidit. Id autem procedente sermone magis patebit.

Ac de his quidem, & quem modum tradant, manifestum. Videntur aũt quæ sequuntur, consentire ferè cum principiis illis, quibus ipsi vtuntur: cum reliquis autem minus: vt apud Empedoclem, quo pacto interitus, & alteratio existere queat, non constat. Nam his quidem prima corpora sunt indiuidua, figurà solum differentia: ex quibus primis reliqua componuntur, & in quæ vltima dissoluuntur. Apud Empedoclem autem, quòd reliqua usq; ad elementa generationem, & interitum habent, manifestum est: At horum ipsorum, quomodo coaceruata magnitudo generetur, & intereat, nec manifestum, nec illi fas dictu, cum ignis etiam esse elementum non dicat: itemq; reliquorum omnium, prout Plato in Timæo scriptum reliquit. Hoc enim à Leucippi modo discrepat, cæteroqui consentiens: quòd ille quidem solida, hic autem superficies ponit indiuidua: atq; ille quidem solidorum indiuiduorum unumquodq; infinitis figuris terminatum esse: hic autem finitis: cum tamen indiuidua utriq; ponant, & terminata figuris. Ex his autem generationes, & diremptiones. Tex.Com.63.

Manifestum

Manifestom, inquit, est *de his*.i.de Democrito, & Leucippo, quid de effectione & perpessione sentiant, *& quemadmodum tradant*: planè, inquir, se explicant; ac modom induount, per quem omnes mutationes tueantur, & *quæ sequuntur*, quæ euenire in rebus ipsis continenter cernimus, videotur conuenire cum principiis, quæ ab illis ponuntur; multò autem minus, cum iis, quæ ab aliis. Nam Empedocles, vt de eo potissimum loquamor, quem alterius opinionis auctorem diximus, statuere non potest, qui sit locus alterationi, cum elementa ponat impatibilia, atque affectiones formas ipsorum, quemadmodũ initio huius libri docuimus. *Nec quo pacto interitus existere queat*, ipsorum.i.elementorum; nam, nisi se altereot, neque etiam corrumpent; ac tamen ista etiam ceroimus assiduè generari, & interire; idcircòque diximus priocipia Empedoclis non satis respondere iis, quæ io rebus ipsis cernuntur euenire. *Nam his quidem* Democrito, & Leucippo, cum ponant prima corpora indiuidoa, figuris tantum differentia, ex quibus primis res componuntur, & in quæ vltima dissoluuntur, facile est tum generationem, & interitum, tùm alterationem tueri; Generationem quidem, & interitum, vt diximus, coitione, & diremptione atomorum; alterationem verò variato situ, & ordine. At Empedocles, qui reliqua, præter elementa generentur, fortè queat nonnihil afferre; generari enim poterunt ex coitione elementorum; *at horum ipsorũ, quomodo coaceruata magnitudo generetur, nec manifestum, nec illi fas dictu*, at quomodo primorum corporum cupiosa quædam moles generetur, vt aëris ex multo vapòre ab aquis educto, aut ignis ex magna lignorum sylua; quod quidem sæpè cernimus; nec nos docet, nec docere sanè potest; nisi ignis, & aliorum elementorum aliud elementum ponat, quod quidem ipse non facit. Nec dici potest, elementum istud esse sphærum; Nam cum aër oritur ex aqua, oon ceosuit Empedocles adesse sphærum; sed tantum, cum omnia elementa in vnũ confunduntur, vel omnia ex vno secernuntur. Hanc autem in Empedoclis opinione inexplicabilem difficultatem Plato etiam in Timæo vidit. Quarè multis in rebus Leucippum, & Democritum sequutus est, quamuis in nonnullis discrepet. Discrepat in eo, *quod ille*, idest Leucippus, ponit principia indiuidua, quæ sint *solida*, & corpora; *hic autem*.i.Plato, superficies, *atque ille solidorum indiuiduorum vnumquodque infinitis figuris terminatum esse*. Leucippus ita vnumquodque corpus indiuiduum habere suam, & propriam figuram, qua terminaretur, & circumscriberetur, asserebat, vt vniuersus tandem ex illis resultans figurarum numerus esset infinitus. *Hic autem finitir*, Plato autem finitum inducebat figurarum numerum, quoniam vnam tantum figuram pro primo elemento ponebat, nimirum triquetram; prima enim elementa esse triangula. Quæ autem ex his primo orirentur, esse quioque, pyramidem, cubum, figuram octo laterum, duodecim, viginti. In his igitur discrepabat à Leucippo. Consentiebat autem illi, priocipia ponens indiuidua, eaque figuris terminata, id est descripta; atque ex his existere *generationes, & diremptiones*, ooo potuit breuius significare generationem, & interitum, & rationem oriendi, & intereundi ab illis positam; Generatio enim erat elementorum coitio, interitus aotem eorundem diremptio. Ergo vnius contrarii nomen posuit, alterius quasi definitionem: ex quo vtriusque oomen & naturam, quantum ab illis tradebatur, cognoscimus. Hæc autem coitio, & diremptio apud Leucippũ duobus modis fit, apud Platonem vno tantum: quapropter addit Aristoteles hæc.

Apud Leucippum quidem duo modi fuerint, per vacuum, & per tactum: eatenus enim esse diuiduum vnum quodq; apud Platonem autem per tactum solum. Vacuum enim non concedit esse. Ac de indiuiduis quidem superficiebus diximus in superioribus sermonibus. De solidis autem indiuiduis diutius quidem considerare, quæ sequantur, in præsenti omittamus.

Apud Leucippom, inquit, coitio isthæc, & diremptio fit *duobus modis*, nolumos intelligi duos ita diuersos modos, vt coitio, & generatio ioterdum vno fiat, interdum altero; sed fit *duobus modis*.i.duarum rerum operà, nimirũ vacui, & tactos; qui tamen tactus, vt antea ootauimus, erat potius propioquitas quædam; qoàm verè tactus; *eatenus enim esse diuiduum vnũ quodque*, id est istarum duarum rerum, vacui, & tactus operà diuidi concreta corpora posse; quare qoà diuisa quidem vacoo, verùm se tangentia, id est propè sunt collocata corpuscula indiuidua; fit concretum corpus; quà autem longiore interuallo disiungi possunt; sequitur diremptio, & interitus. *Apud Platonem autem per tactum solum*. Plato negans vacoũ esse, vnicam taotum, & solitariam causam generationis, & interitus tactum ponit. Ex superficiebus

perficiebus enim se tangentibus nullo intercedeote vacuo fieri corpus; cum autem se amplius non tetigerint, dissolui corpus. *Ac de indiuiduis quidem superficiebus diximus in superioribus sermonibus*, nihil, inquit, est, quòd Platonis opinionem nunc reprehendamus, satis enim eam tertio libro de cœlo explosimus. *De solidis autem indiuiduis*, quæ à Leucippo, & Democrito ponuntur, omittamus quidem diutius considerare, *quæ sequantur*, quæ illis positis sequantur absurda; quoniam in iisdem libris de cœlo tertio, & quarto, atque seorsum in libro de indiuiduis magnitudinibus abunde id consideratū est. Cæterum quamquā diutius illa considerare ob istam causam, quòd alibi tractata sunt, nolumus, quoniam tamen firmis rationibus nitebantur, vt initio diximus, idcircoque magnam habebant probabilitatem, hoc etiam loco noonulla breuiter perstringere non erit inutile.

Ut autem paululum digrediamur, indiuiduorum vnumquodq́, & impatibile esse asserant oportet (non enim licet aliter pati ac per vacuum) & nullius efficiens affectionis. Nam neq́ durum, neq́ frigidum licet esse. Atqui illud etiam absurdum est globosæ tantum figuræ calorem tribuere: necesse enim etiam est contrarium & frigus alicui alteri figuræ conuenire. *Tex.com.64.* *Tex.Com.65.*

Prima aduersus Leucippum argumentatio est huiusmodi. Si essent corpora indiuidua, nulla esset effectio, & perpesio; sed effectio, atque perpesio perspicue in rebus locum habet; ergo non sunt corpora illa indiuidua ponenda. Declaratur connexum. Si sunt indiuidua, & vacuo carent, vt ille inquit; certé erunt impatibilia; putabat enim nulla alia ratione posse res pati, nisi per vacuum: si impatibilia, nullius etiam erunt affectionis, & perpesionis causæ. Nam quæ ipsa non patiuntur, non possunt esse in causa, cur alia patiantur; præsertim cum apud Leucippum effectio, & perpesio fiat inter similia. Quare si corpora indiuidua agerent, agerent in sibi similia; si similia sunt, profectò cum corpora indiuidua sint impatibilia, ista quoque impatibilia erunt. Ergo neque hæc patientur, neque habebunt, quid efficiant, quare nullæ exurtentur qualitates, & affectiones; nihil durum, nihil frigidum euadet, aut erit. Rursus autem (& est secunda argumentatio) peccant isti globosæ tantum figuræ calorē tribuentes. Nam si ità se res haberet profectò *contrarium*, *& frigus* (vides illud, *et* poni ad prioris vocis interpretationem) *necessario conueniret alicui alteri figuræ*, id est conueniret tantum alicui alteri certæ figuræ, quæ contraria esset globosæ. Contraria enim contrariorū sunt consequentia. At globosæ figuræ nulla contraria est; neque ab istis alicui certæ figuræ tribuebatur frigus; ergo neque calor propriam, & peculiarem figuram sibi arrogare debebat.

Absurdum autem illud etiam est, si hæc quidem insint, calor inquàm, & frigus, grauitatem, & leuitatem, duriciem, & molliciem minimè inesse.

Tertia agumentatio. Si calor in atomis reperitur, quod isti videntur concedere, qui globosæ figuræ calorem tribunt, itemq́; frigus, quod concedant oportet, quandoquidem si vnū ex contrariis in rerum vniuersitate locum habet, & alterum habere debet; si inquam, in atomis reperitur calor, & frigus; certé & grauitas, & leuitas, duricies, & mollicies debebant inesse in ipsis atomis: sed inest calor & frigus, vt partim ipsi suo marte concedunt, partim nostris argumentis concedere coguntur; ergo grauitas etiam, & leuitas, durieies, & mollicies iisdem atomis inerunt. Connexum inde patet, quòd grauitas, & leuitas, duricies, & mollicies, quantum sensus ipse testatur, caloris & frigoris naturam sequuntur; nec calor, & frigus ociosæ qualitates sunt; quare necessariò aliquam aliam qualitatem consequentem habent.

Quin indiuiduorum vnumquodq́ grauius esse per excessum Democritus inquit; quàmobrem manifestum, quòd etiam calidius. Talia autem cum sint, quin à se vicißim patiantur, nefas: quemadmodum à calido, quod longè excellit, remiße calidum.

Quarta argumentatio ex verbis ipsiusmet Democriti ducta. Concedebat enim ille corpuscula quædam aliis quibusdam esse maiora, idcircoque etiam grauiora; ex quo sequebatur etiam corpuscula globosa, quò maiora essent, eò etiam esse calidiora. Ecquid enim causæ afferri queat, cur aucta mole crescat grauitas, & non calor? Maiora igitur sunt calidiora; minora minus calida. *Talia autem cum sint*, cum ex atomis alia sint calidiora, alia minus calida, *quin à se vicissim patiantur nefas*, necesse est, vt à se vicissim patiantur, quoniam à calidiore minus calidum omnino pati necessarium est; quod assiduè experimur; ergo atoma ita sunt comparata, vt vnum ab altero pati debeat; quod tamen illi negabant.

Tex.Com.67. *Præterea verò, si durum est; etiam molle; molle autem iam idcirco dicitur, quòd aliquid patiatur. Cedens enim est molle.*

Quinta argumentatio. Si durum conuenit atomis, quod illi non negant; profectò mollicies etiam conueniat oportet. Nam quemadmodum diximus, si vnum ex contrariis in rerũ natura locum habet, & alterum habere debet: in eodem autem genere contraria continentur. Ergo si atomum aliquod est molle; molle autem patitur; sequitur, vt aliquod etiam atomum patiatur. Minor iam confirmata est. Maior ex definitione mollis patet, dicitur.n. molle, quod facilè cedit; Cedere autem est pati aliquid.

Tex.Com.68. *Atqui absurdum etiam est, si præter solam figuram nihil quicquam conueniat; aut si conueniat, vnum duntaxat; veluti hoc quidem durum, illud autem calidum; non enim vna quædam fuerit ipsorum natura.*

Sexta argumentatio. Figura est species quædam qualitatis; quarta enim censetur. Quòd si illi atomis tribuunt quartam speciem qualitatis; cur non, & reliquas tribuunt multò priores? Cui enim inest posterius, eidem inesse prius rationi consentaneum est, præsertim in iis, quæ principia sunt, qualia illi atoma ponebant; sed atomis apud illos conuenit posterius, id est quarta species qualitatis; ergo & priores conuenire debebant. Verùm isti concedunt aliquam etiam ex prioribus speciebus conuenire; nam hoc quidem esse calidum, illud autem durum; sed & hoc absurdum, *si conueniat vnum duntaxat*, si aliquid præter figuram concedatur atomis, vnum tantum ex contrariis concedi, ita, vt hoc quidem definitè sit tantùm calidum, illud autem definitè durum duntaxat. Nam si ita se res habeat, *non vna quædam fuerit ipsorum natura*, non eadem atomorum natura, & substantia erit; quod tamen ipsi plerunque affirmabant; ergo res illo pacto se habere non potest. Connexi veritas facilè apparet. Nam si hoc corpusculum potest suscipere vnam affectionem, quam illud non potest; certè diuersæ ipsorum facultates, ac naturæ sunt. Sic dicimus materiam cœlestem, esse alterius naturæ à materia rerum inferiorum, quoniam hæc multas affectiones excipit, quas illa excipere non potest.

Similiter quoq; nefas, si plura vni. Indiuiduum enim cum sit, in eodem affectiones habebit. Quamobrem si patiatur, vt si refrigeretur, eadem etiam ratione aliud quiddam efficiet, aut etiam patietur. Quod idem de reliquis etiam affectionibus intelligi volumus. In idem enim æquè sese induunt, & qui solida, & qui plana indiuidua ponunt; neque enim rariora, neque densiora fieri licet; cum in indiuiduis non adsit vacuum.

Tex.Com.69.

Septima argumentatio. Si illi ponant, quod aliquando cogebantur, vni atomo plures in esse posse affectiones; non minus vrgebuntur. *Indiuiduum enim cum sit, in eodem affectiones habebit*, quoniam est indiuiduum, atque omnino vniforme *in eodem*, id est eadem planè ratione, atque facultate omnes illas plures affectiones excipiet.

Quamobrem

Quamobrem si eadem ratione, atque facultate, quâ calorem habet; habet etiam humôrem & mollitiem, & frigus; eadem etiam rōe, quâ per vnum qualitatem patitur, vt cum refrigeratur, eadem inquam planè ratione,& facultate etiam per aliam qualitatem efficiet,vt exempli causa simul calfaciet, *aut etiam patietur*, aut eadem ratione, qua refrigeratur, humefiet etiam, & exsiccabitur. At eandem rem per eandem facultatem refrigerari, & calfacere, & humectari, nefas est euidentius; quàm vt confutationem desideret. Quod autem de refrigeratione diximus, inquit Aristoteles, ad alias affectiones transferri potest. Omnino enim si corpus atomum ponatur vniforme, ac pluribus tamen præditum qualitatibus, ex quibus effectio, & perpessio prodeat; absurditas ista consequatur oportet. Quare in eandem etiã sese induit Plato ponens superficies indiuiduas; concedere enim cogitur, per eandem facultatem efficere, & pati. Nam si atomi possent fieri rariores, & densiores, dicere fortasse possent atomum ipsam non esse vniformem; quare vna quidem parte, vt exempli causa, rariore excipere calorem, altera autem densiore frigus. Nunc cum id neque à Leucippo dici queat, qui rarius id,inquit, quod plus vacui obtinet, densius,quod minus (in atomis autem nullum adest vacuum) & multò minus, supple tu, à Platone, qui superficiebus illis non tribuebat raritatem, aut densitatem;fateantur necesse est, idem eadem ratione plura efficere, & simul plura pati. Verùm, vt ad Leucippum, & Democritum reuertamur, iactantur illi quidem mirabiliter: nam neque carere affectionibus ista indiuidua possunt ob rationes à nobis initiò allatas, neque vnam tantum habere, neque plures. Quare credendum est falsam omnino esse illorum opinionem. Verùm si adhuc dubitas, audi sequentia argumenta.

Præterea illud quoq; absurdum, parua quidem esse indiuidua: magna autem minimè. Nunc enim rationi congruenter maiora franguntur magis, quàm parua: hæc enim, magna inquam, dissoluuntur facilius, quia in multis offendunt. Indiuidua autem omnino esse, cur paruis potius, quàm magnis conuenit? Tex.Com.70.

Octaua argumentatio. Dicunt isti corpora indiuidua esse parua. Nos autem quærimus, ecquid sit, quòd non item magna esse queant. Si aliquam istius rei rationem afferunt, audiamus; sin minus, iam satis constare potest, commentitiam esse opinionem, non autem ex ipsa rerum natura ductam. *Nunc enim*, quasi dicat: si nos interrogemur, qui nullum suapte natura indiuiduum corpus ponimus, cur maiora franguntur magis, quàm parua: rationi congruenter istud euenire ostendemus. Magna enim *in multis offendunt* in multa diuidentia incurrunt; parua autem facilè effugiunt, ac præterlabuntur. At apud istos, qui non propter paruitatem, sed suapte natura omnino indiuidua corpora statuunt, *cur istud paruis magis, quàm magnis conuenit*, cur esse indiuidua, parua magis possunt, quàm magna?

Præterea vtrum omnium illorum solidorum vna natura est: an differunt altera ab alteris; quemadmodum, si hæc quidèm sint ignea, illa autem mole terrea? Nam si vna omnium natura: quid fuit secernens? vel quam ob causam sese tangentia non fiunt vnum, vt cum aqua aquam tetigerit? Nihil enim differt posterius à priore. Sin altera; qualia hæc; ac perspicuum sanè est, hæc potius ponenda esse principia, & causas eorum, quæ eueniunt, quàm figuras; Præterea autem cum naturâ differant; sese mutuò tangentia efficient sanè, & patientur. Tex.Com.71. Tex.com.72.

Nona hæc argumentatio est. Statuant, inquit, aliquando vtrum velint vnam, atque eandem omnium atomorum esse naturam, an vnum ab altero differre; ita vt hoc quidem exempli causa sit igneum, illud autem terreum *mole*, id est totum ipsum terrenm, & illud totum igneum. Vtrouis enim modo asseuerint; non deerit, quid illis obiiciamus.

Nam si vna omnium natura est, ita vt planè sint vniformia, atque vniusmodi, ***quid fuit secernens*** ? quasi dicat, quæ eiusdem naturæ sunt, libenter coniuncta manent. Ostendendum igitur erat, quid illa discreuisset, & separasset, ***vel quam ob causam sese tangentia non fiunt vnum, vt cum aqua aquam tetigerit*** ? Quæ sunt eiusdem naturæ, si se taogant, ita fiunt vnū? vt ***posterius nihil differat à priore***, id est omnes partes simillimæ sint, & totum ipsum vniforme appareat; quemadmodum cum aqua additur aquæ, & ignis igni. Ergo si atoma coe pora sunt vnius naturæ; si coniungantur, vniforme qoiddam, & vniusmodi corpus prodeat oportet. Vnde igitur tanta rerum varietas, quantam cernimus? ***sin altera, qualia hæc.*** Si asserant atoma differre inter se, ita argumentabimur: ***hæc***, id est quæ differunt, & altera snnt; sunt qualia.i. operà qualitatum differunt. Atoma per vos differunt, ergo sunt qualia. Si antem sunt qualia; rationi consentaneum est, esse initia, & causas rerum, quæ fiunt, potius quà sunt qualia, quàm quà sunt figuris prædita: Figura enim nullam efficientiam habet, qualitates autem habent. ***Præterea autem cum natura differant, sese mutuò tangentia efficient, & patientur*** si qualitatibus differant, fiet, vt se tangentia in sese vicissim agant, & patiantur, atque ita minimè sint impatibilia. Quæ eoim differunt qualitatibus; subiecto sunt vnum, formis autem, & qualitatibus opposita. quæ autem subiecto suot vnum, qualitatibus autem opposita; aptissima suot ad effectionem, & perpessionem mutuam, cum se tetigerint, vt antea docuimus; ergo quæ differunt qualitatibus, cuiusmodi iam statuimus esse atoma, erunt aptissima ad mutuam effectionem, & perpessionem, cum se tetigerint. Minor qnidem, illa quæ differunt qualitatibus esse vnum subiecto, ita clara est, ita sensui patet, vt nihil sit opus confirmatione.

Tex.Com.73. *Præterea, quid nam illud, quod mouet? Nam si alterum, patibilia; sin vnumquodq; seipsum: vel diuiduum erit, alia quidem parte mouens, alia autem*
Tex.Com.74. *motum, vel in eodem quà idem, contraria inerunt: Et materies non solùm numero vna erit, verùm etiam facultate.*

Decima argumentatio. Mooeri corpuscula, & per inane assidoè ferri inqniunt. Adsit igitur mouens illa oportet. Hoc mouens, aut erit ***alterum***, id est diuersum ab ipsis atomis, & sic atoma erunt patibilia; quippè cum ab isto altero patiantur, vel ***vnumquodque se ipsum***, vel quodlibet corpusculum mouebit seipsum. Quòd si moueat se ipsum, aut vna quidem parte mouens erit, altera motum, sicque diuidunm, & non vniforme erit, qnod illi negabant, ***aut in eodem quà idem contraria inerunt***, aut si partibus careat, ac totùm ipsum se ipsum moueat, certè contraria in eodem, quà idem, inernnt, mouere scilicet & moueri, efficere, & pati. Quod omnibus pntamus visum iri absurdissimum. Materia enim vna qnidem numero est, vt primo phy. est ostensum, verùm facultate multiplex. Quòd si idem, quà idem, posset contraria excipere; certè materia non tantnm nnmero, sed etiam facultate vna esset.

Quicunque igitur per motum meatuum inquiunt existere affectiones: si qui-
Tex.Com.75. *dem oppletis etiam meatibus: superuacanei meatus. Nam si ita vniuersum patitur: etiam si meatibus careat, sitq; continuum; eodem patietur modo. Prate-*
Tex.Com.76. *rea autem qui cernendi munus eo pacto obiri poterit, quo ipsi dicunt? neq; enim licet tactibus perspicua transmeare, neq; meatus: si vnus quisq; oppletus est. Quid enim differt ab eo, quod meatibus caret? Vniuersum enim similiter plenum erit.*

Satis quantnm ad præsentem tractationem pertinebat, corpuscula illa indiuidua propulsauimus; quæ si admitterentue, vniuersam efficieodi, & patiendi rationem conturbari necesse erat. Nunc igitur animo quasi solutiore modos illos efficiendi, & patiendi, qui à veteribus proponebantur, considerare poterimus; Ac primum Empedoclis opinionem considerare aggrediamur; qui, vt diximus, effectionem, & perpessionem exerceri putauit, ingredientibus efficiensibus per meatus patientium, atque hoc pacto, ***per motum meatuum, existere affectiones*** intercedente motione illa, quæ per meatus fieret, exoriri in corporibus patibiles qualitates. Verùm essent ne isti meatus aliquo oppleti corpore, an inanes, nec statocre ausus est, nec planè potest. Nam si oppletos statuat; superuacanei sunt meatus. Nullam .n.

aliam

aliam ob causam induxit meatus, nisi, vt efficientibus aditum præberent. At si sunt oppleti, nihilo plus aditum præbere queant, quàm si totum ipsum meatibus careret, essetque continuum, minimè discretum meatibus. Ergo *si ita vniuersum patitur, etiam si meatibus careat, eodem patietur modo*, si res patitur per meatus oppletos, etiam si meatibus careret, nihilominus esset accommodatum ad patiendum. Quid enim differt, sit ne vniuersum plenum, & continuum, an distinctum meatibus plenis? Id autem, quod vniuersè obiicimus, possumus etiam de ratione cernendi speciatim obiicere. Putabant enim isti, tuoe oos cernere, cum res quæ cernendæ sunt, per meatus aëris, & oculi ita pertransirent, vt tandem tangerent vim ipsam, & facultatem cernendi. At si vnusquisque meatus oppletus est *non licet tactibus perspicua transmeare, neque meatus*; fieri non potest, vt per ea, quæ se tangunt, nempè corpus continens meatum, & corpus in meatu contentum, vt exempli causa, corpus oculi, & corpus opplens meatus oculi, res cernendæ valeant *transmeare*, æque.n.faciliter transmeare reli qua omnia corpora, ac perspicua, & meatus posseot. *Vniuersum enim similiter plenum erit*, æque enim plenum est corpus aliquod meatus oppletos habens, ac si meatibus careret. Quare si res cernendæ non possunt permeare corpus plenum, & meatibus carens; neque per meatus etiam oppletos transire poterunt.

Sin autem vacua ista fuerint, necessariò autem in ipsis corpora contineantur idem rursus sequetur. Quod si tantula magnitudine sint, vt nullum capere corpus queant; ridiculum sanè est, exiguum quidem existimare vacuum esse, magnum autem minimè, quantuncunque sit, aut vacuum aliud quippiam censere, quàm regionem corporis. Quamobrem constat omni corpori æqualem fore vacui molem. Omnino autem meatus inducere superuacaneum est. Nam si nihil efficit tactu; neq; per meatus transiens efficiet; quòd si tactu; quàmuis meatus non adsint, hæc tamen patientur, illa efficient, eorum scilicet, quæ ita inter se mutuò sunt comparata. Ex his igitur satis constat meatus eo modo, quo à nonnullis afferuntur, aut falsò, aut frustra afferri. Quòd si corpora sunt omnino diuidua, ridiculum poros inducere. Quà enim diuidua, possunt separari.

Meatus isti Empedoclei aut sunt semper oppleti, & omnino; aut vacui sunt, sed tamen necessariò corpore referti sunt, si non omni, saltem multis ex partibus; aut tantula sunt magnitudine, vt omnino vacui sint, nullumque excipere queant corpus. Quòd minimè oppleti omnino esse queant, iam ostendimus; quòd autem non sint vacui, aliqua tamen ex parte referti corpore, ex eo ostendere possumus, quòd idem ferè, atque prius absurdum sequatur. Cur enim ponis refertos, si impedituri sunt? Nam si quod plenum est, aditum non præbet, meatus autem à te inducuntur, vt aditum efficientibus præbeant; certè nulla ex parte oppleti poni debebant. Quà enim oppleti, eatenus non sunt meatus. Quòd autem non sint omnino vacui, sed valdè exigui, ità palàm facit Aristoteles, inquiens, ridiculum esse ponere exiguum vacuum, & non magnum; cum vacuum nihil aliud sit, si modò est, quàm regio corporis, id est apta ad capiendum corpus. Regio autem corporis, quà regio est, non magis paruitatem, quàm magnitudinem requirit; sed si magnum corpus, magna illud capiens regio sit oportet; si paruum, parua. Quare omni corpori æqualis tribuenda est vacui moles. Cum igitur vacuum tàm possit esse magnum, quàm paruum, & multò melius res procedat, id est commodius, ac facilius efficientia ipsa, & res, quæ cernuntur, ingredi queant per amplum, quàm per angustum meatum; ecquid causæ est, cur non statuantur isti meatus omnino vacui, & magni? quod tamen illi non faciebant. Reclamabat enim sensus, qui ostendit omnem regionem esse plenam; quare illi paruos meatus inducebant, vt possent dicere falli sensum ob illorum paruitatem. Sed vniuersè iam nullam istorum meatuum esse necessitatem, superuacuosque planè esse ostendamus. Nam aut quæ se tangunt, possunt mutuò efficere, & pati, aut non possunt. *Si nihil tactu efficit*, si quæ se tangunt, non possunt aliquid efficere; *neq; per meatus transiens efficiet*; meatus enim nihil præstat aliud; quàm vt ingressum præbeat efficienti, quo possit tangere ipsum patiens. *Quod si tactu*, si enim quòd se res tangant, mutuò efficiunt, & patiuntur, *etiam si meatus non adsint, hæc tamen patientur illa efficient*, potest enim persæpè res rem tangere sine vllo meatu, vt ignis manum Scæuolæ; dummodo

dummodo hanc à natura vim insitam habeant. Ergo meatus eo modo, quo ab istis inducebantur (longè enim alia ratione ponuntur interdum à nobis necessarii, vt gula, & arteria; quò.s.efficiens queat accedere, ac tangere patiens illud, quod in profundo locatum est) meatus, inquam, ab istis inducti *aut falsò afferuntur*; quoniam vacuum nullo pacto locum habet in rerum vniuersitate, *aut frustra*; Si fortè oppleti ponantur, atque etiam, quoniam nihil conferunt ad efficiendum, & patiendum; nisi tactu aliquid efficiatur, vt ostendimus. Quòd si corpora sint omnino, & quoquo versus diuidua, vt certè sunt; multò magis adhuc frustrà ac ridiculè isti meatus in corpore insiti statuentur. Nam poterit efficiens cum accedit ad patiens, illud diuidere, ac sibi tunc meatus parare; quò altius promouere suam effectionem queat; quod etiam sensu ipso euenire deprehendimus: ignis.n.cum ad cutem accedit, illam paulatim diducit, ac sibi viam ad profundiores partes lacessendas struit. Omnino autem diuidua quà diuidua, tametsi nullos habeant insitos meatus, separari ac diduci queunt.

QVÆSTIONES IN OCTAVVM CAPVT.

1 Quomodo indiuidua Platonica finitis essent prædita figuris ex tex. lxiii.

2 De grauitate, & leuitate, sint ne substantiæ, an accidentia; ac de duricie, & mollitudine, conueniant ne simplicibus corporibus, & vtrum primæ, vel secundæ qualitates sint ex commen. Auerrois lxv.

3 An indiuiduum patiatur ex tex. lxiiii.

1 Quomodo indiuidua Platonica finitis essent prædita figuris ex tex. lxiii.

SCribit Aristoteles indiuidua Platonica finitis esse prædita figuris: Videbatur autem potius dicendum tantum vnà, quandoquidem plana, quæ à Platone principia statuebantur, omnia triangula erant. Verùm aut cum dixit finitis, vnà voluit intelligi Arist. (satis enim ipsi fuit distinguere quoquomodo sententiam Platonis, à sententia Leucippi) aut spectauit etiam ea, quæ primo ex planis effecta cæterarum deinde rerum initia, & elementa esse debant. Hæc enim quinque figuris prædita erant, pyramide, cubo, octo laterum, duodecim laterum, viginti laterum figura. Quæ autem à Philopono in com. cxvii. aduersus indiuiduas magnitudines ex iii. & iiii. libro de cœlo afferuntur, nihil causæ esse duximus, cur nunc à nobis recenseretur. Nam, & illorum librorum propria sunt; & vt ad hunc locum aliquantulum pertineant, ab ipso Philopono dilucidè exponuntur. In com. autem cxviii. dignissimam, quæ accuratè tractetur, quæstionem proponit, Vtrum formæ mistorum corporum sint effecta temperamenti, quod videntur Medici censuisse, an temperamentum quasi materia sit, causa autem efficiens sit quiddam multò præstantius; præterea cur si plures affectiones ab eodem temperamento proficiscuntur, vt à temperamento vini color rubeus, & dulcedo, vna tamen deletur, vt dulcedo, altera incolumis remanet, vt color. Verùm hæc multò commodius explicatum iri secundo libro credimus; vbi iam vniuersa mistionis, ac temperamenti vis, & natura patefacta fuerit.

2 De grauitate, & leuitate sint ne substantia, an accidentia; ac de duricie, & mollicie, conueniant ne simplicibus corporibus, & vtrum prima vel secunda qualitates sint ex commen. Auerrois lxv.

SCribit Auerroes, si calor, & frigus inueniantur in corpusculis illis Democriti indiuiduis, debere etiam inueniri grauitatem, & leuitatem, duriciem, & molliciem. Nam hæ qualitates prius insunt corporibus, quàm calor, & frigus; quod planè videtur significare leuitatem, & grauitatem esse veras formas elementorum, & substantias; nihil enim præter formam prius esse potest primis qualitatibus. Idem autem habetis secundo de anima com. cviii. & iiii. de cœlo com. xx. atque colligi etiam potest ex vii. phy. com. xi. Quapropter Achillinus existimauit grauitatem, & leuitatem, & Auerroi, & veritati congruenter

statuendas

statuendas esse formas elementorum; quod à Græcorum etiam opinione non abhorrere satis ex iis constare potest, quæ in quæstione de formis elementorum attulimus. Contra à Zimara in secunda contradictione pri. phy. & ab aliis multa dicuntur. Accidens vni non potest alteri esse substantia; at grauitas, & leuitas mistis corporibus sunt accidentia; ergo elementorũ substantiæ esse non possunt. Nec verò dubitandum, quin eiusdem naturæ sint in mistis, & in simplicibus, cum vtrobique easdem actiones præstent; nulla autem alia norma formæ rerũ diiudicentur, quàm actionibus. Præterea substantiæ perciperentur sensu; grauitas enim, & leuitas percipiuntur sensu secundo de anima com. cviii. Postremò substantia esset contraria substantiæ, atque intenderetur, & remitteretur; quod absurdissimum putant. Nos istæc argumenta nullius roboris iudicamus. Et quod ad primum attinet, Zimara se ipsum non audiuit, cum in tabulis in verbis illis *grauitas, & leuitas non sunt eiusdem naturæ in simplicibus* censuit Auerroem sequens, grauitatem, & leuitatem non esse eiusdem naturæ in simplicibus, atque in mistis. Verùm hac de re infra dicemus; ostendemusque, si grauitas, & leuitas sint formæ elementorum, non esse omnino accidentia in mistis corporibus. Negare etiã possemus, quod secundo loco afferebatur, grauitatem, & leuitatem percipi sensu; nam sen su percipitur actio ipsa grauitatis, & leuitatis, minimè autem interna illa habilitas. Atqui, vt perciperetur, perciperetur tñ adiuncta certo loco, & tempori, aliisq; singularib. conditionibus, ita vt non pura, atque simplex essentia comprehenderetur, quod mentis, & non sensus munus esse dicebat Aristoteles, quod in eadem quæstione antea ostendimus. Nec verò tertio argumento manus damus; quin maximè necessarium iudicamus formas elementorũ esse contrarias. Omnino Aristoteles cum ad initium quarti de cœlo naturam elementorum tractans notat actionibus non esse imposita nomina, minimè autem id notat in formis, & octauo phy. xxxvii. & alibi semper tribuit motum elementorum ipsi grauitati, & leuitati, tanquàm naturæ; natura autem forma est, eò ferè me adducit, vt credam grauitatem, & leuitatem esse formas elementorum. Quòd si illas secundo horum librorum tex. octauo, & secundo de partibus animalium cap. pri. qualitates nominauit, nullùm inde argumentum sumi potest. Nam differentias etiã substantiæ constituentes vocari qualitates, sæpe nos admonuit. Attamen, si magis placeat esse accidentia, quàm veras formas, dicemus tamen ità esse propinquas naturis formarum, vt illas significare, & nobis ostendere quodammodo queant; quod etiam in patibilibus qualitatibus diximus euenire. Et quamuis patibiles qualitates sint primæ, quod ad agendum, & patiendum à se vicissim pertinet (nam grauitas, & leuitas hoc modo non sunt efficientia secundo de generatione octauo) tamen grauitas, & leuitas sunt priores naturà, si in eodem elemento spectentur. Per has enim ad sua loca feruntur, & in illis quiescunt, qua ratione perficiuntur, & conseruantur. Prius autem vnomquodque se conseruare, & perficere vult, quàm ad aliud agitandum aggrediatur. Quòd igitur proximè ad naturam formæ accedant, idcirco ab Auerroe potuerunt substantiæ nuncupari. Quòd si quinto metaph. xviii. quantitates nominantur, id ex accidente intelligitur. Nam quatenus quantitati coniunctæ sunt, per quantitatis diuisionem diuiduntur, ac per quantitatis accessionem augentur. In maiori enim quanto maior virtus, pri. de cœlo xlvi. & xlviii. & com. xxxiii. Videntur etiam iiii. de cœlo xxvii. ad relationem referri; quod idcirco fit; quoniam istas qualitates sequuntur relationes quædam. Leuitas enim ignis est huiusmodi, vt simpliciter leuitas sit, & comparata cum qualitatibus corporum inferiorum; itemque grauitas terræ simpliciter grauitas, intercedentium autem corporum ad superiora respectu habito grauitas, ad inferiora leuitas. De duricie autem, & mollicie in controuersiam cadere meritò potest, Vtrùm oriantur ex primis qualitatibus; vt scribitur secondo libro tex. x. An potius priores istis sint, quod in præsenti videtur significare Auerroes. Ac sanè, quòd non oriantur ex mistione primarum qualitatum, ex eo intelligi potest, quòd durieies inest terræ: terra verò est elementum, & corpus simplex; quare non semper duricies ex mistione primarum qualitatum prouenire potest. Terram sanè esse duram inde confirmatur, quòd durum est, quod non cedit in se ipsum secundum superficiem quarto meteor. xxix. quod terræ etiam vi detur conuenire. Dicimus in terra potius esse densitatem quandam, quàm veram duriciem, quemadmodum etiam in nullo elemento verè est mollicies; Aristotelis enim definitiones sunt semper intelligendæ pro subiecta materia. Quare cum quarto meteor. de mistis corporibus ageretur, illud durum censendum est; quod cum sit mistum, non cedit in se ipsum secundum superficiem. Adde terram simplicem puluerascere, nisi aqua contineatur, vt in secundo aodies; idcircò non verè esse duram; cedet enim comprimenti, & in puluerem abibit. Verùm densitas ista, aut impropriè dicta duricies terræ, est ne prima an secunda qualitas? Dico secundam qualitatem dupliciter intelligi posse, vno modo eam, quæ oritur ex mistione

Argumenta pro stantia grauitatẽ & leuitatem non esse substantias.

Grauitatem, & leuitatem eiusdem naturæ esse i sim plicibus & in mistis.

Refutatio argumentorum.

Quomodo grauitas, & leuitas sint qualitates, & relationes.

An duricies, & mollicies oriantur ex primis qualitatibus.

stione primarum vicissim in sese agentium, & patientium, cuiusmodi quidem non est duricies terræ; alio modo eam, quæ post alias qualitates sequitur naturam elementorum; atque hoc modo duricies potest vocari secunda qualitas; quoniam formas elementorum prius consequuntur, grauitas, leuitas, calor, frigus, humor, siccitas, quàm duricies, & mollitudo, ac densitas, & raritas. Attamen licet istæ queant secundæ qualitates vocari, quà elementa spectantur, vt efficientia, & patibilia; & posteriores sint calore, frigore, humore, siccitate (nam istæ sunt verè efficientes, densitas, autem, & raritas sunt sociæ efficiendi) tamen si eadem elementa, vt corpora spectentur, sic quanta primum sunt; quantitatis autem rationi coniunctior est densitas, & raritas, quàm frigus, & calor; ideoque quodammodo priores; quod potuit nunc spectare Auerroes, cum asserit, si calor, & frigus in indiuiduis illis Democriticis insint, inesse etiam debere grauitatem, & leuitatem, molliciem, & duriciem; quoniam hæ qualitates illis priores sunt.

Quomodo raritas & densitas sint priores primis qualitatibus.

3. An indiuiduum patiatur ex tex. lxiiij.

ARgumentatur Aristoteles si corpuscula illa sint indiuidua, pati non posse, quod tã & si efficiat ex Democriti, & Leucippi hypotesibus, tamen per se quoq; multò verissimum est, nullum indiuiduum posse pati. Pati enim est moueri. Omne autem quod mouetur, diuiduum esse sexto phy. ostenditur; præterea materia patitur; ea autem semper quantitatem habet adiunctam. Dubitant tamen nonnulli ex Latinis ob mentis naturam, quæ indiuidua est, ac tamen patitur, intelligere enim est pati. Cæterùm impropriam esse istam perpessionem, istumque motum iam diximus; quare non est, quòd hac in re longiorem ponamus orationem. De superficie autem, quæ secundum crassitiem indiuidua est, ac tamen coloratur, quinimò de puncto superficiem terminante, quod & ipsum videtur colorari, & in quo tanquàm in centro ex radiis Solis à cauo speculo reflexis, vt Perspectiui dicunt, aliquod corpus accenditur, ità vt punctum illud, & centrum substinere incensionem videatur; de corpore difformiter, vt aiunt, calido, quòd definiunt, cuius nullum punctum est æqualis caloris cum alio, facilis responsio est: indiuiduum per se non patitur, sed rei diuiduæ coniunctam, ipsum quoque ex illius perpessione patitur. Ita superficies, & punctũ colorantur, & calfiunt, & refrigerantur; accenditur autem corpus ex radiis reflexis non in verè indiuiduo puncto, sed in magnitudine quadam ita exigua, vt punctum dici queat; quo modo etiam intelligenda est definitio corporis difformiter calidi: Illud enim tale est, cuius nullum punctum, id est nulla pars sub sensum cadens est æqualis caloris cum alio; nam si secus intelligatur, non naturali philosopho, sed sophystis, & nebulonibus digna definitio est.

Caput IX. Tex. Com. 77.

QVOMODO Autem rebus conueniat generare, & efficere, & pati, dicamus nos, initium illud, quod sæpè attulimus sumentes. Nam si hoc quidem potestate est, illud autem actu tale: Idoneum autem est, non hac quidem parte pati, illa autem minimè, sed vndequaque quà tale est, magis tamen, & minus, quà magis, & minus tale est: & hoc sanè modo rectius quis meatus induxerit: prout in metallis eius, quod patibile est, venæ continuæ protenduntur.

Falsas de ratione efficiendi; & patiendi opiniones explosit; in ratione autem efficiendi, & patiendi, etiam generatio continetur, id est mutatio in substantia (ideircoque illius etiam mentionem facit Aristoteles) quoniam & si effectio, & perpessio propriè ad qualitates pertineant; tamen mutatione qualitatum, & alteratione mutatur tandem substantia. Alienis igitur sententiis, quasi spinis ex agro euulsis veram inserit, initium illud alibi sæpè, vt in libris phy. in hoc ipso, in libris de partibus positum sumens; aliud, inquam, esse potestate tale, vt calidum, aliud, actu calidum. Pati autem vnũ quodque quà potestate est; neque vna tantum aliqua parte pati, altera autem non pati, *sed vndequaque, quà tale est*, vniuersum, quà potestate est, *magis tamen, & minus, qua magis, & minus tale est*, esse tamen aptius, vel minus aptum ad patiendum, quâ magis, vel minus potestate est; magis enim apta quercus est, quæ patiatur ab igne, quàm lapis, quoniam quercus maiorem potestatem habet perueniendi ad naturam ignis, quàm lapis. Hoc igitur tanquàm initium, & fundamentum ponatur; quod & si alibi, vt diximus, positum est, tamen hic clarius quodammodo est expressum

sum. Alibi.n.diximus pati res quæ potestate tales; nunc nō modò istud, verum etiam addimus (ac ferè semper repetens Aristoteles addit aliquid) magis potestate talem, magis etiā esse idoneam ad patiendū: regula.n.topica est, vt simpliciter, ad simpliciter, ita magis ad magis, & maximè ad maximè; vt si calidum calfacit, magis calidum magis calfacit, maximè calidum maximè. Hoc ità constituto, sequitur hoc modo à nobis rectè posse meatus iuduci, si totius corporis patibiliores partes velimus meatus appellare; prout in metallis *eius, quod patibile est*, id est ex parte illa ad patiendum aptiore, emergunt quædam quasi venæ, quæ continenti ductu per metalla protenduntur. Has igitur venas liceat sanè meatus nominare.

Consitum igitur vnum quodq; & vnum si sit, impatibile: itemq; illa, quæ non tangunt, neq; per se ipsa, neq; per alia, quæ ad efficiendum, & patiendum sint idonea. Ignis, exempli causa, non solum tangens calfacit, verùm etiam si longè abfuerit. Aërem enim ignis, corpus calfacit aër: quippè cum idoneus sit ad efficiendum, & patiendum. Tex.com.87.

Quæ efficiunt, & patiuntur neque omnino *Consitum*, id est continuum quiddam esse debent; ac si vnumquodque vnum, atque vniforme esset, esset impatibile (neque enim pars ignis in reliquas partes agit) neque omnino debent esse distracta, vt efficiens nullo pacto tangat patientia, *neque per se ipsa*, id est proximè, & ἀμέσως, neque intercedentibus aliis, quæ ad efficiendum, & patiendum sint idonea, patiendum quidem ab ipso efficiente, efficiendū autem, & agendum in sibi proximum corpus. Ergo efficiens, & patiens, aut tangant se oportet, aut saltem, quæ interiiciuntur intermedia, eiusmodi naturæ sint, vt pati ab efficiente possint, & agere in proximum sibi corpus. Hoc pacto ignis à nobis distans intercedente aërę potest nos calfacere; quoniam scilicet aër idoneus est, qui ab igne patiatur, caloremque accipiat, ac deinde efficiat, & procreet calorem in nobis; At si inter ignem, & nos murus intercederet, non calfaceret nos ignis, quòd interiectum corpus non est satis accommodatū ad istam operam præstandam, ad patiendum, inquam, ab igne, & agendum in nos. Attende autem, quemadmodum in categoriis prima substantia per negationes describitur, exempla autem locum affirmationis habent, ita nunc conditionem efficientis, & patientis per negationem primum significari; nam neque omninò vnum, neque distracta esse debent; deinde exemplo ignis patefieri per affirmationem. Ignis enim efficit, aut tangens, aut vsus operâ intercedentis corporis, quod sit ad efficiendum, & patiendum accommodatum.

Quantum autem ad illud pertinet, partim ne res patiantur, partim minimè: idem quod initio constituimus, dicendum. Nam si magnitudo non est omniquaq; diuidua, sed est corpus, vel latitudo indiuidua, nihil fuerit omniquaq; patibile, neq; etiam continuum. Sin hoc falsum est, & omne corpus diuiduum, nihil sanè refert, sint ne diuisa, ac se tangant, an diuidua sint. Nam si per tactus disiungi possunt, vt nonnulli inquiunt, quamuis diuisum adhuc non sit, tamen diuisum erit. Pote enim est diuisum esse. Nihil.n.sequitur, quod nefas sit. Tex.com.79.

Diligenter antea in nostro fundamento iaciendo notauimus, quod potestate est, vniuersum pati, minimè autem parte alia pati, parte alia non pati. Cur id cauerimus, nunc rationem reddit Aristoteles. Tota autem, inquit, hæc res pendet ex eo, quod initio constituimus, nullam scilicet esse indiuiduam magnitudinem. Nam si magnitudo non esset vsqnequaque diuidua, sed esset aliquod corpus indiuiduum, vt putauit Democritus, vel latitudo, & superficies, vt Plato, *nihil fuerit omniquaque patibile*, nullum ex concretis, & compositis corporibus omni ex parte pati poterit; quoniam indiuidua illa concretum corpus constituentia pati nequeunt; sed in meatibus fortasse, & ea ex parte, qua se tangunt, *neque etiam continuum*, quoniam ex indiuiduis coniunctis non potest fieri continuum corpus; nam & ipsa quoque indiuidua tunc forent diuidua; quandoquidem continuum vbique pariter diuidi pōt. Sin hæc opinio à veritate longè abhorret, *& omne corpus diuiduū* (supple tu, vsquequaq; ita vt neq; corpus vllū, neq; superficies sit indiuidua, *nihil sanè refert, sint ne diuisa, ac se tangant*, vt illi censuerunt, *an diuidua sint*, ao possint diuidi, licet minimè adhuc diuisa actu sint.

Nam si per tactus disiungi possunt, vt nonnulli inquiunt, si ab efficiẽte idcirco disiungi possunt, quoniam cum diuisa essent, se tangebant, vt inquit Plato, *quàmuis diuisum non sit, tamen diuisum erit*, id est non minus commodè dicere nos poterimus, quâmuis corpus ante efficiẽtis aduentum diuisum non sit, tamen cum efficiens, ac diuidens aduenerit, diuisum iri. *Potte enim est diuisum esse. Nihil enim sequitur, quod nefas sit*, quod est diuiduũ, quale nos omne corpus ponimus, si ad actum traducatur, ita vt diuisum sit, minimè mirandum est. Ergo cum diuiduum vsquequaque ponamus, idcirco etiam vsquequaque ponemus patibile; id.n. quòd facile ex dictis colligatur, Arist. suo more proferre omisit.

Omnino autem sic scissis corporibus exerceri, absurdum. Tollit enim hæc oratio
Tex.Com.80. *alterationem. Cernimus autem idem corpus manens continuum, interdum quidem humidum, interdum autem congelare, non id diuisione, aut compositione patiens, neque τροπῇ, καὶ διαθιγῇ, vt inquit Democritus: non enim transpositum, aut mutans naturam ex humido durum congelando fit: neque nunc dura, & quæ congelarunt, sunt mole indiuidua. Sed similiter vniuersum humidum,*
Tex.Com.81. *interdum autem durum est, & congelat. Præterea autem neque accretionem, ac diminutionem tueri licet: Non enim quodcunque erit maius factum, siquidem erit additio: nec vniuersum mutatum, vel admisto aliquo, vel per se mutato.*

Declarauit æquè nos tueri posse effectionem, & perpesſionem, si diuiduum vndequaque corpus sit, atque illos, qui actu diuisum ponunt. Verùm, inquit, non par item cæteris in rebus est nostra, atque illorum conditio. Nam nos optimè tuemur alterationem, & accretionem, & motum omnem; ipsi vero nequaquam; quin valdè absurdum est *sic scissis corporibus*, id est indiuiduis magnitudinibus ita se tangentibus, vt non tamen vnum euadant, sed diuisa remaneant, *exerceri*, supple tu, effectionem, & perpesſionem. Tolletur enim primũ alteratio. Si quidem tunc propriè corpus alterari cernimus, cum manens continuum nullã patiens diuisionem, aut compositionem, nullam τροπὴν καὶ διαθιγὴν, id est nullam mutationem ordinis, & situs (hoc enim illis doricis nominibus sibi volebat Democritus) mutatur tamen in qualitatibus; vt aqua, quæ primò erat humida.i.diffluens, & non apta suis terminis coërceri, congelat, & dura fit. Nullo.n.pacto tunc transpònitur aquæ corpus; nullo pacto mutat naturam; quinimo facillimè ad pristinum redibit humorem. *Neque nunc dura, & quæ congelarunt, sunt mole indiuidua*, neque dicendũ est, sensus .n. repugnat, cũ aqua ex fluente fit dura, remansisse tantum indiuidua efficientia duritiei, abiisse autem efficientia molliciei, *sed similiter vniuersum humidum*, sed idem vniuersum euidenter interdũ humidũ est, & fluit, interdum conglaciat, & durum fit; humidum autem pro fluente, & liquido accipi in secundo audies. Deinde autem neque accretionem, & diminutionem tueri poterunt. *Non enim quodcunque erit maius factum*. Aliud est additio, aliud accretio. In accretione quamlibet partem creuisse oportet, pro ut etiam in diminutione omnem decreuisse; at in additione satis est totam molem ampliorem esse factam; quàmuis non omnes partes creuerint. At si magnitudines indiuiduæ constituant corpora hæc; certè cum ipsæ crescere nequeant, impatibiles.n.& immutabiles sunt, nõ omnes horum corporum partes crescent, & factæ erunt maiores; quare erit additio, *minimè autem vniuersum mutatum*, minimè quælibet pars erit mutata, & aucta, *vel admisto aliquo*, quo pacto fit accretio, fit enim ob admistionem alimenti, *vel per se mutato*, vel omnino toto ipso conuerso in aliam naturam sine vlla admistione, vt cùm aqua conuertitur in aërem. Tunc enim vniuersum per se mutatur; quoniam singulæ prioris corporis partes fiunt ampliores. Quàmuis autem hæc aquæ in aërem conuersio minimè fit accretio, sed interitus & generatio, tamen eam Aristoteles sibi significandam putauit, vt ostenderet, neque huius generationis, cum ex angustiore corpore fit amplius, ita vt vniuersum, omnesque eius partes mutentur, posse ab illis rationem afferri.

Quòd igitur sit generare, & efficere, & gigni, & pati à se vicissim, & quo pacto licet, & quòd eo, quo quidam asserunt, non licet, ita sit constitutum.

Epilogum

Epilogum huic capiti suo more apponit Aristoteles, inquitque constitutum a se esse, tum reperiri in rerum natura vim generandi, & efficiendi, itemque facultatem patiendi, & qua gignantur; tum quomodo reperiatur. Quod quidem isthaec sint, non ex proposito est actum: sensu enim ipso satis compertum erat esse generationem, effectionem, perpessionem, sed dum ostenderemus, quomodo vere effectio, & perpessio exerceatur, tangentibus scilicet illis sese, quae materia conueniunt, qualitatibus pugnant, ac tota materia patiente; atque dum indiuiduas magnitudines exploderemus, quae omnem veram efficiendi rationem, & patiendi tollebant; simul quoque confirmauimus esse in rerum natura generare, & efficere, gigni & pati; Nam cum ista definierimus, definitio autem iis tantum conueniat, quae reuera sunt, ista quoque sint oportet. Sic alibi notauimus pri. phy. dici, traditum esse quod sint principia, & quot, & qualia. *Generare, & efficere*, vel idem significant, itemque *gigni*, & *pati*. Nam omnis effectio, est generatio communiter sumpta, itemque omnis generatio est effectio; vel quamuis generatio ad substantiam pertineat, effectio potius ad qualitatem; tamen, vt antea diximus, cum substantia prius extendi ex materia per generationem minime queat, quam qualitatibus quibusdam certis afficiatur, idcirco stabilita efficiendi & patiendi ratione simul quoque generatio stabilita est. Philoponus autem legit τί, τι, & ita interpretatur. *Quid igitur sit generare, & efficere*, quae verba aptissimam sententiam habent. Referuntur enim ad definitionem, quae explicat notionem (Diximus enim efficere esse mouere ad qualitatem, pati autem moueri) reliqua autem verba ad causas pertinebunt, quibus intercedentibus potest exerceri effectio, & perpessio, similitudine. s. ac dissimilitudine efficientis & patientis, facultate materiei, vi ipsius formae, & qualitatis. Non solum autem, quid vere sentiendum sit exposuimus, verum etiam declarauimus eo modo *quo quidam afferunt*, id est ingredientibus efficientibus per meatus, aut per inane, non licere exerceri effectionem, & perpessionem.

QVÆSTIONES IN NONVM CAPVT.

1 An sint meatus in corporibus latentes sensum ex commentario Philoponi cxxvi.

2 An efficiens possit esse continuatum patienti ex tex. lxxviii.

An sint meatus in corporibus latentes sensum ex com. Philop. cxxvi.

QVod scribit Aristoteles meatus vocari posse partes corporum patibiliores, significare videtur non esse poros, & meatus veros in corporibus sensum latentes; quod tamen necessario confitendum est. Cutis. n. habet meatus, per quos sudor transit: Medici exhibent medicamenta ad laxandos, vel adstringendos meatus; Pannum lineum infusum in aqua, aquam imbibit; neque in partibus solidis, ne corpora sese penetrent; ergo in meatibus. Conatur haec dissoluere Philoponus, inquiens in transitu sudoris diuidi cutem, ac rursus coniungi; Medicos hoc agere, vt cutis, vel rarior, vel densior fiat; rarior enim facta facilius diuiditur, atque aditum praebebit corporibus exeuntibus; densior autem difficilius; Linum madefieri, aut appositione humoris circa villos illius, non circa substantiam, aut sibi impertito humore ab aqua; quo pacto aqua ab igne calefit. Verum responsio non satis firma. Nam si sudore exeunte cutis diuideretur, id sine dolore euenire non posset; ac nullam tamen sentimus molestiam. Pannum autem lineum maximam imbibit aquae quantitatem; quod, si exprimatur, constat; non ergo tantum villis appositio facta est, neque tantum qualitas communicata. Atque omnino Aristoteles xi. sect. problem. lxi. illam causam affert, quamobrem post parietem non quidem cernamus, sed tamen audiamus, quod aspectus fiat per meatus rectos duntaxat, auditio autem, & per rectos, & per obliquos. Quid igitur nunc sibi vult Aristoteles? Illud scilicet, quamuis sint meatus in corporibus, tamen non ab istis meatibus pendere effectionem, & perpessionem, ac diuisionem, sed ex innata corporibus facultate; praeterea meatus isti sunt semper aliquo corpore referti, vt aëre, qui facile tamen pellitur, aut sibi impressas qualitates facile communicat; quare meatus isti vocari queunt patibiliores corporis partes.

3 *An efficiens poßit esse continuatum patienti ex tex. 78.*

Scribit Aristoteles hanc in efficiente conditionem postulari, vt minimè continuatum patienti sit, sed tantum tangat. Id non perpetuò verum videbitur. Nam magna aquæ moles si ab igne calfiat, prius accipit calorem in proximis igni partibus, deinde in remotioribus. Ergo proximæ illæ partes agant in remotiores oportet; & continuatæ tamen sunt. Præterea aqua calfacta, si calfaciens abeat, se ipsam in pristinum frigus vendicat, ergo agit in se ipsam. Dicimus continuum, & mathematicè, & physicè posse spectari. Si mathematicè spectetur; certè pars aquæ calida continuari potest frigidæ; copulantur enim ad communem terminum; sin physice; conuenientia etiam formæ, & qualitatis requiritur. Hoc modo pars aquæ calida non est frigidæ continuata: aqua autem calfacta non recuperat suum pristinum frigus; non enim illud, vt antea diximus, amiserat; sed calor ille leuiter aspersus euanescit, quod subiectum non habeat benè ad se substinendum præparatum, & affectū.

Caput X.

Tex. Com. 82.

RELIQVVM est, vt de mistione eadem ratione, ac via contemplemur. Hoc enim tertium est de ijs, quæ initio proposuimus. Considerandum autem & quid sit mistio, & quid illud quod misceri potest, & quibus rebus conueniat, & quomodo. Præterea autem vtrum sit mistio, an esse falsò dicatur: nefas.n. est admistum esse alterum alteri, prout quidam asserunt. Nam si adhuc sint, quæ sunt mista, & non alterata; nihilo magis nunc mista esse inquiunt, quàm antea essent, sed eodem modo se habere; altero autem corrupto, non esse mista: sed illud quidem esse, hoc autem minimè; mistionem autem ijs conuenire, quæ eodem modo se habeant. Similiter autem si ambobus coëuntibus vtrunque eorum, quæ miscentur, corrumpatur. Non enim sunt mista, quæ omnino non sunt.

Antequàm ad elementorum naturam exponendam aggrederemur, quod in his libris nobis proponebamus, diximus, quò res melius procederet, exponendum antea esse, quid sit tangere, quid efficere, & pati, quid mistio. Priora duo iam præstitimus. Reliquum igitur est præstare tertium, quod nunc facimus. *Eadem autem ratione, & via*, id est primum veterum opiniones expendendo, deinde afferendo nostram; vel easdem ferè quæstiones proponendo, quas in cæteris etiam rebus tractandis proponere soliti sumus. Considerabimus enim, *quid sit mistio*, id est notionem istius vocis patefaciemus, *& quid illud, quod misceri potest*, quod nam sit subiectum mistionis, *& quibus rebus conueniat* non tantum vniuersè trademus cuiusmodi subiectum mistionis esse debeat, sed etiam propriè, quæ nam sint ista, quæ subiici mistioni queunt; talia enim sunt, exempli causa, humida non lenta; parum enim prodest Medicus, qui dicat carnes leues conferre, & non ostendat, quæ nam sint istæ leues carnes, vt auium, & piscium saxatilium sexto Ethi. cap. vii. *& quomodo*; causas ipsas aperiemus, quibus intercedentibus fit mistio; ita vt formam ipsius, subiectum, causas percæpturi simus. Accipit autem mistionis vocabulum propriè; quod idem sonat, ac temperamentum, vel temperatio. Nam impropriè etiam congecies lapidum mistio quædam appellari posset. Verùm id procedente disputatione magis patebit. *Præterea autem, vtrum sit mistio, an esse falso dicatur.* Quod obiter, & quasi per transennam in aliis rebus tractandis fecimus, vt quæstioni illi, qua, an res sit, quæritur, satis faceremus, id nunc quodammodo ex proposito faciendum est. Fuerunt enim nonnulli, qui non leui argumento mistionem exploderent, ac nefas putarent esse admistum alterum alteri; nam si non adsint, quæ misceri queant, certè nec mistio locū suum tenere poterit; quippè cum mistio soluta quædam forma non sit, sed subiectum requirat: quare ne cóniuere, ac dißimulare videamur, illud quamprimum proponamus oportet Vides autem, quemadmodum alibi notauimus, id quod postremo loco Aristoteles proponit tractandum, primo tractare. Argumentum erat huiusmodi. Si aliqua miscentur (sunt autem saltem duo, idem enim sibi ipsi non miscetur, quare duo esse accipimus; idem autem iudicium erit, etiam si ponantur plura) ergo si aliqua miscentur, aut cum sunt mista, manent eadem, & non alterata; aut vnum quidem manet incolume, alterum corrumpitur; aut vtrūq; corrumpitur: Sed nullum istorum verè dici potest; ergo nulla sunt, quæ verè misceri queāt, Connexum per se clarum. Nullum enim modum præter tres propositos inuenire possumus,

quo

quo aliqua inter se misceantur. Assumptum autem ita probatur, ac primum, quod ad primam partem pertinet, minimè scilicet quæ miscentur ambo remanere incolumia. *Si adhuc sint quæ sunt mista, & non alterata, nihil magis nunc sunt mista, quàm antea; eodem enim modo se habent*, cum dicimus aliqua misceri, intelligimus illa quodammodo mutari. Quare si nullo pacto mutantur, sed manent incolumia, æque nunc sunt mista atque antea erant, quàm coiissent; id est quemadmodum antea non erant mista; ita neque nunc mista dici queunt. Ex quo etiam probatur secunda pars assumpti, cum quæ miscentur, non posse vnum manere incolume, & alterum corrumpi, *altero autem corrupto non esse mista, sed illud quidem esse hoc autem minimè*: non enim ea miscentur, quorum vnum est, alterum non est: Quî enim misceantur inter se ens, & non ens? præsertim cum ex communi quadam intelligentia cognoscamus, *Mistionem ijs conuenire, quæ eodem modo se habeant*, id est quorum vtrunque ab altero aliquid accipiat, & aliquid illi det; ita parem quodammodo conditionem obtineant; quod de ente, & non ente minimè dicendum est. Ergo si vnum interit, & non est, alterum remanet incolume, & est; certè inter se misceri non possunt. Restat tertia assumpti pars, minimè vtrunque eorum, quæ miscentur, corrumpi; quæ eodem modo probatur. *Sin autem ambobus coeuntibus vtrunque eorum quæ miscentur, corrumpatur, similiter*, id est nihilo difficilius contra dicere poterimus. *Non enim sunt mista, quæ omnino non sunt*, sed potius dicuntur corrupta. Si igitur, quæ miscentur, sunt corrupta; iam non sunt mista. Ita omnes assumpti partes probauimus. Notandum est voces illas *non alterata* videri significare idem, quod non corrupta, quomodo etiam in capite de accretione notauimus dictum esse, *& substantia non est alterata*. Neque tamen idem est, quæ miscentur, alterari, & corrumpi. Nam primum verè dicitur, secundum falsò. Sed argumentantium est confusè agere, quemadmodũ respondentium distinctè.

Quæstio igitur hæc illud postulare videtur, vt constituamus; quid mistio à generatione, & interitu differat; & quid illud, quod misceri potest, ab eo, quod potest generari, & interire. Constat enim necessariò differre, si quidem est. Quamobrem cum hæc perspicua erunt; quæ dubitationem inijciebant, facilè dissoluentur. Minimè igitur materiam igni mistam esse dicimus, neq; ardentem misceri, neq; ipsammet suis ipsius particulis, neq; igni; sed ipsum quidem ignem generari, illam autem interire; eodemq; modo, neq; corpori alimentum, neq; figuram ceræ mistam figurare molem, neq; corpus, & album, omninoq; nec affectiones, nec habitus licet mistos esse rebus. Incolumia enim cernuntur; at verò neq; album, & scientiam licet mista esse, neq; eorum, quæ separari nequeant, aliud quicquàm. Hoc verò non rectè dicunt illi, qui omnia interdum simul esse inquiunt, & mista esse. Non enim cuicunq; quoduis misceri potest, sed vtrunq; eorum, quæ mista sunt, seorsum consistere oportet; affectionum autem nulla seorsum. Tex.Com.83.

Tota argumentatio, quam à nonnullis ad auferendam è medio mistionem allatã exposuimus, nitebatur discrimine, quod inter mistionem, ac generationem, & interitum versari deberet. Dicebamus enim quæ miscentur, minimè interire debere. Quòd si discrimen istud accuratè explicauerimus; facilius vitium istius argumentationis depræhendemus, ac diluemus. Intelligemus autem quid differat mistio à generatione, & interitu, si quid intersit inter id, quod misceri potest, & id quod generari, & corrumpi, intellexerimus. Nam vt sæpè diximus, facilius intelliguntur concreta ipsa, quàm formæ solitariæ, vt candidum, quàm candor. Illud enim sub aspectum cadit, hic sola cogitatione comprehenditur. Constituamus igitur primũ quid sit illud, quod misceri põt. Id autem facilè constituemus, si quæ misceri nequeant, exclulerimus. Minimè igitur dicimus *materiam*, exempli causa ligna, *mistam esse igni*, igni dum comburuntur, misceri, sed ligna quidem corrumpi, generari autem ignem; atque ita à mistione excludimus illa quorũ vnum interit; *neque ipsammet suis ipsius particulis*, neque si materia ignis constet ex pluribus lignis tanquam partibus, dicimus ligna inter se misceri, sed omnia interire; & ita à mistione ea, quæ pariter omnia intereunt

illud

illud autem *neque igni* accipiendú eſt, prout notat Philoponus, ac ſi dictum eſſet *quemadmodum neque igni*, vt ſcilicet quemadmodum materia non miſcetur igni; ita neque illius partes inter ſe miſceantur, ſed omnino generetur ignis, ligna autem intereant; aut ita poſſumus interpretari, neque materiæ particulas igni miſceri *eodemque modo*, *neque corpori alimentum*, quoniam ſcilicet corpus remanet, alimentum interit; ſic accretio à miſtione diſtinguitur. Verùm non hæc ſolum inæpta ſunt ad miſtionem, ſed etiam illa, quæ omnino manent incolumia; qualia ſunt iſta, *neque figuram ceræ miſtam figurare molem*, non enim dicimus figuram ita informare molem ceræ, vt cum cera miſta ſit; ſed format quidem; alio aût pacto, quàm per miſtionem; *neque corpus, & album* miſceri.ſ.inter ſe dicimus, *omninoq; nec affectiones, nec habitus licet miſtos eſſe rebus*, id eſt ſubiectis ipſis; intellige autem affectionú, & habituú nomine omnia accidentia, & animæ, & corporis, & diuturniora, & minus diuturna ſignificari; affectionú.n.nomine poſſe ſignificari ét formas, & figuras patet ex ix. c. quinti me: aph. interprete Alex. Diximus autem iam in miſtione requiri, vt quæ miſcentur, ſeorſum antea conſtiterint, atque cum miſcentur, non omnino incolumia, & inuiolata remaneant. Iſta autem nec ſeorſum conſiſtunt, non enim accidens ſine ſubiecto conſtat; nec amittunt aliquid, quinimo ſubiectum accidente exornatur, accidens ſubiecto nititur. Quare multò minus *album, & ſcientiam licet miſta eſſe*, id eſt vnum accidens alteri accidenti, *neque eorum, quæ ſeparari nequeunt aliud quicquam*; quod de albo, & ſcientia dictum erat vniuerſe præcipiens, ea, quæ per ſe conſiſtere nequeunt, cuiuſmodi ſunt accidentia, neq; inter ſe, neque con aliis miſceri ſtatuit. Ex quo etiam patet illorum error, qui putarunt, *omnia aliquando ſimul eſſe, & miſta eſſe*, qualis Anaxagoras fuit; de quo primo phy. xxxii. & xxxiii. Non enim videbant, non omnia inter ſe miſceri poſſe, ſed ea tantum, quæ per ſe etiam conſtare queant; *affectionum autem nulla ſeorſum* conſtare ſcilicet poteſt; quare neque miſceri; & tamen in rerum vniuerſitate affectionibus eſt locus. Quare non omnia ſimul miſta eſſe queunt. Excluſimus igitur multa à miſtione, atque ita obiter miſtionem à generatione, ab accretione, ab alteratione diſtinximus.

Tex.Com.84. *Quoniam verò ex entibus, alia quidem poteſtate ſunt, alia autem energia: fit, vt quæ miſta ſunt, partim ſint, partim non ſint: cum energiâ quidem diuerſum exiſtat, quod ex ipſis factum eſt; poteſtate autem aliquid ſit vtriuſque illorum, quæ erant, antequam eſſent miſta, & non deleta. Hùc enim ſuperiore ſermone allata dubitatio ſpectabat. Cernuntur autem quæ miſcentur, cum antea diſtincta eſſent, coire, atq; apta eſſe, quæ rurſus disiungantur. Non manent igitur energiâ, veluti corpus, & album: neq; intereunt, neque alterutrum, neq; ambo. Manet enim facultas ipſorum. Quamobrem hæc quidem dimittantur.*

Excluſit ea, quæ miſceri non poſſunt. Nunc qualia ſint, ea quæ ſunt miſta oſtendit, ſimulq; allatam iam dubitationem diſſoluit. Sumit autem illud initium, quod ſæpè non ſine maxima vtilitate ſumpſit, Ex entibus quædam actu eſſe, quædam poteſtate; quæ autem poteſtate ſunt, medium quendam locum inter omnino ens, & omnino non ens obtinent; quod etiam alibi de prima materia diximus, quæ infinita quædam, & pura poteſtas eſt. Hoc igitur probè fixo, dicimus fieri, vt quæ miſta ſunt, *partim ſint* .i. poteſtate, *partim non ſint*, id eſt actu non ſint. Quòd non ſint actu, probamus; ſi eſſent actu; quod ex ipſis factum eſt, non exiſteret actu diuerſum; ſed exiſtit diuerſum; ergo illa actu non ſunt. Aſſumptum perſpicuum; quis enim neget aurum diuerſum actu eſſe ab aëre, & aqua? Nec connexum quidem dubium. Ex pluribus.n.quæ actu exiſtant, non fit verè vnum actu ab illis diuerſum; vt ex pluribus tritici granis fit quidem aceruus; verùm aceruus neq; verè vnum quiddam eſt, nec actu diuerſus à granis; neque enim aliquam aliam ab illis diſtinctam eſſentiam, & ſubſtantiam habet. Quòd autem ſint poteſtate, inde oſtendit, quòd compoſitum ex illis *eſt poteſtate aliquid vtriuſque illorum, quæ antequàm miſcerentur, erant*, id eſt retinet poteſtatem duorum componentiú, vel omnium, ſi plura, quàm duo ſint, quæ quidem componentia, antequàm miſcerentur, *erant*, actu per ſe conſtabant, *& non deleta*, & idcirco, quoniam retinetur illorum poteſtas, non ſunt omnino perdita, & corrupta; ſunt enim poteſtate: idem enim ſignificat, retineri illorum poteſtatem, & illa poteſtate eſſe. *Huc enim ſuperiore ſermone allata dubitatio ſpectabat*. Videbamus, inquit, in ſuperiore argumentatione, quæ miſta ſunt, non poſſe,

eſſe

esse omnino perdita; contrà autem, cum, si eadem manerent, atque ante mistiooem erant, nullo etiam pacto videremus posse appellare mista, dubitare, atque hæsitare cogebamur. Nunc ex allata distinctione omnes scrupuli tollentur. Quoniam eoim, quæ misceotur, ooo remanent actu, idcirco oon eadem omnino sunt, atque ante mistinnem erant; quoniam autem remanent ptestate, idcirco oeque omnino sunt perdita. Huic nostro decreto sensus ipse testimonium dat. Videmus enim quæ nunc mista suot, antequàm coiissent, per se, & disiuncta coostitisse *aptaque etiam esse, quæ iterum disiungantur*; facillimè eoim ex corpore composito iterum secernuntur componentia, vt ex ligno dum comboritur, secernitur ignis & flamma, fumus, qui aër est, spuma, quæ aqua, cinis, qui terra: quod non fieret, si omnino perdita fuissent, ac oon saltem illorum potestas iocolumis mansisset. Ergo neqoe maneot actu, vt corpus, & album; neque omnino corrumpuntur, aut alterutrum, aut ambo, sed retinent suam potestatem, de qua re fusius in quæstionibus. *Quamobrem hac quidem dimittantur*: superiori dubitationi iam satis fecimus; quàmobrem non est, quòd super ea sermonem longius protrahamus. Attendatur ita dici, corpus, & album manere actu; non quòd album per se actu consistat; accidens enim non est actu, nisi in subiecto; sed quoniam neutrum ipsorum, dum coniunguntur, remittitur, & frangitur, sed accidens per subiectum viget; subiectum verò accidente vestitur.

Annexa autem his dubitatio diuidenda est, vtrum mistio quiddam sit ad sensum. Cum enim, quæ miscentur, in adeò minutas partes diuisa fuerint, eoq; pacto inter se collocata, vt vnumquodq; sensum fugiat, tunc mista sunt: An minimè, sed quælibet eorum, quæ mista sunt, particula, iuxtà quamlibet alterius esse debet? illo igitur sanè modo dicitur, exempli causa, ordeum esse mistum tritico, cum quoduis iuxtà quoduis est collocatum. Tex.Com.85.

Dissoluimus nodum illum, qui dubitare nos cogebat, An omnino mistio esset; itaq; primæ illi quæstioni satisfecimus, in qua quæritur, an res sit: obiter tñ multa etiam ad naturam mistionis, & eorum, quæ miscentur, pertinentia notauimus, vt primo etiam phy. ostendens Arist. qualia sint principia, & contraria statuens, eadem etiam operà numerũ principiorũ cõstituit. Sed iam ex proposito, quid sit mistio, docere aggrediemur, initiũ sumentes à dubitatione quadam, quæ superiori valdè coniuncta est; vt vosmetipsi iudicabitis. Ea autem *diuidenda est*, id est vel explicanda, & dissoluenda, vel per diuisiooẽ quandam proponenda. Diuisiooe quidẽ certè in ea propoueuda vtitur. Nam mistiooìs natura, vel senso iudicanda est, vel alio quodam modo. Si sensu, vera fortasse erit Democriti opinio, qui, vt narrat etiam Alexan. asserebat *cum quæ miscentur, in adeo minutas partes diuisa fuerint, eoque pacto inter se collocata; vt vnumquodque sensum fugiat; tunc mista sunt*, cùm minutæ vnius rei particulæ cum minutia alterius particulis ita fuerint confusæ, vt nullum amplius ex his, quæ miscentur, distinctè cernatur, sed tantum confusum, & coagmentatum ex illis, tunc propriè dici possunt mista, proprieque mistionem subiisse. *An minimè*, si autem mioimè hæc mistionis oatura est, quam isti asseruot, neque sensu iudicari debet, sed alio quodam modo, fortè vera erit opinio eorum, qui ab Epicuro (potuit autem vetustioris alicuius philosophi esse, qui esset Aristoteli notus) existimantium, elementa ipsa, cum miscenda sunt, in indiuidua dissolui, itaq; dissolutis, vt quodlibet aquæ indiuiduum cuilibet ignis indiuiduo apponatur, veram mistionem prodire. Differt hæc secunda opinio à priore, quòd in prima, quæ misceotur, propriã seruare formam ponuntur, quàmuis minutatim dissecentur, in secuoda autem oon ponuntur seruare; quia corpora, quæ miscentur; dissoluuntur primũ in indiuidua, deinde varia indiuidua coniunguntur; vt Theatrum cum Domo misceretur, dissoluta prius vtraque re in lapides. Quamobrem prima sensu iudice nitebatur (nam cum amplius ea, quæ miscebantur, discernere oequibat, mista erant) secunda autem rei naturam sequitur: Tunc enim sunt mista; cum deuentum est ad verè minimorum, atque indiuiduorum corporum coagmentationem. Quocirca, cum in prima res sensu iudicaretur, nihil opus erat quàmlibet minutissimam particulam cuilibet mioutissimæ esse appositam; sed satis erat, si ita inter se confunderentur, vt corpora componentia sensus distinctè percipere amplius noo posset. Epicurus aũt rei oaturã spectans censebat singula aquæ indiuidua singulis ignis, & aëris, & terræ iodiuiduis esse apponenda. Verba autem illa, *illo igitur sanè modo dicitur, exempli causa, ordeum esse mistum*

tritico, possunt vtrique opinioni accommodari. Dictio, *illo*, videtur significare priori potius esse accommodanda; voces autem illæ, *cum quoduis iuxtà quoduis est collocatum*, quibus in secunda opinione est vsus, videntur indicare exemplum istud ad secundam potius opinionem referendum. Puto ego ad vtranque posse referri. Nam si ita *quodcunque*, supple tu granum, aut quippiam huiusmodi, iuxtà quodcunque granum est collocatum, vt sensus ea grana non discernat, primæ opinioni exemplum erit idoneum. Sin autem verè etiam, neque duntaxat sensu iudice, quoduis iuxtà quoduis erit collocatum, secundæ optimè conueniet; quamuis quòd grana ista non sint indiuidua, omnino exemplum ad priorem opinionem magis pertinere potius arbitrer.

ex. Com. 86. *At si omne corpus diuiduum est, ac corpori mistum corpus est, homogeneum quodlibet cuilibet sanè appositum sit oportet. Quoniam autem in minima diuisum esse nequaquàm licet, neq; idem cõpositio, ac mistio, sed diuersum: constat minimè dicendum esse, quæ miscentur, incolumibus exiguis illis partibus mista esse. Compositio enim erit, minimè autem temperatio, aut mistio: neq; pars eandem, quam totum, rationem habebit. Dicimus autem, si quid oporteat admistum esse, mistum ipsum esse homogeneum: & quemadmodum aquæ pars aqua, ita etiam eius, quod temperatum est. Quòd si ipsa mistio sit compositio per parua: nihil horum conueniet, sed ad sensum tantum mista: atq; idem huic quidem mistum, qui non acutè perspiciat, Lynceo autem nihil mistum: nec diuisione, nec quòd quæuis particula iuxtà quamlibet. Nefas enim hoc pacto diuisum esse. Aut igitur mistio non est, aut quomodo illam confici liceat, rursus dicendum.*

Refellit ambas iam propositas opiniones; ita tamen, vt primum secundam opinionem præcipuè videatur oppugnare, deinde ostendat, quomodo hæc secunda ad primam relabatur; tumque primam etiam confutet. Argumentatio est huiusmodi. Si omne corpus est diuiduum, & aliquod corpus cum aliquo alio verè, & propriè commiscetur, *homogeneum quodlibet cuilibet sanè appositum sit oportet*, necesse est partem quamlibet alteri parti ita esse appositam, vt singulæ inter se, & cum toto sint homogeneæ, atque idem nomen, eandemq; definitionem habeant. At vtraque pars antecedentis vera est; ergo & verum erit consequens. Primam quidem antecedentis partem iam sæpè confirmauimus, ostendentes, *quòd in minima diuisum esse nequaquam licet*. Satis enim explosimus corpuscula illa minima, & indiuidua. Secũda aũt pars antecedentis ex communi quadam loquendi consuetudine satis confirmatur. Omnes enim intelligimus longè differre inter compositionem, & mistionem. Comprobato igitur antecedente Arist. non infert consequens. s. partes singulas debere esse homogeneas, sed infert illud, quod ex isto pendet, videlicet, *minimè dicendum esse, quæ misceantur incolumibus exiguis illis partibus mista esse*, in quo ambæ ferè opiniones cõueniebant; quãmuis aduersus secundam, nisi fallor, speciatim istud afferatur. Pendet autem, vt diximus, ex consequente; quoniam cum exiguæ illæ partes sint corpora, & propterea etiam sint diuiduæ; mediam partem habebunt, quæ in mistione remanebit inuiolata, & sincera; itaque non erit homogenea cum cæteris partibus, & cum toto, atque erit compositio, *minimè autem temperatio, aut mistio*: minimè erit natura illa, quæ propriè a it temperatio, aut mistio appellatur. Istam vero naturam sequentibus verbis magis explicat (res enim erat magni ponderis) inquiens quasi ex cõi intelligentia. *Dicimus aũt si quid oporteat admistum esse; mistum ipsum esse homogeneum; & quemadmodum pars aquæ aqua, ita etiam eius, quod temperatum est.* Ergo aurum, plumbum, argentum propriè dicemus esse temperata, & mista; quoniam quæuis auri pars est aurum, quæuis pars plumbi plumbum, quæuis argenti argentum. At, si mistio sit *compositio per parua, nihil horum conueniet, sed ad sensum tantum mista*: ostendit, quomodo necessario ad primam opinionem relabantur, qui ponunt mistionem esse compositionem, & coagmentationem quorundam corpusculorum; atque ita afferunt, mistum non esse verè homogeneum, sed tantum sensui videri; quoniam ille minutissimas partes discernere non valet. Aduersus autem hanc opinionem, præter quàm quòd communi illi intelligentiæ, quam de mistione habemus, repugnat, illud etiam affert; quòd si iudicium sensus sequaris, idem interdum mistum, interdum non mistum dices. Nam hebeti sensui, & minutas

tas partes non discernenti si fidem habeas, affirmabis rem aliquam esse mistam; quam, si Linceum acutissimis sensibus præditum, & trans montes etiam inspicientem interroges, dices esse non mistam. Nam ille quidem minutas istas partes distinctè agnoscet, neque eandem, quam totum habere rationem cognoscet. Hoc eodem argumento, & exemplo vsus etiam Gale. est pri. de elementis. Reprehensa igitur vtraque opinione, primâ quidem inconstantiam sensus patefaciendo: secundâ autem ostendendo partes illas, quoniam reuera diuiduæ sunt, non posse totas apponi totis, sed necessariò partem mediam esse non mistam. Secundam opinionem, tanquàm probabiliorem rursus vrgens Aristoteles addit, *nec diuisione, nec quod quauis particula iuxta quamlibet*, id est nullo pacto mistio potest existere illa diuisione & dissolutione elementorum in atomos, in qua dissolutione quæuis postea particula iuxta quamlibet apponebatur, hæc enim verba adduntur ad explicandum quid esset illa diuisio, *nefas enim hoc pacto diuisum esse*; non enim constant istæ atomi, quemadmodum iam diximus, & necessariò pars aliqua remanebit non mista, si pars parti apponatur; quoniam omnis pars corporis diuidua est in infinitum. *Aut igitur mistio non est*. Non reperientes modum, quo satis commodè administrari mistio queat, dubitare cogimur, sit ne in rerum natura mistio; atqui omnino quæstiones istæ duæ, an res sit, & quid sit, mirabiliter inter se aptæ, & connexæ sunt. Nam si res est, definitionem quoque habeat oportet; si non est, definitionē caret; contráque si caret definitione, non est; si definitionem habet, est. Ergo si alium modum non excogitamus præter eos, quos à veteribus propositos Aristoteles examinauit, ac reiecit, locum suum mistio minimè tenere poterit. Igitur *Rursus*, id est alia quadam via progredientes, atque à capite rem arcessentes, veram mistionis rationem tradamus. Notandum est vocem illam μικτὸν esse ambiguam, & interdum significare id, quod cum alio miscetur; interdum id, quod ex illa mistione conflatum est; illi, qui è Scoto, dicerent mistum cum his, & mistum ex his.

Sunt sanè in entibus, quemadmodum diximus, alia quidem efficientia, alia autem ab his patibilia. Ac reciprocantur illa quidem, quorumcunque eadem materia est; suntq; vicissim efficientia, & patibilia. Illa autem impatibilia cum sint, efficiunt, quorumcunque non est eadem materia. His igitur non conuenit mistio; quamobrem, neque medicina efficit sanitatem, neque sanitas mista corporibus. Tex. Com. 87.

Iacit primo fundamentum firmissimum, quod supra constituit; entium alia esse efficientia, alia idonea, quæ ab efficientibus patiantur; efficientium autem alia reciprocari cum patibilibus, id est vicissim quoque pati à patibilibus, ita vt patibilia efficientia etiam sint, & efficientia patibilia; sunt autem illa, quorum eadem est materia; alia autem solum efficere, nullo autem pacto pati; suntque illa, quorum non eadem cum patiente materia est. *His igitur non conuenit mistio; quamobrem neque medicina efficit sanitatem, neque sanitas mista corporibus*, hæ voces *mista corporibus*, tùm ad medicinam, tùm ad sanitatem referri queunt. Medicina efficit quidem sanitatem, verùm non ita, vt misceatur corpori; in quo efficit sanitatem; quoniam medicinæ materies, & subiectum anima est; at materies corporis non est anima; itemque sanitas, quæ corpus format, efficit aliquid; obit enim actiones suas; sed non miscetur corpori, quoniam non eadem corporis, & sanitatis materia est; sed elementa sunt materia corporis, corpus est materia sanitatis; vt mittam illud, quod initio diximus, affectionem non misceri subiecto. Aut vocē sanitatis, cum secundò ponitur, sanitatem illam significari putemus, quæ in anima medici est; quæ quidem efficit sanitatem in corpore, nec tamen miscetur corpori: Eò vsque igitur progressi sumus, vt sciamus mistionem illis conuenire, quæ quòd eandem materiam habent, vicissim in se agunt, & patiuntur.

Tex.Com.88. *Efficientium autem, & patibilium, quæcunque facilè diuidi queunt, multa quidem paucis, & magna exiguis composita, minimè mistionem præstant, sed eius, quod excellit, accretionem. Mutatur enim alterum in id, quod excellit; vt vini gutta mille congiis aquæ minimè miscetur. Soluitur enim species, & mutatur in vniuersam ipsam aquam.*

Exclusit à mistione quæ non vicissim efficerent, & paterentur; Nunc illa excludit, quæ quamuis in se vicissim agant, & patiantur (id enim significatur illis verbis *efficientium autem & patibilium*) tamen aut facilè diuidi, & à se vicissim terminari nequeunt, qualia sunt dura corpora, & non humida, idcircoque lignum lapidi non miscetur, aut postremò quamuis suapte natura sint vicissim efficientia, ac patibilia, sintque benè ac facile diuidua, tamen ita se habent, vt vnum longè excellat alterum. Hæc enim proprie non miscentur; sed fit accessio ei, quod excellit, alterum autem corrumpitur, & conuertitur in formam eius, quod excellit; vt si mille congiis aquæ gutta vini infundatur, non miscetur; quoniam gutta vini, quàmuis quà vinum, possit agere in aquam, tamen quà ità exigua, in adeò magnam molem non potest, sed propinquam tantum sibi aquæ partem alterans, atque eum ea forte sese admiscens, paulò post corrumpitur, *ac soluitur illius species* dicit significanter *soluitur*. Nam, vt Proteus vinculis, ita materia coercetur formà, quasi vinculo. Dissoluto igitur isto vinculo res intereunt. Fit igitur exigua quædam accessio aquæ, minime autem mistio.

Tex.Com.89. *Sin æquales quodammodo facultates habuerint, tunc mutatur quidem alterum in id, quod excellit ex sua ipsius natura, verùm non fit alterum, sed medium, & commune.*

Exclusis illis, quæ minimè misceri poterant, relinquitur illa esse apta ad miscendum, quæ facultates habuerint æquales, *quodammodo*, id est non multum dispares. Volumus enim vnum aliquod ex iis, quæ miscentur, excellere; verùm non longe, non multum excellere; ita quod minus potest, *mutatur quidem in id, quod excellit ex sua ipsius natura*, amittit aliquam suæ naturæ partem, & induit partem naturæ eius, quod excellit, *verùm non fit alterum*, non corrumpitur omninò, neque conuertitur in id, quod excellit, vt gutta vini conuertebatur in magnam illam aquæ molem, *sed fit medium quiddam, & commune*, partim seruatis illorum, quæ miscentur, naturis, partim corruptis, vniuersum corpus, quod ex illa mistione prodit, est medium, & commune illorum, quæ miscentur; est medium scilicet, quemadmodum vocant, per participationem extremorum; id enim significatur voce illa *commune*; non tamen est communicatio æqualis, vt infra audietis.

Perspicuum igitur est illa esse idonea ad miscendum, quæcunque efficientium habent contrarietatem; quando quidem hæc à se vicissim sunt patibilia.

Repetit

Repetit illam conditionem quæ maximi ponderis est, & in qua reliquæ quodammodo continentur. Nam si contraria sint; pugnare inuicem poterunt; Si pugnare poterunt, non ita vnum præstabit alteri, vt statim illud in sui naturam conuertat, sed facultatem ambo non longe disparem habebunt, & erunt à se vicissim patibilia. Talem enim nunc intelligo contrarietatem.

Ac sanè parua paruis apposita miscentur magis. Facilius enim, & citius vicissim mutantur. Quod autem multum est, & à multo, tardius id obit. Quamobrem quæcunque ex diuiduis, & patibilibus benè terminari queunt, apta ad miscendum sunt. Hæc enim facilè diuiduntur in parua. In hoc enim consistit natura eius, quod bene terminari potest. Sic ex corporibus humida maximè sunt apta ad miscendum. Nam inter diuidua omnium terminari humidum commodissimè potest, nisi lentum sit. Hæc enim sanè maiorem, atq; ampliorem reddunt molem.

Conditionem illam eorum, quæ sunt apta ad miscendum, vt scilicet facilè diuidua sint, attigerat tantum, non autem explicarat. Quare id nunc præstat; ex quo etiam patebit, quamuis mistio non sit partium eorum, quæ miscentur, propinqua collocatio, prout veteres censuerunt; tamen collocationem istam plurimum ad mistionem conducere. Inquit igitur pusilla pusillis apposita melius misceri, quàm magna magnis. *Facilius enim, & citius vicissim mutantur*, id est pusilla à pusillis, quoniam se magis tangunt; actio autem, & perpessio fit per tactum; magna autem corpora magnā crassitiem habent, ad cuius intimas partes non ita facile, & citò perueniri potest, sed tarde, primò scilicet alterando extimas partes, deinde paulatim intimas. Hinc sequitur *ex diuiduis, & patibilibus* cuiusmodi sunt res omnes infra Lunam, *quæcunque benè terminari queunt*, id est humida non lenta, vt ipsemet exponet, aptissima ad miscendum esse. *Hæc enim facilè diuiduntur in parua; in hoc enim consistit natura eius, quod benè terminari potest*. Illud vocamus facile ad terminandum; quod facile versari quouis modo, & diuidi potest. Quod facile versari, & diuidi quouis modo potest, est aptissimum mistioni; ergo id quod vocamus facile ad terminandum, id est humidum non lentum, est aptissimum mistioni. Humida enim lenta, cuiusmodi sunt oleum, & pix, si iuxta ponantur, *maiorem atque ampliorem reddunt molem*, verùm, supple tu, non sese commode penetrant, neque ob lentorem facile in exiguas partes dissecantur. At humida non lenta aptissima, vt diximus, ad miscendum sunt. Ita igitur possumus vniuersam argumentationem concludere. Humida non lenta bene, facileque terminari queunt; quæ bene terminari queunt, facile diuiduntur in parua; quæ facile diuiduntur in parua, facilius inter sese agunt, & patiuntur; quæ commodissime inter sese agunt, & patiuntur, aptissima ad miscendum sunt; ergo humida non lenta aptissima ad miscendum sunt.

Cum autem vel tantùm alterum patibile, vel vehementer, alterum autem vix, aut nihilo amplius, quod ex ambobus mistum est, aut exiguum. Quod in stanno, & ære vsu venit. Habentur enim non nulla, quæ blæsa quodammodo inter se, atq; ancipitis naturæ sunt. Cernuntur enim quodammodo, & quæ leuiter mista sint, & quasi alterum quidem capax, alterum autem species. Quod & in his euenit: stannum enim tanquàm affectio quædam sit æris sine materia, penè euanescit, & mistum abit, colorans duntaxat. Hoc idem alijs etiam vsu uenit.

Repetit illud, quod iam stabilitum est, requiri pares ferè vires in iis, quæ misceri debent. Scitis autem vos hanc esse Aristotelis consuetudinem, vt dum aliquid videtur repetere, multa tamen addat, ac maximè necessaria. Quoniam igitur sunt quædam, quorum vnum ita alterum excellit, vt tantum efficiat, non autem patiatur; atque hæc non mistionem, vt diximus, sed generationem, & interitum præstant; alia autem sunt paribus ferè prædita viribus, & facilia ad terminandum, quæ mistioni sunt aptissima; postremò etiam nonnulla habentur, quasi mediæ, & ancipitis cuiusdam naturæ, vt neque omnino dispares, neque satis pares vires habeant, hæcque partim dici queant misceri, partim verò minimè; idcirco differentia hæc ab Arist. ne quid, quod ad hanc rem pertineat omittatur, nunc exponitur. Nam si fit *vel tantum alterum patibile, vel vehementer, alterum autem vix; aut nihilo amplius, quod ex ambobus mistum est, aut exiguum*. Hæc ita inter se respondent, vt si alterum tantum sit patibile nihilo fiat amplius, quod ex ambobus mistum est; siu alterum sit quidem patibile vehementer, sed tamen exiguum quiddam agat; exiguum etiam & parum magnitudinis acquirat; atq; ita erit mistio quædam, fiet enim ex compositione illa paulò maior moles, verùm imperfecta, & inchoata, qualis in stanni, & æris coagmentatione cernitur, vt audies. *Habentur enim non nulla quæ blæsa quodammodo inter se, & ancipitis natura sunt*, quasi dicat. Ne mireris reperiri inchoatam istam, & quasi dimidiatam mistionem; scito enim multa alia esse ancipiti, quadam natura prædita, vt Zoophyta inter plantas, & animalia, Cocodrillum inter animalia nantia, & terrena. Vocantur autem hæc blæsa; quoniam quemadmodum blæsi, & balbi homines loquuntur quidem ferè, sed non expressè, atque articulatè; ita res illiusmodi ad integram, & expressam quodammodo naturam non perueniunt. Nam vt de mistione dicamus, de qua nunc agimus, *cernuntur quodammodo, & quæ leuiter mista sint*, cernimus nonnulla, quæ non verissimè, sed superficie tenus miscentur, *& quasi alterum quidem capax, alterum autem species*, quod satis signi est, non esse veram mistionem, sed vmbram potius, atque imaginem mistionis: nam cum alterum sese habeat, vt materies, alterum vt forma, propriè, & perfectè misceri dici nequeunt. Dictum enim antea est speciem, & habitum non misceri cum subiecto. Id euenit in stanno, & ære: stanni enim exigua portio, si simul cum magna æris copia coquatur, quasi materiam propriam, propriumque corpus non habeat, sed sit affectio quædam æris, *penè euanescit, & mistum abit*, id est dum per cocturam miscetur æri, difflatur, atque ferè euanescit, *colorans duntaxat* intellige tamen non omnino duntaxat, sed ferè solum colorare. Nam fit etiam exigua quædam ipsi moli accessio. Quà igitur stannum est quasi affectio æris, cum pœnè euanescat, quando cum ære coquitur, illi non miscetur; at quà exigua etiam illius substantiæ pars remanet, atque nonnihil auget molem æris, miscetur, licèt blæse, & leuiter. Attende loquutione ista, fieri amplius, quod ex ambobus mistum est, significari mistionis naturam; quasi necessario in mistione requiratur incrementum molis; & vbi hoc non adest, nulla sit mistio, vbi leue incrementum, leuis etiam, & imperfecta mistio. Totum enim maius esse partibus debet. Verum id in quæstionibus.

Ex ijs igitur, quæ diximus, constat, & esse mistionem, & quid sit, & qua ex causa, & qualia ex entibus sunt ad miscendum apta: quandoquidem habentur nonnulla, quæ à se mutuò pati possunt, & facilè terminari, & diuidi. Hæc enim, neq; cum mista sint, corrupta esse necesse est, neq; tamen eadem simpliciter esse, neq; ipsorum mistionem esse compositionem: neq; ad sensum. Sed illud quidem ad miscendum aptum erit, quod facile ad terminandum cum fuerit, patibile, & efficiens erit: atq; hoc ipso aptum ad miscendum. Ad homonymum enim, quod est aptum ad miscendum. Mistio autem eorum, quæ ad miscendum sunt apta, alteratorum vnio.

In epilogo inquit Aristoteles, quæstionibus initio huius capitis propositis satis; superq; factum esse. Nam & ostendit esse mistionem argumentis, quæ illam tollebant, confutatis; *& quid sit*, quòd.s. elici definitio queat notionem vocis aperiens ex tribus illis conditionib. memoratis, quòd quæ miscentur, per se queant consistere, quòd incolumia maneant, nec tamen omnino inuiolata, quòd quælibet pars misti mista sit; *& qua ex causa*, quòd.s.ea, quæ

miscen-

miſcentur, eandem habent materiam, ſunt viciſsim efficientia, & patibilia, æqualibus ferè viribus prædita, ac facilè diuidua; *& qualia ex entibus ſunt ad miſcendum apta*, declarantes cauſas miſtionis, quoniam miſtio, vt reliquæ omnes affectiones, habet in ſubiecto incluſas cauſas; declarauimus enim, quæ miſcentur, eandem habere materiam, & reliquas conditiones, quas antea recenſuimus, & ipſe repetit inquiens, *habentur enim nonnulla, quæ à ſe mutuò pati poſſunt, & facilè terminari, ac diuidi*, quibus verbis etiam ſignificatur non longè diſparibus eſſe viribus; cæteroqui non facilè à ſe mutuò paterentur; ſed quod longè excelleret difficillimè, quod ſuperaretur, facillimè pateretur; idcircoque addit. *Hæc enim neque cum miſta ſunt, corrupta eſſe neceſſe eſt, neque tamen omnino eadem eſſe*. Talia, inquit, ſi conſtituantur, quæ miſcentur, optimè communem, quam omnes ferè animis præcæpimus, miſtionis notionem tuebimur, vt neque corrumpantur, quæ miſcentur, neque omnino inuiolata maneant, ſed per mutuam effectionem, & perpeſsionem proprii nonnihil amittant, nonnihil etiam alteri acquirant; neque cogemur dicere *ipſorum miſtionem eſſe compoſitionem, neque ad ſenſum*, id eſt eſſe quandam partium minimarum propinquam collocationem; quæ partes cum à ſenſu non diſpiciantur, ſed totum ipſum confuſum duntaxat appareat, idcirco videri miſtionem eſſe, cum tamen verè minima illa maneant inuiolata, & non miſta, quemadmodum veteres cogebantur dicere; ſed verè miſtio erit, quòd nulla tàm exigua pars eſt, quæ non aliquid accipiat, & aliquid det alteri; idcircoque inquit. *Sed illud quidem ad miſcendum aptum erit, quod facile ad terminandum cum fuerit, patibile & efficiens erit, atque hoc ipſo aptum ad miſcendum*. Vides aptitudinis iſtius ad miſcendum, in ſubiecto ipſo cohiberi cauſam efficientem; at miſtionis ipſius in cœlo, vt audies. Illa autem verba *ad homonymum. n. quod eſt aptum ad miſcendum*, niſi ſcriptura deprauata ſit, ita intelligentur, vt quemadmodum putat Philoponus, homonymum pro ſynonymo poſitum fuerit; notat autem Alexander ex Ariſtotele vi. Metaph. com. xxxix. homonymum ſi communius ſumatur, continere etiam ſynonymum; ergo iſtis verbis illud ſignificabitur, eoquòd ea, quæ miſcentur, cognomina, & vniuoca ſunt, idcirco ſimul efficere, & pati, terminare, & terminari, omninoque apta eſſe ad miſcendū. Aut hoc ſignificabitur, illud eſſe aptum ad miſcendum, ex quo cū aliis confuſo poteſt fieri quiddam, quod homonymum ſit, id eſt omnes partes idem nomen, eandemque rationem habeant; quæ ſententia eſt optima; & fortè legendum, vt legit D. Thomas *ad omiomerum*. Poſtremò finem illuſtrem huic libro imponens, quod, & in xii. Metaphy. & alibi obſeruauit, exprimit definitionem, & inquit miſtionem eſſe eorum, quæ apta ad miſcendum ſunt, alteratorum vnionem; de qua definitione, omninoque de ipſius miſtionis natura multa nobis ſunt dicenda.

QVÆSTIONES IN DECIMVM CAPVT.

1 An aqua cum vino miſceatur ex com. Philoponi cxxxii.
2 Quomodo diuiſio rerum in minutas partes ad miſtionem conferat ex com. Philoponi cxxxvi.
3 Tota de miſtione quæſtio integrè explicata.

1 *An aqua cum vino miſceatur ex com. Philoponi cxxxij.*

NOtauit ſæpè Philoponus miſtionis vocem multiplicem eſſe; ac præcipuè in primum de anima, vbi diſputatur, an anima conſtet harmonicis numeris, inquit triplicem eſſe iſtius vocis notionem. Interdum enim ſignificat compoſitionem illam quæ fit ob mutuum plurium rerum tactum, nullo pacto illorum naturâ mutatâ; interdum illam, quæ vinculorum quorundam operâ fit; interdum temperationem, quæ quidem fit per mutuam rerum, quæ miſcentur, effectionem, & perpeſsionem; de qua nobis in præſenti eſt ſermo inſtitutus; ita vt temperatio, quæ græcè dicitur κρᾶσις, idem ſit, quod miſtio propriè ſumpta. Notat autem Alexander in Libro de miſtione; cum miſtionis nomen interdum ſignificet compoſitionem, quæ fit per plurium rerum ſine vlla perpeſsione mutuum tactum, ſemper tamen ita intelligi, vt rerum diſsimilium compoſitio fiat. Nam ſimilium aceruus, vt granorum tritici, compoſitio tantum eſt, non miſtio; diſsimilium autem, vt tritici; & farris, non ſolùm compoſitio, ſed etiam miſtio quædam. Veræ autem miſtionis exemplum af-

fert semper Alexander in toto illo libro compositionem aquæ cum vino; ac Philoponus in hoc com. cxxxii. perspicuè cum veræ mistionis notionem ex communi hominum intelligentia sumeret, dicebat omnes, cum aqua vino adiungitur, vocabulum mistionis, ac temperationis vsurpare; at cum lapis lapidi annectitur, compositionis. Ergo de Græcorum sententia dubitandum non est, quin aqua cum vino verissimè misceatur; quinimo istud idem veræ mistionis exemplum affertur etiam ab Arist. pri. lib. de generatione animalium cap. xviii. & secundo lib. cap. vi. Et quàmuis id Auerroes in paraphrasi negare videatur; tamen si quis illum accuratius legat, poterit intelligere hoc negari ab illo, quod etiam negatur ab Aristotele, guttam aquæ misceri cum vino. Tunc enim non sequitur mistio ex defectu proportionis, quæ proportio si adfuisset, mistio quoque sequuta esset. Quòd si negat Arist. alimentũ misceri cum eo, quod nutritur; intelligas de eo alimento, quod mistum est; cuiusmodi maiorem partem esse consueuit. Panis enim, & vinum suam formam amittunt, cùm in substantiam membri nutriendi conuertuntur. Simplicia autem, quæ erant in misto, non omnino corrumpuntur, sed potius agglutinantur similibus sibi elementis, & fiunt vnum cum illis, quemadmodum superius docuit Arist. in tex. lxxi. atque ita, aut reparant, aut augent id, quod nutriendum erat. Ergo panis non miscetur cum membro, sed elementa, quæ erãt in pane certo quodam modo mista, cum debent euadere materia membri, alio quodam modo temperantur, ita vt ad idem temperamentum cũ membri temperamento reuocentur.

2 *Quomodo diuisio rerum in minutas partes ad mistionem conferat ex com. Philop. cxxxvi.*

DVbitat Philoponus, ecquid causæ sit, quàmobrem facilius misceantur corpora diuisa in minutas partes, quàm tota, atque integra. Videtur enim quodammodo perturbari analogia; quæ quidem postulat, vt qualis ratio est partis ad partem, talis sit totius ad totum. Quamobrem si simplum, exempli causa, in simplum commodè ageret, & duplum in duplum nihilo incommodius, Arist. sanè vii. phy. xxxv. & xxxvi. huiusmodi analogiam perspicuè ponebat, cum diceret, si virtus aliqua mouet in spacio vnius horæ per aliquod interuallum, duplam virtutem per idem interuallum moturam in dimidio horæ. Ergo cum duplicata mole duplicetur virtus, vt ex vna & altera libra plumbi si componantur, fiet pondus duarum librarum, certè nihil opus erat, quæ misceri debent, in exiguas diuidi partes. Integra enim tanto maiorem habuissent agendi vim. Respondet Philoponus, vbi requiratur non vnius generatio, & alterius interitus, sed vtriusque reciproca quædam alteratio, debere vtrunque in minutas partes diuidi, quò facilius sese tangant. Verùm quoniam non satis videtur infirmare vim argumenti, dico ego naturalem philosophum vti interdum considerandi ratione mathematica; quod nos admonuit Alexander in præfatione in Priora analy. atque id sanè cernitur in regulis illis septimo phy. positis. Nam si Mathematicé res considerentur, verissimæ illæ sunt; verumtamen in materia consideratæ non vsquequaque: non enim semper crescente mole crescit etiam tantundem vis agendi in maius interuallum, aut in minori tempore. Rerum enim naturã constantium sunt certi quidam in agendo termini, qui non semper crescunt crescente mole. Igitur applicatio facilior est in causa, cur, quæ diuiduntur in minores partes, statim sese tangant, mutuoq́; se alterent, & alterentur.

3 *Tota de mistione quæstio integrè explicata.*

D.Thoma, & Scoti opinio.

D. Thomas ad finem xxiiii. lectionis, quæ digressio ponitur etiam in opusculis pro opusculo xxx. & Scotus in secundum sententiarum dist. xv. censent elementa, cum ad mistionem accedunt, interire, generari autem nouam formam, ac nouam qualitatem, quæ æquè simplices sunt, atque qualibet ex extremis; sed dicuntur mediæ, quòd habeãt conuenientiam cum extremis, ac facultate contineãt extrema. quibus argumentis suam sententiam confirment, intelligetis, cum aduersus Arabum, & Græcorum sententias argumentabimur. Adducunt autem nonnulla aduersus se argumenta quibus respondere nititur Scotus. Nam D. Thomas ea silentio putauit obruenda. Primum est autoritas Aristotelis in definitione mistionis. Mistio est miscibilium alteratorum vnio; si alteratorũ; ergo non corruptorum; si vnio; ergo entium: nam corrupta non vniuntur. Item primo de cœlo vii. & viii. mistum mouetur secundum dominans in eis simplex; ergo ibi adest simplex; vbi enim est effectum, id est motus simplex, ibi etiam causa, id est corpus simplex. Item qualitas elementi non est sine elemento, quod colligit Scotus, ex Aristotele secundo

Argumenta, quæ Scotus aduersus suam opinionem affert

de anima

de anima cxiii. vbi scribitur humorem aqueum non esse sine aqua; ergo si in misto sunt qualitates elementi, vt certè sunt, ibi etiam aderit elementum. Præterea ex libro de morte, & vita duplex est in rebus caducis interitus, alter ab externo principio, quæ dicitur extinctio; alter ab interno, quæ dicitur tabes, aut putredo. Non esset autem internus interitus, vbi non essent diuersæ substantiæ, vna efficiens, altera patiens. Idem enim à se ipso minimè patitur. Præterea dicebat Auerroes tertio de cœlo lxvii. elementum esse ex quo manente generatur aliquid, quod habetis v. metaph. iiii. Ergò exuent planè simplicia naturam elementorum, nisi maneant in mistione. Postremò non erit ordo inter formas, sed materia æquè proximè accipiet formam mistionis, atq; formam simplicium; at species rerum sese habent sicut numeri octauo metaphy. x. Ad primam autoritatem inquit Scotus, mistionem esse verè corporum alteratorum; quoniam antequàm mistio fieret, simplicia ita sunt alterata, vt etiã sint corrupta; est autem vnio, id est generatio vnius nouæ formæ; quam tamen sequitur cõuenientia cum formis corruptis elementorum; idcircoque dicitur vnio. Vides quàm seriò balbutientem faciant Aristotelem, atque in definitione quidem, quæ maxime proprias voces requirit; ac sanè dicendum potius erat errasse Aristotelem, quàm ita ineptè loquentem inducere. Nam dicitur quidem interdum substantia alterari, at eum simpliciter, & absolutè in definitione enunciamus alterata, nunquam intelligere debemus corrupta; atque vnio est rerum, quæ sunt; quis dubitet? Similis responsio est ad secundam autoritatem. Mistum mouetur secundum dominans in eis simplex, id est mouetur à qualitate sua, quæ tamen magis conuenit cum vna ex qualitatibus simplicium corporum, quàm cum aliis. Atque hic ille erit Aristoteles, qui Platonem, & veteres philosophos reprehendat eo nomine, quòd parùm propriè loquerentur. Quare, vt rectè Achillinus dicebat lib. secundo de elementis articulo iii. eò nos adducunt, vt credere debeamus, Aristotelem, neque Grammaticam, neq; Logicam, neque Philosophiam tenuisse. Ad tertiam autoritatem eodem pacto. In misto non est qualitas elementi, sed similis; idcirco sat est, quòd habeat formam similem formæ elementi. Responsio maximè falsa. Nam sensus perspicuè cognoscit eandem grauitatem, eundem calorem; quare multiplicandæ erunt primæ qualitates præter omne sensus iudicium, cui de his rebus maxima fides est habenda. Reuera tamen argumentum parùm firmum est, vt ibidem notauit Achillinus. Nam Aristoteles loquebatur de humore aqueo non infixo in misto, sed asperso, qui verè ab aqua pendet. Ad illud de interno interitu, inquit Scotus, ipsum animantium esse proprium, in quibus est compositio variarum partium, quarum vna alterã alterare, & euertere potest, vt nimium cerebri frigus calorem cordis: aut etiam eadem pars ex se ipsa potest marcescere, quoniam continenter fluit, neque ita vnquam perfecta reparari potest, atque ea erat, quæ est amissa; quare semper fit aptior ad fluendum, semperque minus perfecta reparatur; ex quo tandem non est aptum subiectum animæ; & sequitur interitus. Verumtamen Aristoteles non modò in cæteris inanimis, verùm etiam in simplicibus interitum ex causa interna posuit; quemadmodum in igne tertio de cœlo 52. Ac libenter audirem ab illo, quomodo partes animatæ fluant: nam si per actionem caloris in humorem; cũ eædem causæ in mistis inanimis fiat, idem etiam effectum consequi debebit. Verùm hac de re, quoniam pulcherrima, & scitu dignissima est, infrà copiosius. Ad argumentum Auerrois ex elementi definitione ductum, respondet definitionem illam materiæ tantum primæ conuenire; quod Alberto etiam, & Gregorio placuit. Verùm Aristoteli minimè placere potest; qui secundo phy. cum tex. xxviii. materiam definiuisset id ex quo fit aliquid, cum insit, xxxii. tex. corpora simplicia ad materiam refert; & v. metaphy. iii. & iiii. vbi perspicuè ponit aliqua corpora esse elementa. Ad vltimum inquit seruari ordinem, non quòd forma simplex intercedat inter materiam, & formam mistionis; nam hæc nullius rei interuentu materiam format; sed quòd prius materia formatur formà elementi, quàm formam mistionis queat accipere. Cuius ego rei, quàmuis à Buccaferrea etiam concedatur, nullam causam dispicio. Cur enim si forma mistionis est æquè simplex, ac forma elementi, itemque illius socia qualitas, non potest per efficientiam alicuius misti corporis extondi ex materia forma similis? Cur enim prius educatur forma elementi, si hæc nihilominus abire debet? optare istud est, non disputare. Omnino aut eodem momento quo forma mistionis educitur, qualitates illæ elementorum, quæ materiam præparabant, euanescunt, aut paulò antea. Si antea, nullo pacto poterant afficere materiam, vt forma mistionis educeretur; iam enim abierunt formæ autem apud peripateticos nulla alia ratione educuntur, quâm ob materiæ præparationem, & culturam. Sin eodem momento; cum quæ disponunt materiam ad illam recipiendam, necesse sit maximè affinis, & coniunctæ naturæ esse, cur non etiam remanent illa recepta? simile istud esset, ac si Princeps aliquis, cum amicorum operà regnum adeptus est, illos

Respõsiones Scoti non satisfaciũt

fortunis

fortunis omnibus, ac vita priuaret. Quod improbitate hominum nonnunquàm accidit; in naturæ bonitatem nullo pacto cadit.

Opinio Bononiensium.

Secunda autem est opinio Ludouici Buccæferreæ, quam plurimi ex Iuniorib. sequuti sunt; quam putant etiam Alexandri, & Philoponi esse. Verùm quàm longè errent, infra constabit. Existimant igitur cum ex elementis fit mistum corpus, non quidem corrumpi tota elementa, sed formas corrumpi, qualitates autem præsertim primas remanere; atque harum propriè esse mistionem; ex qua distinctione omnia conantur argumenta aduersariorum refellere: probabilior videtur ista opinio; quoniam Arist. inquit manere facultates ipsorũ, & virtutes; quas quidem isti accidentia putant. Sed hoc illis vincendum erat. Nos enim apud Aristotelem, & Græcos semper obseruauimus, nomine primarum qualitatum, & virtutum formas significari; cæteroqui indiligentiæ condemnandus Aristoteles, & conturbationis; qui quarto meteor. generationem substantiæ per hæc accidentia definiat; & in libro de morte, & vita cap. xiiii. & semper ab his proficisci actiones velit, quod formæ proprium est. Alexan. autem sententia perspicua est. Locus ex quarto quæstionum naturalium cap. liii. quem quidem contra afferunt, pro nobis sine dubio facit. Nam inquit, vt securi, quod ad subiectum pertinet, nihil est contrarium, sed quod ad qualitates in quibus esse habet, ita elementa in materia conuenire, in qualitatibus à quibus habent esse, aduersari; & pro absurdo habet elementa non esse contraria. Sed ad Aristotelem reuertamur. Cur si solæ qualitates manent, dixit, quæ apta sunt ad miscendum, per se consistere, & rursus segregari posse; idque ex nomine ipso mistionis patet? Verè omnino clamabat Auerroes tertio de cœlo lvi. *nulla obliuio est maior ista, quod cum aliquis perscrutatur de causa alicuius rei, & dat causam destruentem intentionem nominis illius rei.* Mistionem omnes ex communi quadam intelligentia esse corporum cognoscimus; affectiones inquit Aristoteles non misceri; nunc tamen eò res rediit, vt qualitatum duntaxat, non substantiarum esse mistionem afferamus. Accuratè legas tex. 49. secundi libri, nihil clarius desiderabis. Probat enim terram (non dico qualitatem terræ) esse in misto, & aquam; quoniam sine aqua terra decideret. Id expecto quo pacto qualitatibus accommodent. Qualitas enim nullo pacto potest decidere; sed corporum id peculiare est. Deinde tertio de cœlo lxvii. planè scribitur, simplicia corpora esse materiam compositorum; atque ea de causa non esse figurata. Respondet Buccæferrea Aristotelem argumentari ex hypotesi Platonis, qui censebat elementa manere in misto. Semper cum aliam non habent dissoluendi rationem, ad istam sacram anchoram confugiunt, argumentari Aristotelem ad hominem. Sed legatis verba Aristotelis: facilè intelligetis ipsum ex sua sententia loqui. Inquit enim naturam rerum hoc ipsum nobis declarare, quod ratio suadebat; Idcirco elementa carere figura; vt cum fiunt materia compositorum, quamlibet figuram possent accipere, quemadmodum etiam in se ipsa vertuntur mutatione propriarum differentiarum manente materià. Ad aliud Aristotelis testimonium ex secundo de anima lii. rationem reddentis, cur nobis quatuor insita elementa non sentiamus, respondent qualitates loco elementorum esse intelligendas; quod maximè absurdum est, vt cum dicimus inesse ignem, & terram, intelligamus calorem, & siccitatem. Sed mittamus has innumerabiles autoritates, quibus eodem modo occurrunt, id est non suam sententiam ad sententiam Aristotelis aggregant, sed sententiam Aristotelis velit nolit ad suam. Sed nos vtamur testimonio illo, quod ex lxxxix. textu collegimus, quod ex mistione resultat; fieri maius singulis iis, quæ miscentur quod optimè ab Alexan. explicatur, atque addit; In quibus æqualis remanere videtur magnitudo, in illis nullo pacto esse corporũ mistionem. At si qualitates tantum remanerent; tantum abest, vt maior fieret moles corporis ex mistione resultantis, vt minus potius euaderet. Qualitates enim locum non occupant; & si ignis corrumpitur, qui substantiam habet maximè raram, remanente dumtaxat caloris portione, poterit densius corpus resultare, & quodammodo minus. Ita multis modis euertunt communem notionem mistionis. Ideirco non dubito ego, quin aqua cum vino temperetur; quoniam & cæteræ mistionis conditiones adsunt, & præterea hæc, quòd totum fit amplius. Buccæferrea, & qui ab illo, afferentes aquam conuerti in fumum à vino, nimis euidenter mentiuntur. Crescit enim moles ipsa; quod non fieret, si aqua abiret in fumum. Quòd igitur Aristoteles perspicuè asserit In misto corpore remanere elementa, quòd natura idipsum clamat, species rerum, quasi numeros nobis ostendens, & elementa sine certa figura effingens, vt omnem in mistione accipere figuram queant, quòd hæc insita nobis mistionis notio sit, vt quæ miscentur, non corrumpantur (& corpora, non qualitates solæ sunt illa, quæ miscentur, vt Aristoteles non modo hic, sed etiam in libro de sensu, & sensili cap. de sapore dixit) quòd postremò quæ ex mistione resultant, maiora sint singulis iis, quæ ad mistionem accedebant, pro comperto habeo falsam esse istorum opinionem.

Confutatio istius opinionis.

Quòd aqua dum miscetur vino nõ vertatur in fumũ

Opinio Stoicorũ

Opposita his opinio Stoicorum est, in misto remanere elementa integra, tùm formis, tùm qualitatibus, ita planè, vt in vero temperamento corpora simplicia tota per tota vicissim extendantur integra, atque inuiolata permanentia. Ne id mirum videatur, afferunt exemplum thuris; quod cum incenditur, maximè extensum suam tñ naturã, & qualitatem seruat; Afferũt exemplum animæ, quæ per totum corpus se extendit, cum tamen ipsa quoque propriam substantiam, & hypostasin habeat; afferunt exemplum ignis, qui totus per totum ferrum diffunditur se custodiens incolumem; quinimo inquiunt coniunctionem plurium rerum maximè ad extensionem illam conducere, vt multorum coniunctionem ad onus ferendum, vel ad nauim impellendam. Sic aurum per admista quædam medicamenta plus extenditur, quàm vt sola ipsius natura posset. Hæc opinio est Stoicorum, quæ minimè peripateticis, vt audietis, placet. Buccaferrea autem videns Galenum apertè sentire, elementa manere in misto, quod patet ex primo de temperamentis, vbi tota corpora per tota misceri solius Dei, & naturæ, non artis esse inquit, & ex aliis sexcentis locis, inquit Galenum dubium atque incertum fuisse, vtrum Stoicis potius, qui corpora misceri volebant, an Aristoteli, qui accidentia, assentiretur; quod ex primo de morbis curandis videtur accepisse. Sed non rectè intelligit. Stoici enim confundebant substantias eo pacto quo diximus, & corporum penetrationem ponebant, quod optimè euertit Alexander. Aristoteli autem placet qualitatum fieri mistionem. At qualitatum nomine apud ipsum formæ, non accidentia significantur; idque Galeno maximè probatur. Aduersus Stoicos, illa de multis, quæ affert Alexander, afferamus, fore, vt plura corpora sese extendentia, aut tangant tantum, quod ipsi nolunt; aut vnum euadentia eundem locum occupent; quo nihil absurdius cogitari potest. Tùm illud cernimus, cum aliqua miscentur, sese diuidere; quod non fieret, si tota per tota extendi possent; præterea non maius, vt dicebamus, fieret corpus; quomodo ferrum ignitum, non idcirco quòd ignitum est, euadit maius. Verùm hæc ab Alexandro copiosè dilucideque disputantur.

Non benè Stoicorum, & Galeni sententiam à Buccaferrea fuisse perceptam.

Aduersus Stoicorum opinionem.

Opinio Auicennæ

Succedit opinio Auicennæ, qui, vt initio canticorum apparet, de sententia Hippocratis statuit, quatuor elementa manere in misto, idque ex eo intelligi, quòd rursus segregentur; Quare cum segregentur integra, integra prius erant in mistione; quod notat Auerr. iii. de cœlo lxvii. & in vltimo com. huius libri: Intellige tamen manere integra, quod ad formas pertinet; nam qualitates franguntur, & ex illis ita fractis resultat temperamentum, aut cõplexio, vt inquiunt, quæ est terminus mistionis. Elementa igitur sunt potestate in misto, si formas spectes, potestate inquam, tùm efficiente, quatenus segregatæ per se vim recuperandi habebunt gradus suarum qualitatum, quos amiserunt, tùm patibili, quà preparant materiam ad formam misti, tùm intermedià quadam potestate, vt partes in toto; sin qualitates spectes, sunt partim actu, quatenus in misto remanent qualitates, partim potestate, quatenus remanent fractæ, & remissæ. Argumentatur aduersus Auicennam Auerroes in illo cõmentatio lxvii. si posit forma ignis, & cæterorum elementorum incolumis manere remissis qualitatibus, fore, vt ignis adesse sine calore queat, aqua sine frigore. Nihil enim causæ est, cur si de igne demi quatuor gradus caloris queant, itemque de aqua quatuor frigoris, non possint etiam omnes. Cæterum negat istud sequi Scotus. Nam quemadmodum non sequitur, corpus potest esse sine hoc, & illo loco, ergo simpliciter sine loco aliquando erit, ita parùm firmum argumentum est, si ignis hoc vel illo gradu caloris carere queat, Idcirco omnibus posse carere. Verùm non videt Scotus, ita esse coniunctam, ita arctè copulatam caliditatem cum igne; itemque cæteras qualitates cum suis elementis, vt idem semper de forma, & qualitate iudicium fecerit Aristoteles; quare non potest pars qualitatis amitti, quin pars etiam formæ amittatur. Atque vt à Scoti exemplo ne discedamus, si aliquod corpus haberet certum locum ita coniunctum, vt vnum quiddam ex corpore, & loco fieret, certè quãtum de loco, tantum etiam de corpore illo detraheretur. Ita cum ex forma, & qualitate fiat vnum quiddam efficiendi principium; quantum de vno, tantum de altero demitur; nec aliquid causæ est, cur si pars demi potest, etiam totum non queat. Exemplum autem minimè simile est; quando loca, in quibus corpus esse potest, discreta sunt, qualitas autem est vnita. Præterea mistio ex Auicennæ sententia esset quidam proximus situs corum, quæ miscentur; & esset mistio non vera, sed ad sensum: vbi enim vnum elementum est; ibi alterum adesse non potest, sed discreta permanent, & tantum tangunt se; non verè vnum efficiunt. Posses fortasse respondere, vbique omnia adesse elementa, quoniam vnum quodque elementum ex materia alterius elementi formã sibi similem educit, vt in expositione sententiæ Auerrois audies. Cæterum responsum nullum. Nam elementa agunt per suas qualitates tanquàm necessaria instrumenta: debilitata vi qualitatis, prout in mistione debilitatur, nunquam

Argumentũ Auerrois aduer. Auicẽnam examinatum

Aliud Argumentum aduers. Auicennam.

poterit integra forma procreari. Argumentantur aliis rationibus, quas, quoniam aduersus Auerroem etiam videntur valere, infra expendemus. Possemus nos addere, contraria ex Anicennæ sententia fore simul, & longo quidem tempore. Formas enim elementorum contrarias esse alibi demonstrauimus. Verùm ipse contrarias esse negat; atque, vt afferret, posset fortasse respondere, quàmuis per se contrariæ sint, tamen cum cæteris mistas posse simul manere, & quasi contrarietatis obliuisci interuentu intermediarum formarum quasi pacificatorum; quod videtur innuisse Plato in Sympusio in oratione Eryximachi; vbi inquit graue, & acutum in harmonia non esse amplius contraris, itemque calidum, & frigidum in corporibus: sed infra hac de re copiosius.

Opinio Auerr. & Græcorum.

Postrema est sententia Auerrois, quam omnium Græcorum fuisse non dubito, hoc pacto (ne falsis aliorum interpretationibus recensendis lungam vobis afferam satietatem) statuentis. Diuiduntur elementa, cum ad mistionem accedunt, in minimas partes, quas non semper verè minimas intelligi volumus, sed sat est esse ita paruas, vt elementum elemento facilè applicari queat. Ita partes vnius elementi non partes alterius vicissim penetrantes, sed suo loco manentes ex propinquis partibus aliorum elementorum formam sibi similem, & qualitatem illius formæ perpetuam sociam educunt, atque interim ab illis accipiunt formam, & qualitatem illorum formæ, & qualitati similem (quæ verissima miscendi ratio perspicue ponitur ab Aristotele in secundo hoc libro tex. xlviii.) atque accipiendo alienam suæ nonnihil amittunt: fieri enim posse non credimus, vt remanente forma omnino inuiolata eandem portionem materiæ contraria quoque forma subeat, atque in eius possessionem ita inuadat, vt longissimo tempore ibi simul maneat. Vidimus enim nonnulla mista esse, quæ innumerabilibus penè seculorum ætatibus perdurent. Quando autem ex cuiuslibet elementi materia sunt cæterorum quoque elementorum formæ non per mutuam confusionem, & ingressum vnius in alterum, sed per effectionem, & perpessionem mutuam erutæ; certè cum ad ratam quandam proportionem res peruenit, vnum quiddam ex illis fit, & plures materiæ vna fiunt, plures portiones caloris, plures frigoris, plures aliarum formarum, & qualitatum fiunt vnus calor, vnum frigus, vnus humor, vna siccitas. Nam, quemadmodum dixit superius Aristoteles tex. lxxi. aqua si aquam tetigerit, fit vnum cum ea. Dominatur autem semper, & aliquantisper excedit vna ex formis elementorum ob causas quas Auerroes primo de cœlo vii. & x. metaphy. xxiii. & alibi attulit, quas etiam nos alibi expendemus. Nam tametsi dixerit Aristoteles, quæ ad mistionem veniunt, æquales quodammodo facultates obtinere, tamen illa dictio, *quodammodo* non temerè est addita: indicat enim in æqualitate quendam tamen vnius excessum; multosque gradus ista æqualitas habet, vt idem Aristoteles eodem xlviii. tex. ii libri demonstrauit. Est igitur factum verè homogeneum corpus; neque vllam partem licet sumere, quæ mista non sit. Verè autem dixit Aristoteles mistionem fieri ex facultatibus, quoniam non per mutuum corporum ingressum, vt Stoici opinabantur, sed per nouam facultatum ex materia eductionem mistio administratur. Alexandri autem hanc fuisse sententiam, constat ex toto illius libro, si verba religiosè, & verè explanentur. An non hoc pacto definit mistionem? Mistio est corporum iuxta se positorum intercedente effectione, & perpessione vnio cum alteratione sine interitu. At si formæ interirent, non ne falsò interitum exclusisset? Addit rursus elementa, cum ex misto separantur, facilè ad suam naturam redire, quoniam egent accessione quadam perfectionis, non integra generatione. At si vniuersa forma generanda esset, integra generatio esset. Penes formam enim solam spectatur generatio. Addit corpus ex mistione resultans esse maius singulis, quæ ad mistionem accedebant; cui loco neminem putamus posse respondere. Simplicius, & alibi sæpè idem censuit, & in secundum phy. com. xxix. vnà cum Themistio dixit elementa esse materiam mistorum partim per compositionem, quatenus scilicet remanent, partim per alterationem, quatenus nonnullam suæ naturæ partem amittunt. Philoponus autem ita dilucidè suam sententiam exponit, vt mirer à multis non intelligi. In commentario cxxxi, inquit formas manere castigatas; in secundum librum commentario xxx. diuinitus totam hanc rem docet, & quænam species potestatis sit illa, qua elementa manent in misto, pulcherrimè declarat, & in commentario xxxvii. repetit partem formæ manere, partem amitti, alibique sæpè. De Galeno etiam diximus dubitandum non esse, quin elementa maneant in misto, quod Hippocrati maximè placuit.

An præter formas elementorũ in misto sit alia etiam forma.

Sed hac re ita constituta, elementorum formas castigatas manere in misto, succedit alia meo iudicio difficillima quæstio, an præter formas elementorum noua extundatur forma re ab illis etiam vnà sumptis distincta; an forma sit idemmet, quod formæ illæ simul sumptæ. Eò autem est difficilior, quò minus est tractata ab aliis. Quòd nulla noua forma educatur,

ex

Argumenta pro parte negante.

ex definitione mistionis videtur colligi, vbi nulla nouæ formæ mentio fit; itemque ex definitione generationis quarto meteororum tradita, vbi similiter nulla nouæ formæ mentio fit cum tamen generationem mistis conuenientem definiri omnes fateantur. At in libro de vita, & morte, vbi definitur generatio animatis conueniens, fit mentio nouæ formæ, id est animæ; quare colligi potest, si in mistis inanimis noua forma in generatione aduenisset, ex hac fuisse generationem definiendam. Idem de putredine dicendum est; quæ est interitus oppositus generationi naturali mistorum; nam in ea definienda non aliqua forma præter formas elementorum interire dicitur, sed ipse calor. Galenus etiam in primo libro de temperamentis nullam nouæ formæ mentionem fecit; & in primo de locis affectis, cum inquit, in homogeneis essentiam non esse posteriorem generatione, idem videtur innuisse, quemadmodum nos alibi notauimus. Possumus etiam illam rationem adiungere, mista moueri ab elemento dominante: in omni enim compositione dominari aliquid testatur Aristoteles primo pol. cap. tertio, quare elementum dominans esse illorum formam. Forma enim est natura; natura autem est principium motus, præcipué ad locum, vt patet ex Philopono in in hunc librum com. 92. quare, quoniam definitio cum definito reciprocatur, quod est principium certi motus alicuius rei, illius etiam est natura, & forma; Ergo si elementum prædominans est principium motus misti, erit quoque illius natura, & forma. Præterea si in mistis esset forma diuersa à formis elementorum, requireretur efficiens, quod illam educeret; elementa quidem hoc præstare non possent. Nihil enim efficiendi vltra gradum proprium vim habet. At Aristoteles dicebat secundo libro tex. xlviii. siccum, & humidum, & huiusmodi alia facere carnem, & ossa; ergo caro, & ossa non habent diuersam ab illis formam. Adde ex tertio de cœlo xxiiii. ordinem esse propriam sensilium naturam; ergo satis est, vt ordinem seruent elementorum formæ inter se ad constituendam sensilium naturam, & essentiam. Adde Aristotelis autoritatem octauo metaph. octauo ita expositam ab Alexandro vt intelligamus, non ex elementis, vt aqua, & melle, & mistione confici formam mulsi, sed nullum esse ipsam mistionem; item syllabæ formam non componi ex literis, & compositione, sed formam syllabæ nil aliud esse, quàm ipsam compositionem. Huc accedit, quòd totum nihil aliud est, quàm suæ partes simul sumptæ primo phy. com. xvii. & quarto phy. cõmentario xliii. Item x. metaphy. com. xxiii. scribitur, compositum ex contrariis habere alterum, quod excellit, cui tribuitur forma; vt videatur mistum esse quatuor elementa simul iuncta, principem tamen locum, & formæ instar obtinere, quod dominatur. Ad finem etiam primi capitis primi libri de partibus animalium videtur eo nomine laudari Empedocles, quòd formam attigerit, cum tamen ille aliam rerum mistarum formam non nosceret, quàm coitionem, & mistionem elementorum.

Argumenta pro parte affirmante.

Verùm pro altera parte non desunt etiam rationes, & autoritates. Nisi extondatur alia forma, mistum videbitur esse quatuor, non vnum. Præterea idem respectu ad idem habito erit simul materia, & forma. Accipio enim plombum, in quo, exempli causa, dominatur terra; certè terra est materia respectu plumbi; est enim elementum, id est ex quo plumbum fit; & in quod dissoluitur; atque respectu eiusdem plumbi est forma, quoniam in mistione dominatur, & est principium mouens; ergo simul materia, & forma. Præterea nihil dat, quòd non habet. Mista habent actiones insignes, quæ elementis nullo pacto conueniunt, vt magnes attractionem ferri, rhabarbarum flauæ bilis; ergo eæ non ab elementis, sed à noua forma proficiscuntur. Præterea idem esset efficiens, & materia. Nam elementa sine dubio sunt materia misti, & tamen illud efficiunt; ergo simul efficientes causæ, & materia sunt, quod nullo pacto est ferendum. Præterea si efficiunt mistum, certè ab eo diuersa sunt, ne idem seipsum efficere fateri cogamur; rationes autem hæ sunt acceptæ à Scoto in tertiũ, sententiarum distinct. secunda quæstione secunda. Eodem ferè argumento vtebatur Zimara in octaua contradictione primi phy. ad ostendendum compositum realiter differre à materia, & forma. Præterea terminus generationis misti esset non substantia, sed pura quædam relatio, id est compositio elementorum, & vnio. Præterea quemadmodum secundo de anima xxxix. ne elementa diuellantur in animante, anima iudicatur necessaria, ita in mistis inanimis ob eandem causam necessariò forma mistionis requiretur: atque omnino, vt in animatis cernitur forma diuersa ab elementis (species autem rerum se se habent sicut numeri) ita in mistis videtur alia forma inducenda præter elementorum formas. Adde quod septimo metaphy. lx. scribitur, carnem non esse terram, & ignem, sed aliquid aliud additum; quod repetit etiam Auerroes primo de anima lxxvii. & primo de generatione lxxxiiii. & primo metaphy. xii. & tertio de cœlo commentario lxvii. elementa recipiunt nouam formam à se diuersam. Ego verò illo etiam argumento vtor, quòd cum accretio in homogeneis pri-

mum spectetur, & in iis forma maneat, materia fluat, certè hæc forma anima esse non potest (hæc enim corporis organici actus est) neque compositio; nam forma, quæ crescit, manere dicitur; compositio autem variatis partibus necessariò variatur. Restat igitur, vt sic forma mistionis à formis elementorum diuersa. Hæc sunt, quæ mihi difficultatem faciunt, vt in quam partem propendeam, non satis constitutum habeam; omninoque in neutra parte argumentum necessariò demonstrans audio; quamobrem omnia refellam, vobisque integrũ quod constituatis, relinquam.

Refutantur argumenta parte negāte allata.

Diluamus igitur primum argumenta pro parte negante allata. Potuit Aristoteles omittere in definienda generatione, & interitu nouam illam formam; quoniam omnis generatio, & interitus, quamuis sæpè ad aliam formam terminetur, semper tamen ex formis elementorum oritur. Nam cæteræ formæ carentes contrario non corrumperentur, non generarentur, nisi formæ elementorum vicissim inter se pugnarent, vnaque ex ipsis nimis à iusta proportione discedens, mutuæ diremptionis, ac dissolutionis causa esset. Quare cum formæ etiam mistorum ignotæ ferè essent, & generatio omnis, atque interitus interuentu primarum formarum obiretur, harum dumtaxat in generatione, & putredine definienda mentio facta est. Quoniam autem anima notior erat, ipsius enim actiones multò euidentius extant, quàm formæ misti; idcirco in definienda generatione animatorum illius mentionem esse factam verisimile est. Certè interdum definitio essentialis omittitur, vt in definitione felicitatis, ac tantum causæ afferuntur. Galeno responderem distinctionem essentiæ à generatione patere minus (ob causam, quæ à nobis cum de accretione ageremus, allata est) in homogeneis, quàm in hæterogeneis; reuera tamen, & in illis adesse: omitti autem mentionem istius nouæ formæ; quoniam, vt nomine primarum qualitatum sociæ etiam formæ intelliguntur, ita nomine temperamenti socia illius forma significatur. Ad aliud respondet Zimara in tabulis in verbis illis, *corpora composita mouentur ab elemento dominante* naturā in primis corporib. esse initium motus localis, vt in cœlo, & elementis; at in aliis corporib. esse initium aliorum motuum, vt alterationis. Nam per formam mistionis, quæ natura est, magnes trahit ferrũ, succinus paleas. Ità cũ homo de turri decidit, mouetur ab elemento dominante; licet habeat aliam veram formam, nempè animam: ergo non semper motus ad locum à postrema forma, & natura prouenit. Quare elementum dominans, licet sit potestate, quà pars est totius misti corporis, & quà præparat materiam; tamen actu est, quatenus mouet; mouere enim est opus rei actu existentis: verùmtamen de motu mistorum in secundo fusius disputabimus; res enim minimè facilem explicatum habet. Ad aliud de causa efficiente respondet D. Thomas in digressione ad finem lectionis xxiiii. cœlum, quod alterationis expers est, & mistionis, reliqua alterare, & miscere; gubernatur enim mundus inferior à superiore, ex quo illi continuatus est, vt primo meteororum habetis; gubernatur autem per lationem illius, & per lumen, ex quo lumine mirabilia prodeunt effecta; quàmuis de diuersitate istorum effectorum, quæ à diuersis syderibus proficiscentur, non est vsquequaque assentiendum D. Thomæ. Alexander sanè secundo quæstionum cap. iii. præclarè ostendebat ex motu Zodiaci pendere generationem variorum elementorum, atque ex eadem vi diuina pendere etiam generationem mistorum, & præcipuè animatorum, ita vt vis illa diuina primis corporib. & imperfectis tanquàm materia vtatur ad perfectiora, & animata generanda. Quare fallitur Auer. dum Alexandrum reprehendit, quòd animam putauerit ex mistione elementorum oriri, itaque materiam tantùm, non causam efficientem attulerit. Semper enim fatetur Alexander ex mistione oriri, verùmtamen intercedente vi diuina, id est lumine illo vitali, quod ex materia idonea varias formas procreat. Quòd si dixit Aristoteles siccum, & humidum facere carnem, & os; nomen faciendi impropriè vsurpauit; quatenus, vt superius diximus, omnis causa habet vim quandam faciendi; faciunt autem tanquàm materia, & instrumentum. Facere sanè multis modis dici, & ad instrumentum pertinere, notauit ipsemet Aristoteles quinto Ethic. cap. octauo. Quod de toto, & partibus considerandum proponebatur, per se ipsum magnæ arduæque cognitionis eget. Zimara in octaua contradictione primi phy. cum Latinis sentiens totum significare essentiam realiter diuersam à partib. simul sumptis, omnibus autoritatib. Auerrois, quæ pro contraria parte afferri queant, ita respondet, totum nihil aliud esse, quàm suas partes simul sumptas constitutiue, & integraliter, quia nihil aliud intrinsecus concurrit ad totius constitutionem, quàm suæ partes simul sumptæ. Nec tamen idcirco totum reapse non est diuersum ab illis. Aut, inquit, non est aliud, id est non est diuersum loco, & subiecto; quauis sit diuersum re, & essentia. Quæ mihi omnino videntur imperitissime dicta, neque vllo pacto menti Auerrois consentanea; quod illas autoritates consideranti facilè patebit.

An totum sit idē quod partes.

Aduersus Zimarā

Neq

Nec verè totum significat aliam essentiam, vt paulò post dicam. Quid igitur respondendum? labuntur isti in re minimè difficili. Totum nihil aliud est, quàm suæ partes omnes simul sumptæ; quare mistum etiam non erit aliud, quàm suæ partes omnes simul sumptæ. Verùm si adsit illa noua forma mistionis, ipsa etiam erit pars totius; quare dicemus mistum nil aliud esse, quàm formam mistionis, & quatuor elementa illam substinentia. Omnino inter partes vna perpetuò materiæ, altera formæ instar habet; quare totum non significat naturam diuersam à partibus, sed primò significat præcipuam partem, deinceps minus præcipuam. Ita etiam Aristoteli, & Alexandro respondemus, mistum non componi ex elementis, & mistione, sed mistionem esse ipsamet elementa coniuncta, & ad certam proportionem redacta. Verumtamen intelligendum est, si præter elementa adsit noua forma, vt nunc ponimus, mistum posse dupliciter spectari, tùm quatenus est compositum quiddam ex elementis, vlteriorem formam non considerando, quo pacto dicimus in libris de partibus considerari partes animalium, non considerando animam; tùm quatenus vlteriore etiam forma est prædituũ. Eo igitur loco Aristoteles, & Alexander mistum priore modo spectabant, negabantque mistum componi ex elementis, & mistione, quasi mistio, & ipsa pars materiæ euaderet; sed illud tenebant mistionem esse ipsamet elementa coeuntia, & compacta; neque tamen quicquàm obstat, quominus ex elementis istam iam formam, & essentiam, id est proportionem mutuam habentibus alia perfectior ex materia erumpere queat. Ita vocatur ordo propria natura sensilium, non quòd sit vera, atque intima rerùm essentia, sed quòd sine eo nulla natura queat consistere; sic etiam aliquando locus vocatur forma corporis à se contenti.

Opinio propria.

Explanatio tex 8. ex 8.met.

Explanatio tex.14 ex tertio de cœlo

Nunc ad contraria argumenta, quæ ostendebant adesse in misto nouam formam, nos conuertamus. Primum ducebatur ab vnitate corporis misti. Dicimus satis vnum esse, si optima inter se proportione elementa cohæreant, ita vt vnum dominetur, cætera libenter obediãt. An non dicebat Plato in oratione illa supra memorata, graue, & acutum non esse amplius contraria, cum harmoniam faciunt, quæ vnum quiddam est, licet non significet aliam formam reapse distinctam à graui, & acuto? Ita elementa vnum fient ob iustam proportionem quemadmodum Arist. etiam septimo met. lvi. partes animalis inquit vnum esse, quòd mutua quadam cognatione continerentur, & simul essent continuatæ: Nec omnino quod secũdo loco obiiciebatur, ullo pacto absurdum est, ab elementis simul iusta quadam proportione connexis effecta quædam prodire, ad quæ, cum per se erant, aspirare non potuissent. In mistione artificiosa, in qua negant nouam formam extundi, mirabilia tamen effecta cernimus; quare in naturali multò maiora prouenire debebunt. Ad tertium respondemus, cum noua forma est procreanda, nullo pacto materiam esse efficiens; at in mistione nulla noua forma procreatur; sed vnumquodque elementum quatenus agit in alterum, est efficiens, quatenus patitur, est materia: mutuò autem fracta, & ad iustam æqualitatem redacta vi naturæ euadunt vnum. Dicuntur autem materia totius; quoniam per se considerata sunt partes illius totius, quod ex ipsarum compositione resultat; vt vnitates sunt partes totius numeri (neque tamen hoc totum reapse diuersum est), & quomodo genus, & differentia sunt partes speciei. Nec verò absurdum etiam est, elementum dominans partim esse materiam, partim formam; est enim materia, quatenus venit ad fœdus faciendum cum cæteris, & ad componendum totum; est autem forma, respectu habito ad cæteras partes, quæ inferiorem locum tenent, & subiectæ illius imperio sunt. Ad aliud eadem ferè responsio. Materia, & & forma coniunctæ non efficiunt, sed iam sunt ipsum compositum; itemque elementa simul temperata non efficiunt, sed iam sunt ipsum mistum. Quòd si dicimus mistum confici ex elementis simul iunctis, itemque corpus omne ex materia, & forma, illud significamus mistum non esse vnum tantum elementum, sed plura; itemque corpus omne non solam materiam, aut formam, sed ambo. Ad aliud, non est mistio omnino generatio; nulla enim noua forma educitur; ac tamen desinit ad elementum ipsum dominans in certa proportione: ex quo substantia, id est elementum dominans est istius mutationis terminus. Ad autoritatem Aristotelis ex secundo de anima responderem, optimè rationem illam aduersus Empedoclem valere, qui adhuc elementa in misto contraria statuebat; nam vt ibi ex xxxviii. textu constat, ignis sursum, terra deorsum etiam in misto ferebatur; quare ne citissime diuellerentur, egebant alia quadam forma. At apud nos amplius contraria non sunt, sed optima proportione tanquàm arctissimo, vinculo coniuncta; eòque, vt aliquandiu perdurent, non egent alio cohibente. Ita Aristoteles secundo de cœlo xxxvii. inquit fortasse interitum in animalibus prouenire, quòd sint constituta ex partibus alieno loco sitis, atque ita, addebat Auer. appetant diremptionẽ, vt ad propria loca redeant; cautè inquit fortasse, quasi si hoc aduersariis concederet, nihilominus cœlum æternũ esset; quod nõ vidit Zimara in theor. 27.

Refutatio argument. pro parte affirmante allatorum.

Quamuis autem species multæ rerum sese habeant sicut numeri, non tamen omnes. Atque in mistis videtur potius fieri nouus numerus, id est noua essentia ex pluribus numeris simul coniunctis, quàm ex vnitate addita priori numero. Huius diuersitatis illud in causa esse potest, quòd formæ elementorum intenduntur, ac remittuntur; idcircoque mistæ sine alia vnitate nouam speciem promere potuerunt. Quare terra, & ignis non sunt idem quod caro, nisi ad certam societatem, & proportionem reuocentur; quod etiam de literis, & syllaba inquit Aristoteles; licet in syllaba præter elementorum compositionem nulla noua forma adueniat. Ad illud meum dicerem, formam in homogeneis esse totum ipsum in proportione certa, & fixa; quæ quidem ita exiliter variatur, vt varietas sensum fugiat; idcircoque forma manere dicitur, licet partes varientur, & fluant; quod videtur innuere Philoponus com. cxviii. dum de temperamenti latitudine disputaret. Constituimus igitur elementa manere in misto: vtrum autem noua forma adueniat, an essentia misti constituatur ex elementis simul iunctis, inter quæ tamen dominans instar formæ obtineat, vobis statuendum relinquimus. Restat nunc, vt quibus argumentis videntur nonnulli demonstrare elementa non manere in misto, expendamus, ac si possumus, refutemus.

Argumēta, quòd elementa non maneant in misto.

Primùm, vt inquit Scotus in illa distinct. xv. idem numero subiectum in pluribus speciebus continebitur; in eadem enim portione materiæ sunt omnes quatuor formæ, ergo idem simul erit ignis, aër, aqua, & terra. Præterea plura corpora in eodem loco erunt, quod planè absurdissimum est; nam si in eadem portione materiæ quatuor insunt corpora, non vident, quî sese non penetrare dimensiones istorum corporum debeant. Præterea ignis manebit vnà cum qualitatibus sibi repugnantibus; itemque aqua, vt ille cum frigore, hæc cum calore. Præter hæc argumenta aduersariorum, illa quoque nobis exhibere negociū possunt, quî in eodem misto quò ad qualitates mouentes, vnum elementū dominari queat, alterum quò ad patibiles; vt in carne terra, quod ad grauitatem attinet; quod verò ad insitum calorem, & humorem aër; quî mistum intereat naturali interito, si elementa in eo remanentia contraria non sont, sed dominanti cætera libenter obediant; quî mistum, vt mel vna qualitate amissa, vt dulcedine, non tamen exuat alteram, vt colorem flauum; de quo dubitauit Philoponus superius in com. cxviii. Addamus & illud, ad quam categoriam referatur mistio, itemque segregatio earum rerum, quæ in mistione coierant; & vtrum in misto omnia elementa insint. His enim explicatis ad exitum quæstio hæc perducta erit.

Explicatio argumentorū, & quæstionum.

Ad primum igitur argumentum dicimus, vt ex pluribus vnitatibus fit vnus numerus, ità ex pluribus formis ob seruatam proportionem fieri vnum, ac totum quiddam; cuius partes dicuntur esse potestate. Species autem potestatis hæc est, non terminari terminis propriis, sed alienis, de qua diximus in quæstione de formarum multitudine; quamque in mistione elementorum euidenter constituit Aristoteles secundo de generatione xlviii. Itaque actus vnus est, & species vna distincta à speciebus elementorum; præsertim si nouam illam formam à formis elementorum distinctam teneamus. Secundū iam reprehendimus. Non enim vident aduersarii, in eodem loco plura quidem corpora quanta esse non posse, plures autem formas esse nihil vetare; quod de accidentibus patet; eadem autem ratio est de formis; quoniam & ipsæ incorporeæ sunt. Hinc Auerroes quarto phy. lxxvi. notabat ex Arist. corpora non posse sese penetrare, acceptum referre terminis mathematicis, idest quantitati, non qualitatib. sensilibus. Nos autem iam ostendimus, quo quantitas nullo pacto in mistione penetret aliam quantitatem, sed tm̄ multiplicentur formæ, & ex plurib. materiis fiat vna materia, ex plurib. quantitatibus vna quantitas. Idcirco demonstrauit Aristoteles elementa non habere propriam figuram, quemadmodum res præcipuè animatæ habent; ne in mistione figuræ ipsæ, & quantitates sese penetrare cogerentur. Tertium argumentum nihili facimus. Nam elementorum fractæ formæ sese optimè ferre possunt, itemque illarum sociæ qualitates: neque enim vere contrariæ sunt, vt ex Platone ostendimus, sed in mutam quandam naturæ vnitatem consenserunt. Aliud omnib. difficile est. Dicimus nos ex paraphrasi meta physica tractato quarto columna xiiii. sese comitari qualitates mouentes, & patibiles; vbi enim frigus, ibi grauitas; vbi calor, ibi leuitas. Sed tamen illud est attendendum; in his mistis dominari aquam, & terram, quod ad molem pertinet; itaque etiam maius in illis est frigus, quàm calor, quantum ad eandem molem spectat; sed tamen parua moles ignis plus agit in externam materiam, quàm magna terræ, aut aquæ; idcircoque calidum dicitur quasi efficiens in mistione, quòd scilicet agit in humidum; at quantum pertinet ad dandam propensionem materiæ, & momentum; plus potest magna copia frigoris, & terræ, quàm parua caloris, & ignis, aut etiam æqualis; quoniam non eadem conditio est agendi in rem externam, & mouēdi seipsum. Præterea duplex calor in rebus animatis, insitus, & influens.

Qui in eodem misto vnū elementū dominet quo ad qualitates patibiles, & alterum quò ad grauitatē & leuitatem.

Caro

Caro grauis est, & idcirco sine calore influente esset magis frigida, quàm calida, id est maiorem copiam frigoris, quàm caloris haberet; at per calorem influentem magnam acquirit copiam caloris, & fit calida. In mistis igitur illud grauius est, quod maiorem copiam habet elementi grauis insiti, vt inquit Arist. quarto de Cœlo xxviii. & leuius, quod maiorem leuis; licet ob coniunctionem extrinsecus influentis caloris graue fieri possit calidum (de qua notione calidi, & frigidi diuinitus scripsit Aristoteles secundo de partibus animalium cap. secundo) eoque ignis dicatur dominari in viuentibus ab Auerroe secundo de anima quadragesimoprimo, quem locum explanat Zimara in trigesima contradictione illius libri. In simplicibus autem absolute calidius est etiam leuius, frigidum cum siccitate est grauius, cuius rei alibi causas attulimus. Crediderim autem animal nominari calidum, & humidum respectu habito ad cætera mista, non quòd in eo dominetur simpliciter calor; nisi consideremus excellentiam caloris in agendo. Quòd enim maximè efficax est, & tantus in animalibus calor vt omnibus ferè animæ muneribus inseruiat, dominus cæterorum elementorum vocari potest, ita, vt in animali sit maior copia frigoris, idcircoque maior grauitas (præcipuè cum plus fortè valeat grauitas in mouendo, quâm leuitas, quamuis calor plus possit in agitando rem externam, quàm frigus, ita rerum vires compensante natura) adsit tamen tantus calor, vt in actionibus maximè eluceat, idcircoque in agendo longê dominetur.

Quomodo animal dicatur calidum.

Antequam reliqua problemata explicemus, illud primùm tractemus, an in omni misto sint omnia quatuor elementa. Rectè dicebat Zimara theoremate xliii. quod accæpit ab Aristotele initio octaui de historia animalium potuitque ex hoc capite, esse naturas quasdam ancipites; vt inter plantas, & animalia sunt Zoophyta, item inter elementa, & mista perfecta cuiusmodi sunt animantia, sunt quædam corpora intericcta, quæ non satis constat, sint ne verè mista, diuersamque ab elementis speciem sint adæpta, an sint elementa alterata, quomodo de rebus meteorologicis statuebat Olympiodorus ad initium primi meteor. Nec verò vnica conditio est isturum intermediorum corporum; sed quædam altius, quædam leuius mista sunt; quare perfecta mista ex omnibus elementis constant, vt in secundum librum tex. 49. docebimus, itemque in quartum meteorum alibi diximus (vere enim obseruabat ad finem huius libri Auerroes, quæ hic de mistione sunt inchoata, quarto meteororum absolui) at minus perfecta non semper omnibus, vt chrystallus, in quo scribit Aristoteles secundo post. cap. xii. omnem calorem esse extinctum; neque multa fortasse alia ex inanimis. Attendatis autem interdum mistum proximè fieri ex elementis, quod de sulphure, & argento viuo, & aliis quibusdam succis traditur; interdum verò non proximè, sed intercedente alio misto: cæterum, etsi interdum mistum fiat ex mistis, vt ex variis cibis fit sanguis, tamen per accidens fit ex mistis: per se enim fit ex elementis, quæ continentur in mistis illis. Sic pisces in medio mari fiunt ex semine, aut ex aliquo alio, in quo insunt omnia elementa. Nec elementa vi omnino sunt in hac inferiore mundi parte; licet enim leuia deorsum vi ferantur tamen rectè postea mista libentissimè, vt diximus, versantur, idcircoque longo interuallo perdurare queunt. Attendatis etiam artem inchoare dumtaxat mistionem, naturam perficere; ex quo verè dicebat Hippocrates naturam esse, quæ medetur, Medicum autem ministrare. Medicus enim miscet, id est juxta ponit pharmaca; at illa postmodum per internam, & naturalem vim efficientia, ac patientia mistionem administrant, & forma illa extunditur, quam Mesue tot laudibus extollebat.

An in omni misto sint quatuor elementa.

Hoc ita constituto, quomodo mista naturaliter intereant, doceamus. Primum igitur adest facultas materiæ; in qua semper adest contrarium potestate, quod appetitur; de qua causa pulchrè Aristoteles in libro de longitudine, & breuitate vitæ. Hæc autem est causa cōmunis oīs interitus; ac ratione primæ materiæ omnis interitus naturalis est. Præterea adest certum temperamentum, quod vel faciliùs, vel difficiliùs ab ambiente peruerti potest; dispositio enim patientis potest, vt sæpè docuimus, accipi pro causa efficiente. Præterea adest etiā in mistis perfectis calor igneus, qui nutritur humoris pabulo, atque hic humor vel citius, vel tardius potest absumi, de qua re ibidem disputauit Aristoteles, & copiam, & qualitatem, tùm caloris, tùm humoris considerans. Ex quo etiam facilè patere potest, elementa remanere in misto; nam qualitas qualitate non nutritur. Verùm inquiunt, mistum esse hæterogeneum, constareque partibus tenuioribus igneis, aëreis, & aqueis, itemque crassioribus, ac terreis, quæ partes singulæ mistæ, & ipsæ sint, vt in sanguine, & lacte apparet; ex quo diuersæ medicamentis vires, vt habes à Galeno libro de theriace ad Pisonem; ita calorem naturalem, & humidum radicale esse duo corpora mista, vt Thomas de Garbo tract. secundo quæstione xix. docuit; nutriri autem corpus calidius corpore aquosiore. Quod nos vt perpetuò falsum esse minimè affirmauerimus; nam certe in animalibus istæ partium varietates

Quomodo mista naturaliter intereat.

extant, tamen aliquod mistum verè homogeneum esse censendum est, ne res abeat in infinitum; atque istud homogeneum præcipuè spectauit Arist. & in eo hunc intereundi modum reperit. Ergo calor absumit internum humidum, non, quòd inter ea pugna sit, sed vt se ipsum tueatur, qui ob tenuitatem suam facilè euanescit (non enim dico, vt Leonicus, in se ipsum agit ob suam efficaciam, nihil enim agit in se ipsum) facillimè inquam extinguitur, nisi alimento assiduè reparetur; atque etiam in hac reparatione gignuntur excrementa contraria illi, quod nutritur (sunt enim reliquiæ prioris alimenti, quæ conuerti nequiuerunt) & ab istis semper nonnihil offenditur, vt in eodem libro Aristoteles; quamuis ob qualitatem humoris minimè dissipabilis, & caloris non vrentis; neque citò consumentis mistum aliquod diu perseuerare queat incolume sine nouo, aut saltem euidenti alimento. Erit igitur naturalis interitus ille, qui ab interna conditione patientis ipsius, in qua, vt diximus, inest quædam vis efficiens (vt quòd humor magis, vel minus dissipabilis sit; quòd adsint instrumenta inuiolata refrigerandi caloris, aut paulatim officium suum fungi nequeant, vt pulmo, & branchia) vel à natura caloris interni absumentis proficiscitur. Reliqua quæstio a Philop. optimè explicatur. Inquit.n. constare temperamentum latitudine quadam, cuius si portio aliqua auferatur, non continuò totum temperamentũ euertitur; sed perstare põt; quamuis requirat iustam quandam latitudinem, cuius nimia portione dempta totum euerteretur. Qualitates autem, quæ huiusmodi sequuntur temperamentum, non omnes eandem latitudinem sequuntur, sed quædam integrã speciem, quædam paulò etiam alteratam, aut inminutam; quare paulatim coarctata, aut alterata latitudine, illa quidem qualitas abolebitur, quæ totam illam latitudinem, atque integram speciem requirebat; non tamen illa, quæ in minori etiam latitudine, aut in paulò variato temperamento consistere potuisset. Præterea alibi docuimus misti corporis qualitates præcipuè vnius elementi naturã sequi, vt saporem humidi, odorẽ sicci; quare nihil mirum, si exsiccato corpore manebit odor, at non sapor. Adde diuersitatẽ partium tenuium, & crassarum, quarum tenues facilius euanescunt, & qualitates illarum comites abolentur; ex quo sapor persæpe immutatur. Theophrastus sanè notabat plantas lætales esse interdum dulces, quamuis dulcedo sit amicissima naturæ, quòd diuersis partib. constent. Quare si alterentur partes dulciores, & absumantur à calore nostri corporis, remanebunt venenosæ illæ, quæ si per se gustatæ essent, amaræ, atque insuaues visæ essent.

Quomodo in misto non omnes simul qualitates deleantur.

Restat de propositis vltimum, vt ad quam categoriam referatur mistio, intelligamus. Mistionis vox aut significat ipsam actionem miscendi, ita ad categoriam faciendi referetur; aut significat ipsammet naturam iam ex pluribus naturis conflatam (sic vox αἴσθησις interdum naturam ipsam sentientem; interdum actionem significat) atque ita meo iudicio erit relatio quædam nixa in rebus quæ miscentur. Si miscerentur accidentia, esset relatio in accidentibus nixa; sed quoniam censemus non misceri substantias, erit nixa in substantiis; Erit igitur vnio substantiarum, vel plures substantiæ in vnam naturam conductæ, atque vnum factæ. In quæstionem autem cadere solet, quomodo distinguatur à generatione: nam quandoquidem desinit in substantiam, videtur vera generatio: attamen Aristoteles tex. lxxxiii. eam à generatione distinxit. Zimara in theoremate xx. existimauit, vt aliàs diximus, mistionem differre à generatione definita ad initium huius libri, quippe cùm generatio illa in simplicibus duntaxat corporibus habeat locum; at cum generatione illa, quæ ad initium quarti meteor. definitur, re conuenire, & subiecto idem esse, quàmuis ratione fortasse differant, vt alibi idẽ declarauit. Mistio enim spectat propriè formas ipsas elementorum coniunctas, generatio autem formam illam nouam additam prioribus formis. Nos in quæstione de multitudine formarum ostendimus generationem ad initium huius libri definitam omnibus substantiis, siue simplices, siue mistæ sint, conuenire. De generatione autem definita ad initium quarti meteororum non satis constat, qua etiam ratione distinguatur à mistione; nam in ea nulla mentio fit nouæ formæ, sed tamen nonnihil discriminis inesse intelligendum est, quemadmodum in superioribus quæstionib. notauimus. Nam si noua forma educitur, re differt generatio misti à mistione; nam mistio quasi materia est ad formæ misti generationem; sin minus, ratione tamen differt; quoniam mistio significat coniunctionem plurium formarum; generatio autem spectat illud vnum, quod genitum est, & nouam speciẽ ex mistione resultantem quasi speciem numeri ex pluribus numeris coniunctis: atque hoc sibi volebat Aristoteles, cum generationem à mistione distingueret. Omnino enim noua quædam in misto exoritur species, vel per nouæ formæ accessionem, vel per coniunctionem plurium, atque vnius naturæ ex pluribus conflationem, quod etiam notauit Gal. in libro de theriace ad Pisonem. Aristoteles autem quarto pol. cap. ix. hoc quasi indicium tradit bonæ temperationis, si mistum vtrunque eorum, quæ miscentur, & neutrum esse videatur. Mistio igitur est vnio, id

Ad quam categoriã referatur mistio.

Quomodo mistio differat a generatione.

est

ſtum vtrunque eorum, quæ miſcentur, & neutrum eſſe videatur. Miſtio igitur eſt vnio, id eſt relatio quædam, qua ſignificatur factam eſſe vnam naturam, vnumque corpus ex multis alteratis: quare definitio hæc formam pro genere habet (quomodo ſolent habere omnia accidentia; relatio autem accidens eſt) materiam autem pro differentia; in qua ineſt etiam vis quædam efficiens; vt in propriis affectionibus idem eſt ſubiectum, & efficiens; quòd enim corpora ſeſe viciſsim altereut, hinc exiſtit miſtio. Finis autem omittitur: quoniam idem eſt cum forma, vt alibi explicauimus. Cauſa autem efficiens remotior, id eſt cœlum ſuo tempore explicabitur: nunc enim nimis à propoſito digreſſus eſſet Ariſtoteles de ea memorans. Segregatio autem ac diremptio erit item relatio oppoſita miſtioni, eodemque pacto differet ab interitu, quo miſtio à generatione. In interitu enim præcipuè ſpectatur euerſio totius naturæ, in diremptione ſignificantur corpora, quæ diuelluntur. Non autem ſemper omnia elementa ſeparantur, ſed interdum vnum extinguitur, cætera roborantur, & ex dimidiatis quodammodo integra redduntur, vt ſuperius ex Alexandro diximus. Ita ex cadauere ignis extinctus recedit, terra remanet expreſsior, atque integrior, quàm antea in corpore miſto eſſet. Hæc de miſtione; atque ea, quæ in primum librum dicenda erant, hunc habeant terminum.

Argumenta pro parte negante.

FINIS.

REGISTRVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z. AA BB.

Omnes ſunt duerniones, præter BB, qui eſt ternio.



Lucæ apud Vincentium Busdracum.
1567.

Libuit non tam, quòd meæ, quàm quòd lectißimorum, & mei amantißimorum Iuuenum gloriæ libenter faueo, quædam illorum de his Commentarijs Carmina apponere.

Petri Gherardi è Burgo Sancti Sepulchri.

Graiugenûm meritò princeps clarissime, cuius
Doctrina omnigena tantùm, variisque repertis
Omne hominum genus, exquirens verè abdita rerum,
Nititur; humana qui vix iam stirpe creatus,
Vltima naturæ inspiciens, causasque latêbras
Ingrediens, &, quæ mortali corpore constant,
Quæque æterna manent, senioque carentia turpi,
Perlustrans animi ratione, & mente sagaci,
Omnia veridicis potuisti exponere dictis;
Quod tu inter clara, & diuina scripta profectò,
Pectore parta tuo, & duro quæsita labore,
Tam admiranda quoque hæc nobis monimenta dedisti:
Et rerum inuentor docuisti primus apertè
Quòne modo intereant generatim, quòue generentur,
Quæ sunt mortali natura prædita sanè,
Et qui absque exitio possint mutarier omni,
Vnde etiam pariter minuantur, & agmina sumant,
Quo pacto inter sese tangere corpora possint,
Qui facere, & pati, & qua etiam ratione, modoque,
Mutuáque potiuntur misceri; mista resultent;
Haud meritas posset quisquam tibi reddere laudes;
Vnde tibi æterni à nobis debentur honores.
At tu suauiloquens Musarum dulcis alumne,
Et decus eximium sapientum, obscura repetita
De rerum exortu qui solus tempore tali,
Illustras facili, & diti sermone Latino;
Quòd genitas res, quas primò eum in luce locasset
Maximus ille parens Sophiæ, summusque magister,
Obruerat tenebris tamen, atque caligine tempus,
E tenebris rursus profers in luminis oras,
Dicta obscura viri perfundens omnia luce;
Maiores tibi certè ex hac re ducis honores
Partibus egregiè multis, maioraque multò
Mirificè quæris solidæ tibi præmia laudis.
Nam etsi cuiusque primordia tradere rei
Præclarum quiddam, & mirum, carumque videtur:
Tempus enim adueniens paullatim iam augmine donat
Artes, & multas semper florescere cogit;
Attamen ingenio tantum, & ratione valere,
Vt reparentur ea, & dias in luminis oras
Restituantur, quæ disperdita tempore iniquo
Obscura iam in nocte iacent, tenebrisque sepulta;
Multò equidem magis, & mirum, carumque videtur,
Quàm res principio in lucem proferre serenam.
Hoc etenim humanum est; illud sine numine diuûm,
Vix potis est vlla nostra ratione parari.
Iure igitur iuuenes te nunc, ò prime Sophorum,
Concelebrant; rerum exortum quòd visere possunt,
Per te discussis tenebris, & lumine fuso.
Et quamuis multis, & doctis posse placere,
Difficile, & planè à nostra ratione remotum est.
Tu tamen ingenio præstans, & mente sagaci
(Quæque tui est animi vis, & quæ viuida virtus)
Sic nunc alternis coluisti flumina linguæ,
Doctrinam, & plenam certa ratione, fideque;
Vt, cum docta tui ingenii monimenta vigentis
Sint vario simul, & dulci contincta Lepôre,
Vtilis esse queas studiosis omnibus æquè.
Viue diu nobis sapientum prime virorum;
Aeternosque tuos nobis iam perge labores
Tradere, & ornare hæc doctis pia secula chartis.
Nominis vnde tui iam didita fama per omnes
Italiæ terrai vrbes, longeque remotas,
Te æternam ad cœlum possit cum laude vocare.

Raphaëllis Grisonij ex eodem oppido.

Mitescunt Zephiris frigora, rumpitur
Vndarum glacies vorticibus, niues
Soluuntur tepida fronte Fauonii
Flores, & redeunt aues
Tunc glebæ tepido flamine putridæ
Frondet parturiunt, germina pullulant.
Hoc mundum genitum tempore concinunt
Aeterni Imperio Iouis
Sic grato Zephyri Flamine Nobili
Soluuntur placidis conditionibus
Concreti latices, diffugiunt niues
Florentem, & retegunt humum.
Hortis Hesperidumque Alcinoi magis
Fulgent conspicui nunc Stagiritici
Squallor disperiit, prata virentia
Vernant Flamine Nobili.
Hortum nunc subeant, quos studia hæc iuuant
Flores hinc alacres purpureos ferant
Permistos violis, poma recentia
Autumnò sapient suo.

Scipionis Bendinellij Lucensis.

Inter diuitias velut
Auro splendidius nil aliud nitet.
Ardens ignis vt æthera
Atras per tenebras fulget in arduo
Qualem Mnemosides vident
Phœbum, cum medium sedu tenet sua,
Excellit sapientiæ
Diuinum studium non aliter bonis;
Quod sic Flaminius senex
Solo vt terra, polus gaudeat huc viro,
Naturæque latentia,
Et cœli ardua non cognita plurimum.
Altum Nobilio nihil
Quod nunc principis extet Stagiritici.
Nam isto, quicquid in his erat
Tecti, perspicuum Sole nitet magis.
A nobis alii simul
Latini, Argolici sic abeant procul,
Est vt gentibus omnibus
Carus deinde futurus liber vtilis.



Vidit, ac imprimendi facultatem, & licentiam concessit Fœlix Ambrosinus Vicarius Generalis Reuerēdiß. Domini Episcopi Lucensis.

Eandem facultatem Gymnasiarchæ etiā dederunt.

Lucæ apud Vincentium Busdracum.
1567.